







Illustrissimo et potentissimo
principi ac domino. Domino
Christiano 4 Electo Regi
Daniæ & Norvegiæ
Duci Holsatiæ etc. domino
suo clementissimo. Hunc
librum offert obsequen-
tissimus servus
Nicolaus
Hemingius

Virtutes regiæ sunt pietas
justitia & clementia cum
fortitudine animi

Sequere
deum

ENARRATIO VIGINTI ET VNIVS PSALMORVM DAVIDIS (QVI SVNT ORdine primj) in qua multæ doctrinæ explicantur

PER

Nicolaum Hemmingium.

Cum INDICE locupletissimo.

Psalm. 37.

Delectare in Iehouah & dabit tibi petitiones cordis tui.



Apud Petrum Santandreanum.

M. D. XCII.

MAGNIFICO NOBILI AC GENEROSO VIRO VIRTVTE, pietate ac ſapientia præſtanti D. Nicolao Caas Domino de Taarup Cancellario Regis Daniæ digniſſimo gubernatori ac Senatori Regni prudentiſsimo ſuo Domino Patrono & amico longe obſeruandiſsimo.

LIBER Pſalmorum inſtructio Militis Chriſtiani meritiſſime inſcribi poſſet: in eo enim non ſolum vita moreſque & varia Sanctorum certamina deſcribuntur: verumetiam quo modo pugnandum, quibus armis certandum, quaque ratione victoria & triũpho poſt multos & magnos labores exantlatos parta vtendum ſit, in illuſtribus exemplis prȩſertim Dauidis graphicé pingitur. Non autem eſt, quod quiſquam (donec in hac vita nobis peregrinandum erit) exiſtimet ſe & Chriſtianum eſſe poſſe, & liberum ab inſidiis hoſtiũ vel ad momentum temporis futurum. Nam cum primum e regnó peccati egreſſi in Eccleſiam Chriſti per gratiam Dei ingredimur,

nobis ex omni parte, cum occultæ insidiæ, tum aperta certamina parantur. Quare ἀγωνοθέτης noster Iesus Christus, & hortatur nos ad cauendas insidias, ne circumueniamur ab hostibus: & consolatur nos, ne abiectis armis tradamus nos hosti turpiter: hortatur quidem cum ait: vigilate & orate ne introeatis in tentationem: consolatur vero inquiens, confidite ego vici mũdum. Paulus Apostolus Christi idem facit, hortatur suum Timotheum, & sub eius nomine quemlibet Christianum, ad honeste militandum cum ait: milita honestam militiam retinens fidem & bonam conscientiam. Serio proinde cogitemus & de hostibus nostris & de honesta potiũda victoria in Christo Iesu duce nostro, qui nos nõ prius deseret, quam nos illum deseramus. verum, vt simus cautiores: quinam sint hostes nostri: quomodo nos oppugnent: & quo pacto victoria aduersus eos potiamur videamus. Hostes oppugnantes nos qui Christo militamus, alii intra muros sunt, alii extra, hoc est, alii sunt in nobis, alii extra nos, ex quo & duplex pugna emergit: vna interna & domestica: externa altera. Sed de interna prius dicam.

Est autẽ interna pugna in homine Christiano

ſtiano quadruplex.

Prima. Mentis & brutæ partis animæ.

Secunda. Fidei & Rationis.

Tertia. Spiritus & carnis.

Quarta ſpei & deſperationis.

Prima pugna quæ eſt mentis & brutæ partis animæ ſuſcipitur de principatu in homine. Hæ animæ partes ſic diſtinguuntur, vt mens eſt ea animæ pars quam Philoſophi τὸ ἡγεμονικὸν, id eſt, principem appellant, propterea quod ei regnum totius animi a natura tributum ſit: ita bruta pars animæ eſt, in qua affectuum caterua militat aduerſus mentem, ferturque huc illuc prout libido rationis expers impellit in hac naturæ corruptione.

Cauſa autem huius pugnæ hæc eſt. Mẽs quia condita eſt ad immortalitatem, amat immortalia, hoc eſt, cæleſtia & æterna, amat ſapientiam, virtutem & honeſtatem, quibus fruitur & paſcitur. Contra bruta pars animę quia mortalis eſt, mortalia tantum cogitat, amat, proſequitur, atque ideo turpibus & beluinis delectatur voluptatibus, quibus & nutritur. Nam cum bruta pars animæ, quæ molliter vehitur ſuper θηρίον πολυκέφαλον ſtipata brutis & ſeditioſis affectibus quos ductant ira & concupiſ-

centia, videt ſuas voluptates non magis obtinere locum in virtutum choro, quam meretrices in matronarum cœtu, indignã tur & fremit aduerſus mentem, conſilium que init, vt mentem circumuentam ferrea prauorum affectuum catena ligatam ſub ſuo imperio impuro captiuam teneat, quo ipſa ſola libere in homine dominetur frua turque ſuis cupiditatibus, quod ſi illi ex voto ſucceſſerit, hominis conditio miſerri ma redditur. Quid enim indignius & miſe rius cogitari poteſt, quam vt tam deformis belua menti nobiliſſimæ dominetur, & Regina ſuis ancillis iiſque deformibus & ignauis ſeruiat?

Quid hic τὸ ἡγεμονικὸν princeps pars animi facit? Opponit ſe ſtrenue & ſapienter ſeditioſis animæ motibus, vt eos ſub obedientia contineat, idque vt facilius faciat, catenam auream adhibet quo inuitos & reluctantes trahat in ſuum obſequium. Catena autem hęc triannularis eſt: conſtat enim λόγῳ, νόμῳ, φόβῳ. Quemadmodum enim feroces beſtię captæ & catenis vinctę domantur & paulatim manſueſcunt & cicurantur, vt imperium hominis moderate ferant. Sic beluini affectus λόγῳ, νόμῳ, φόβῳ tanquam aurea quadam catena conſtricti

mentis

mentis imperio parent. Sed videamus quo modo hac catena mens trahat affectus vt ſibi pareant.

Λόγῳ id eſt ratione mens trahit, cum homini veris & ſolidis argumentis perſuadere conatur, honeſta & virtutem amanda eſſe, vt quæ conſeruent ac tueantur dignitatem, excellentiamq; humanæ naturæ iuxta ordinem diuinum. Contra vero inhoneſta & vitia deteſtanda, vt quę humanam naturam deforment, & infra beſtias viliſſimas contra ordinem diuinum abiiciant. Hic ſi victrix fit mens ſubiectis affectibus victoria mẽtis glorioſa & ſeruitus affectuũ laudabilis erit, vnde prodit iuſtitia Phyſica pulcherrima virtus, quæ definitur congruentia mentis, affectuum, voluntatis iuxta Regulam quam ratio recta monſtrat. Ex hac Phyſica iuſtitia moralis iuſtitia prodit, quæ eſt actionum externarum conformatio ad rationis regulam. Hæc conſpicitur in quatuor videlicet in dictis, in factis, in abſtinẽtia, in beneficentia. quare & τετράγωνος iure dici poteſt. verum quia fons a quo hæc promanant limoſus & impurus eſt, fieri nõ poteſt quin riuuli inde manantes ſint turbidi, & non ita limpidi vt oporteret, id quod maximi quique Philoſophi

olim teſtati ſunt.

Νόμῳ trahit mens,hoc eſt,lege quę iubet honeſta:prohibetque contraria,id eſt turpia. Hæc lex & naturæ & Dei,& virorum ſapientum dicitur. Naturæ,quia mentibus hominum impreſſa eſt diuinitus:Dei,quia Deus eam probat, premiiſq; & pœnis confirmat:virorum ſapientum,quia illi ex principiis natura notis,hoc eſt, ex lege naturę Regulas quaſdam iuris extruxerunt,& certis circunſtantiis legem pro diuerſitate locorum,nationum, temporum , perſonarũ limitarunt. Non eſt ergo putandum,quod quicquid magiſtratus conſtituit, niſi cum fonte cõgruat,legis vim habeat.ſicut enim Deus vnus eſt , ita vnam legem omnibus communem & ęternam eſſe voluit: vnam intelligo ſubſtãtia non circũſtantiis, cuius Regulas iuſtitia Diuina,non perſonæ, ſed naturæ accommodat. Non ergo ſemper valet hoc quorundam argumentum : hoc magiſtratus lege ſtatuit,ergo eſt ius.non enim omne quod dicitur ius eſſe,ius eſt,ſed quod iuſtum eſt , id demum & ius & iuſtũ iuſte appellatur.quam autem neceſſaria ſit lex ex eo manifeſtum eſt,quod ſit quaſi anima ſocietatis humanę,vt.n.corpus,diſcedente anima iacet mortuum & diſſoluitur

paulatim

paulatim: ita ſocietas hominum non copulata lege ſoluitur. Hac ergo lege(cum ea ſociatur & conſeruatur ſocietas humana) mens ipſa trahit homines vt repudiato turpiſſimo furioſorum affectuum imperio virtuti & honeſtati ſtudeant.

Φόβῳ trahit mẽs cũ parẽtes, pędagogi, & magiſtratus, qui ſunt legis cuſtodes, pœnis coercẽt, quos mẽs ratione & lege ad virtutis & iuſtitiæ amorẽ flectere non poterat.

Atque hactenus oſtendi qualis ſit conflictus mentis & brutæ partis animæ, & quomodo & quibus armis ſe mutuo oppugnent. bruta pars animæ ira & concupiſcentia aliiſque hinc naſcentibus vitioſis motibus adoritur mentem, vt eam proſternat, & in ſeruitutem redigat. Cõtra vero mens catena hac aurea pro diuerſitate eorum, cum quibus agit ad virtutem, homines trahere nititur. Hos enim qui ſunt miti ingenio & modeſto, ſolo λόγῳ trahit & quid ſit faciendum & quid fugiendum perſuadet: alios nempe ex ignorantia & conſuetudine errantes lege ducit: alios videlicet contumaces pœnis cohercet, vt imperiũ τοῦ ἡγεμονικοῦ ſeu mentis permaneat incolume, ſubiectis eius miniſtris.

Secũda pugna quę eſt Fidei & Rationis, de doctrina Eccleſiæ ſuſcepta, ſequitur:

Hęc ſolummodo eorum eſt, qui voce Euangelii vocantur in Eccleſiam Dei. Nam vt prima cōmunis eſt prophanis & Chriſtianis: ita hęc ſecūda in ſola Eccleſia Dei locum habet. Sed quomodo hęc pugna inſtruitur? Fides verbo Dei nititur: Ratio Sapientiam mūdi iactat: Fides promiſſis Dei credit: Ratio naturæ ordinem ſpectat: Fides pendet ex potentia Dei, Ratio naturæ vires ponderat.

Huius pugnę exemplum illuſtre nobis in patre noſtro Abrahamo proponitur. Rom. 4. Quod exemplum omnibus filiis Abrahæ imitandum in ſcripturis commendatur. vt ego Abraham ſuccinctus lumbos veritate Dei opponit ſe rationi eamq; reprimit promiſſionis verbo, tribuens Deo laudē veritatis plene perſuaſus, quod quicquid promittit Deus poſſit prę ſtare, vel tota natura rerum reclamante: ita quilibet pius fide incumbat in promiſſionis verbū, etiamſi naturæ & rationi abſurdum videtur, quod Deus promittit. ad hoc fidei conſtans robur hortatur nos Paulus Eph. 6. cū ait: ſtate ſuccincti lumbos veritate, cuius dicti ſenſus eſt, vt lumbi in quibus potiſſimę corporis vires ſunt, cingulo firmantur, ne inter pugnandum miles labatur: ita Fides hominis

hominis veritate Dei promittentis firman
da est,ne cedat rationis argutiis ponderan
tis naturę vires. Quapropter Apostolus
hortatur eosdem cap.1. vt credant non se-
cundum operationem potentię roboris na
turę aut rationis, sed secundum operatio-
nem potentię roboris Dei,quam operatus
est in Christo,suscitans illum a mortuis,&
sedere eum faciēs ad dexteram suam in cę-
lestibus.Hoc Pauli dictum non intelligen
dum est de causa fidei,vt quidā falso opinā
tur,sed de modo seu proprio fidei ex verbo
Dei cōceptę,credemus .n. nō secundū po
tentiā naturę,nō secundū conclusiunculas
Rationis,sed secundū operationē potentię
roboris Dei.Cū ergo ex naturę sēsu Ratio
sic arguit.Resurrectio mortuorū impossi-
bilis est,quia corpora mortuorū redigūtur
in cineres,& in multas formas tāto tēpore
trāsformātur.Hic pius certus de promissio
ne Dei respōdet.Ego nō credo secundum
operationem potentiæ,roboris, naturæ &
Rationis, sed credo iuxta operationem po
tentiæ, roboris Dei (qui potest , quicquid
vult,& vult quicquid promisit) sicut pater
meus Abraham fecit, qui contra spem (sc.
naturę & Rationis) ob spem (sc. promissio-
nis & potentię Dei) credidit,non consi de-
rans corpus suum iam emortuum & em or

tuam vuluam Saræ, ad promiſſionẽ enim Dei non hęſitauit diffidentia, ſed cõfortatus eſt fide dans Deo gloriam, plene perſuaſum habens, quod quæcunque promiſit Deus poſſit & facere. Atque hic verus modus fidei Chriſtianę eſt, quo ſubſiſtimus in lucta aduerſus rationem obiicientẽ nobis vel naturę impotentiam, vel ſapientiã mundi, quę coram Deo mera eſt ſtultitia. diſcernat ergo pius inter fidem communẽ & Chriſtianam. Communis eſt cui Philoſophi tribuunt tertium locum inter κριτήρια ſua quę ſunt νοῦς διάνοια πίστις ſeu δόξα εἰκασία αἴσθησις. Hęc communis fides pendet ab authoritate humana & probabilitate naturæ. At Chriſtiana fides nititur authoritate & potẽtia Dei promittentis, nec moratur quid Ratio humana & natura cõtra ſentiat. quare merito Fides Chriſtiana anteponenda eſt omni demonſtrationi Philoſophicę. Baſilius proinde recte ait: ἔχομεν πίστιν ἀποδείξεως βεβαιοτέραν. Atq; hoc ita ſit dictum de pugna fidei & rationis, in qua fides abſque omni dubio obtinebit victoriam, ſi modo exemplum Abrahę ſibi proponat, & proprium fidei Chriſtianę, quod Paulus nobis commendat recte æſtimet.

Tertia pugna in milite Chriſtiano eſt ſpiritus & carnis, quæ de moribus Sancto-rum ſuſcipitur. Hæc plane diuerſa eſt a pri ma, quæ eſt cõmunis vtriſque, hoc eſt pro phanis & Chriſtianis, vt diximus. Nam ter tia hæc ſolummodo ciuium Eccleſię Chri ſti, id eſt, filiorũ Dei eſt. hic primũ teneatur quid ſit ſpiritus & quid caro. Spiritus eſt nouus homo, caro vetus, ille induẽdus, hic exuendus eſt, neuter ſubſtantia hominis eſt, ſed vterque veluti indumentum natu-ralis hominis. Nam in eodem naturali ho-mine conuerſo ad Deum eſt (donec hic vi uitur) & vetus, & nouus homo, inter quos nunquam poterit conuenire. vetus enim homo opponit ſe nouo, & nouus veteri, propterea quod illorum diuerſę ſint volũ-tates, diuerſa ſtudia, diuerſus ſcopus, vt A-poſtolus ait: caro concupiſcit aduerſus Spi ritum, & Spiritus aduerſus carnem. Nam cum caro φίλαυτος ſit, oblectans ſe bruto amore corporis. Spiritus autem φιλόθεος amore Dei & proximi & omni virtutum genere flagrans, fieri aliter nequaquam po teſt, quin inter ſpiritum & carnẽ perpetua ſit pugna, eaque aſperrima, quę non termi nabitur ante finẽ huius vitæ. Cæterũ qui carni cedit, & ſecundũ eã ambulat, pecori-

bus coniungitur, & in mortem incurrit: At qui ſecundum ſpiritum viuit, Deo & Angelis ſociatur, ęternum victurus. Quoniam autem cogitatio eſt affectuum parens, & bona cogitatio bonos & mala malos affectus generat. pius animus ſemper caſtas cogitationes precatione, lectione, meditatione, piis colloquiis iuſto exercitio & tēperātia excitet, foueat, conſeruet. Si vel ad momentū bona cogitatio quieuerit, mox mala e fonte originalis vicij ſcaturit: quæ niſi cito illi occurratur, magnum incendiū prauorum affectuum excitabit, quiſque ſuam cōſcientiā interroget. quicunque ergo vitæ & ſalutis ſuæ amans eſt, audiat Paulum Rom. 15. dicentem. abiiciamus opera tenebrarū (id eſt veteris hominis) & induamus arma lucis, tanquam in die cōpoſite ambulemus, non in comeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & laſciuiis, non in lite & inuidia, ſed induamini Dominum Ieſum Chriſtum, & carnis curam ne faciatis ad concupiſcentiam.

Quarta pugna ſequitur quæ eſt acerbiſſima, videlicet ſpei & deſperationis, in qua certatur de triūpho & corona gloriæ poſt hanc vitam. in hac pugna Fides & Spiritus ſpei militāt: caro & cōſcientia, deſperatio-

ni

ni merent: quẽadmodum enim desperatio ex carnis & conscientiæ suasu spei obiicit magnitudinẽ, multitudinẽ & turpitudinẽ peccatorũ: ita spes ex fidei & spiritus consilio obiicit desperationi magnitudinẽ misericordię Dei, multitudinẽ miserationum & preciũ sacrificii Christi, quo purgamur a peccatorum nostrorũ sordibus, & sanctificamur a Spiritu sancto. Hæc spes ex fide nascitur iuxta illud Psalmi, sperabunt in te qui nouerunt nomẽ tuum (id est, qui in te credunt) quia non dereliquisti quærẽtes te Domine. Confidite, ait Dominus, ego vici mundũ. hinc spiritus in corde piorũ triumphans canit: Christus spes vnica nostra est.

Obiicit etiã desperatio a carne male persuasa spei paucitatẽ Electorũ & prędestinatorũ ad vitam æternã. hic spes pii hominis, quæ nunquã cõfundetur, intrepide opponit desperationi propositũ & pactum Dei gratuitũ, quod est vniuersale. Atque inde cõfirmata definit electionẽ & prædestinationẽ ex verbo Dei in hũc modum: vt electio est omniũ credentiũ adoptio in filios Dei: ita prædestinatio est eorũdem ad crucẽ & gloriã ordinatio. nec alia imaginatio huc admiscẽda est. Nõ est enim distinctio Iudæi & Græci, idem Dominus omnium,

diues in omnes qui inuocant eum. Omnis enim qui inuocauerit nomen Domini saluus erit. Hæc pugna spei & desperationis similiter & victoria spei pulchre describitur, Psal. 42. Cur tristis es anima mea, & quare cõturbas me? Hæc est querela hominis luctãtis cũ desperatione. Sequitur vox fidei spe triũphantis. Spera in Deo quoniã adhuc cõfitebor ei, quia salus in vultu ei⁹. spes ergo omnis in solo Christo posita est. Nã in eo solo (quia solus soluit λύτρον pro peccatis totius mundi) pater ἐυδόκησε, adeo vt quẽuis peccatorẽ quantũuis magnis & multis peccatis onustũ & obrutũ propter ipsum in gratiã recipiat, modo vere credat idq; absq; omni discrimine nationũ & personarum. Sic alibi Dauid conscientię peccatorum (quæ ad desperationem sollicitat) opponit propitiationem, cũ ait: Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Hæc consciẽtiæ querela & desperationis quodãmodo vox est. Sequitur Fidei vox quæ laborantẽ sub mole peccatorũ spe erigit, quia apud te propitiatio est, vt timearis, hoc est, ideo te inuoco, quia es propitius peccatoribus, vt cõsecuti veniã te timeãt caueãtque ne te offendãt. Hinc Augustinus infert hãc exhortationẽ, in pro

fundo

fũdo es,noli contẽnere de profũdo clamare & dicere. Si iniquitates obſeruaueris Domine,Domine quis ſuſtinebit? Ecce aperuit de quo profundo clamat, clamat enim ſub molibus & fluctibus iniquitatũ ſuarum,hic non fatales tabulæ cõſulendę ſunt,ſed audiendus eſt qui dicit,venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, ego refocillabo vos.

Deſperationẽ prętereea roborat proſperitas impiorũ, adeo vt ipſe Dauid aliquãdo diceret pene motos fuiſſe pedes ſuos,dum cerneret pacẽ proſperitatẽq; impiorũ,addẽs ſe ſtuduiſſe idq; magno labore, vt hoc cognoſceret,ſed nõ potuiſſe id aſſequi,donec ingrederetur in Sanctuariũ Dei,& proſpiceret in extrema impiorũ.Ecce,inquit, qui elõgant ſe a te peribũt & perdes omnes qui fornicantur abs te, proſperitas itaq; impiorũ tãdem ipſis peſtẽ pernitiẽque adferet. Hic Dauid rurſus concepta fiducia exclamat: mihi autẽ adhærere Deo bonum eſt:poſui in Domino Deo ſpẽ meã. Spes proinde nõ hęrebit in iis,quę oculis noſtris patẽt,ſed ſpectabit finẽ vtrorũque:impiorũ quidem opprobriũ & contemptum ſempiternũ: piorum vero gloriã & vitã ęternã.Sic pius inuicta ſpe,ſua dãna leuet.

Hactenus de interna & domeſtica pugna Sanctorum quadruplici dictum ſit. Iam de

externa pugna ſanctorum aliquid adiiciendum eſt. in hac pugna, quæ etiam eſt multiplex primum occurrūt aduerſa & proſpera, ſeu triſtia & læta, vt diuitiæ, paupertas: Gloria, ignominia: morbus, ſanitas: Fauor odiū: patria, exilium: Fames, ~~ſitis~~, &c. vtraq;, id eſt, cum proſpera tum aduerſa periculoſa ſunt, niſi ſancto timore Dei temperentur. & fide atque inuocatione condiantur. proſpera corpori quam aduerſa animæ, ſæpe nocentiora ſunt. proſpera diuiti epuloni pernitiē attulere, non vt cauſa, ſed vt occaſio. aduerſa pauperi Lazaro occaſio fuere magnæ felicitatis, non cauſa. magnæ proinde virtutis fuerit cū proſperis luctari: & magnæ felicitatis a proſperis non vinci. Beatus quem vt nulla infelicitas frangit, ita nulla felicitas corrumpit, Quāobrem ſingularis cōſtantia, hoc eſt animi inuictum robur, vt nec proſperis efferaris, nec aduerſis deprimaris requiritur: in proſperis humilitate ſancta, in aduerſis patiētia forti opus eſt. Nā vt humilitas vera aſſidue opē Dei implorat, nihil tribuit ſuæ ſapiētiæ, nihil virtuti, nihil opibus, nihil potētiæ, nec cōtra aliquē effertur inſolēter: ita patientia fortis, ea quæ accidūt aduerſa ſic moderatur, vt animus non frangatur ſed fortiter ferat quicquid acciderit. huc conſilium Auguſtini facit

cit. Si gaudes ad tempus noli tibi fidere, si tristaris ad tempus noli desperare.

Inter externos hostes Ecclesiæ Satanas ipse principē locū tenet, hic, vt est ἄσπονδος hostis Christi & Ecclesię, ita singula eius mēbra ad defectionem a Christo variis technis sollicitat 1. paralip. 21. scriptum est: stetit Satanas cōtra Israel & excitauit Dauidē vt numeraret populum. hic Satan caput vulnerat, vt totū corpus cōcidat: Satan enim hostis populi Dei persuasit Dauidi Regi, vt numeraret populū, idque in hunc finē, vt Dauid isto facto Deū offenderet, & ab eo desereretur, vt totus populus ad exemplū Regis a Deo deficeret, vide quæso astutias Diaboli. Diabolus sciuit se nō posse dominari, nec in Regē, nec in Israelē, nisi per peccatū eorū, igitur primū aggreditur caput Ecclesię, nēpe Regē sāctissimū, vt ipso seducto & in peccatū pertracto facilius subditos in obsequiū suū pertrahat impostor. Hoc stratagemate nunquā nō vtitur Diabolus in suis ministris, vt in papatu, & alibi videmus. insidiatur enim maxime Regibus & principibus viris, vt illos prius in sua castra abducat, quo possit facilius per Reges & principes tanquam idoneos Ecclesiæ proditores subditorū animos peruertere, & a Deo alienare. Nā subditi vt plurimū exē-

pla potentũ ſequũtur. Petrus teſtatur Diabo
lũ tanquã leonẽ rugientẽ circuire & quære-
re quẽ deuoret. verba Petri ſunt: Sobrii eſto-
te & vigilate, nã aduerſarius veſter Diabo-
lus tanquã leo rugiẽs obãbulat, quærẽs quẽ
deuoret cui reſiſtite firmi per fidem. Hic Pe
trus nõ ſolũ qualẽ & quam ſęuũ hoſtẽ habea
mus indicat, verũetiam quomodo nos aduer
ſus illũ armatos eſſe & munitos oporteat do
cet. Hic noſter aduerſarius calumniator eſt,
vnde & nomen habet, verbum enim Dei, vt
ab initio fecit, conatur vel illudere vel corrũ
pere, vel prorſus abolere, vt homines facino
ribus & flagitiis ſe polluant, quo famelicus i-
ſte ſceleribus hominũ ſibi gratiſſimis epulis
& delicatiſſimis ſaturetur & inebrietur. Nã
eos demũ deuorare dicitur, quorũ ſceleribus
delectatur & ſatiatur. Quid hic nobis facien
dum? Hoc Petrus nos docet, cũ ait: Sobrii e-
ſtote, & vigilate, reſiſtite firmi per fidẽ. vtrũ
que dictũ Petrus ex verbis Domini mutua-
tus eſt: prius quidẽ Matth. 26. vigilate & ora
te, ne intretis in tentationẽ Luc. 21. Attẽdite
vobis, ne grauẽtur corda veſtra crapula & e-
brietate poſterius Ioh. 16. Confidite, ego vici
mundũ, hoc eſt, vt Iohannes interpretatur:
hæc eſt victoria quæ vincit mundũ fides ve-
ſtra. Si fides vincit mundum, vincit & princi
pem

pem mũdi Diabolum.cum fide ſemper coniuncta eſt precatio,qua victoriam a Deo per Chriſtũ impetramus.Sicut enim galli cantus leonẽ terret & trepidare facit:ita pia precatio & ſobria Diabolũ abigit.Huc illud Iacobi facit. Subditi eſtote Deo,& reſiſtite Diabolo,& fugiet a vobis.Subditi,inquit,eſtote Deo, ſcilicet fide & obedientia: & reſiſtite Diabolo,ſcilicet fide & oratione reluctantes vitioſis concupiſcentiis,quæ ſunt inſtrumẽta Diaboli,per quæ homines indulgentes concupiſcentiis in exitium trahit.Quidã ex patribus nõ incõcinne dicit Diabolum fugere cor feruẽs precandi ſtudio,nõ ſecus atque muſca feruentẽ ollã,cui de feruenti & tepidę adhæret vt ſatietur. Nã Diabolus dicitur in ſcripturis Beelſebub,id eſt,Dominus muſcarũ, quo ſanctus ille pater reſpexiſſe videtur. Diximus de pugna Satanæ aduerſus Eccleſiam Dei,& de modo obtinẽdæ glorioſæ victoriæ aduerſus Satanam,qui nunc vt Draco inſidiatur,nunc vt leo impetum facit, ſed fide & inuocatione & innocentia vitæ vincitur.Non enim poteſt quicquam aduerſus hominem, niſi peccato hominis fuerit armatus:quare militemus honeſtam militiam,retinentes fidem & bonam conſcientiam.

Sunt præterea piis certamina ſæpe cum falſis fratribus, cum ſceleratis hominibus, cũ hęreticis, cũ ſchiſmaticis, in quibus pius Athleta ſe muniat fide, inuocatione, iuſtæ cauſa, bona conſciẽtia, & euentũ Deo cõmendet, hic ſi quid acciderit piis indignius noſtro iudicio, hoc ſtatuamus nõ præter prouidentiã Dei iuſtam accidiſſe, vel caſtigandi vel explorandi noſtri cauſa. Quod ſi externus hoſtis nos inuaſerit, pius magiſtratus imitari Dauidis & Ioſaphat exempla debet: ſtrenue pugnet pro lege & grege ſeruans Regulam: Bella magiſtratus non niſi iuſta gerat. in his omnibus bellorũ generibus exercitatiſſimus fuit Dauid noſter, vt in ipſius Pſalmis & rebus ab eo geſtis videre eſt, quare liber Pſalmorum tanquam ſchola militis Chriſtiani merito habebitur.

Cum autẽ mihi Pſalmorum enarrationem in Academia Regia Haffniẽſi ſuſceptam ad finem perducere non licuit temporum iniuria, paucos, hoc eſt 21. Pſalmos ordine primos cum commentariis qualibuſcunq; in lucem prodire paſſus ſum, amicorũ perſuaſionibus victus Hos Pſalmos magnifice vir patrone & fautor colẽdæ tuæ dignitati dicatos volo: cum quia magnopere Pſalmorum lectione, vt pii omnes, delectaris, tum vt hoc poſtremum

mum

mum,ni fallor,meũ ſcriptum teſtimoniũ po ſteritati perhibeat de mea obſeruantia erga te,qui ante annos 41.(anno Domini currẽte 1549.meque tũ ætatis meæ annum 37.egreſ-ſo)mihi a Fratre tuo Biornone Caas viro no bili & prȩſtantiſſimo,Senatore regni Daniȩ prudentiſſimo commendatus es, & rogatus vt te in album meorum diſcipulorum reci-perem,quod & feci. Ab eo tempore non eſt interrupta amicitia inter me & tuam digni-tatem,ſed ſemper vterque ſemel initam fo-uimus,coluimus,conſeruauimus. Nã tamet-ſi tu paulatim(ſic Deo diſponente) per plu-res gradus ad eius dignitatis faſtigiũ in quo nunc es in Eccleſiæ Chriſti ædificationem & in regni Daniæ decus, ornamentum aſcẽ-diſti,& ego variis fortunȩ tempeſtatibus ia-ctatus & periculis expoſitus ſum, tu tamen ſemper , quæ eſt generoſi animi tui bonitas, manſiſti conſtans & γνήσιος amicus, non mu tatus tempore,quod varie pingit amicos: id quod non ſolum verbis indicaſti,verumetiã idque multo magis factis demõſtraſti, quod viri boni & ſinceri amici proprium eſt, re-cte igitur Hecuba apud Euripidem:

ὁ δ' ἐσθλὸς οὐδὲ συμφορᾶς ὕπο
φύσιν διέφθειρ' ἀλλὰ χρηστὸς ἐς ἀεί.

Sed quid pergo animum tuum erga me &

beneficia cõmemorare, cum ſciam iam multos annos quam ſis alienus a benefactorum tuorum erga amicos commemoratione, qui potius vis benemereri de omnibus quam laudari a quoquam? Quare tacitus potius & grato animo perpetuo eorum meminero, te precibus meis ſemper Deo commendans, eumque rogans, vt te ſanum, incolumem & florentem quam diutiſſime in nominis ſui gloriam, in Eccleſiæ Chriſti conſolationem, & in communis patriæ decus, ornamentum, & tutamen conſeruet ac tueatur. AMEN. ROSCHILDIO 24. Iunij. Anno Domini 1591.

Tuæ dignitatis obſeru. NICOLAVS HEMMINGIVS.

LIBER PSALMORVM.

QVEM CHRISTVS Luc. 24, & Petrus Acto. 2. librum Psalmorum vocant, hunc septuaginta interpretes Psalterium, Hebræi librum laudum nominant: illi ab instrumento, hi a materia appellationem petentes. Nos breuiter harum appellationum rationem reddemus.

PSALTERIVM proprie (vt scribitur) instrumentum est Musicum triangulare, vt Δ Græcum maiusculum referat forma, superius ventrem habens concauum, in quo decẽ sunt chordæ: quæ quum digitis tanguntur a parte superiori, dulcis redditur sonus, qui sonus propriè Psalmus dicitur: hoc est, consona illa melodia, quæ ex chordis Psalterij, ad tactum digitorum redditur. Hinc Psalterium ad librum ipsum, & nomen Psalmorum ad hymnos translatum est. HYMNI autem sunt propriè odæ quibus laudes Deo decantantur. Verum quia apud nos istius Musici instrumenti vsus non est, nostrum erit operam dare, vt spiritualis sit nostra Musica & melodia, cuius typus erat melodia illa Dauidica. Fit autem tum demum spiritualis Psalmorum melodia, quando mens nostra, affectus, voluntas, & vita concordant, ac veluti cõsonum melos reddunt cum sententia hymnorum in laudem Dei. Illa externa melodia solummodo aures ferit ac demulcet, donec tanguntur chordæ, hæc multo suauior & vtilior: Siquidem durat per totam vi-

tam, & in mortis articulo ſuauiter animam a corpore diſcedentem delectat.

LIBER LAVDVM dicitur hic liber Hebræis cum a materia, vt diximus (nam laudes Deo hic decantantur) tum a fine proprio: Nam omnia quæ in hiſce hymnis continentur, ad Dei laudem tanquam ad proprium finem referuntur. Atque hæc de titulo libri huius ſint dicta.

ETSI autem plures ſunt authores Pſalmorum quam Dauid, vt Moſes, Salomon, Aſaph, Idithun, Heman, filij Choræ, tamen omnes ab eodem ſpiritu Dei dictatos eſſe nequaquam dubitandum eſt, quos & ſanctus vir Eſdras in vnũ volumen congeſsit, non habita ratione aliqua rerum: Et Filius Dei teſtatur de ſe in Pſalmis ſcriptum eſſe, atq; inde petit teſtimonia, quemadmodum ſuis locis videbimus. Quapropter cum hos Pſalmos vel decãtari audimus, vel ipſi canimus aut legimus, cogitemus nos, non Dauidem, ſed ſpiritum ſanctum cum nobis colloqui, quem non attentiſsime audire eique obedire grande peccatum eſt. Verum quia Eccleſiæ Dei teſtimonium de Pſalmis etiam plurimi faciendum eſt: huc pauca eccleſiæ teſtimonia de laudibus & vtilitate Pſalmorum aſcribemus.

GREGORIVS NAZANZENNVS in hanc ſententiam de Pſalmis ſcribit: Quam ſuauis & iocundus vitæ comes Propheta Dauid eſt in omnibus itineribus vitæ ſeſe offerens, & omnibus ætatibus ſpiritualibus ſeſe commodè adiungens, omnem ordinem progredientium ſubleuat, cum iis qui iuxta Deum infantes ſunt colludit,

ludit,cum iis vna certat, iuuẽtutem moderatur, ſenectutem ſubleuat atque ſuſtentat, omnibus omnia fit,militum telum,athletarum inſtitutor, exercentium ſeſe palæſtra, vincentium corona, immenſa delectatio, in luctu & funere conſolatio. Nihil eſt in vita noſtra,quod huius officij expers ſit. Quæ virtus orationis, inuocationis, quam Dauid non adiuuet? quę diei feſti lætitia, propheta eum non exhilarante, atq; iocundum reddente?

BASILIVS MAGNVS, in primum Pſalmum de laude & vtilitate Pſalmorum in hunc modum ſcribit: Liber Pſalmorum, quod ex omnibus vtiliſsimum eſt,complectitur: prędicit futura,hiſtorias commemorat, vitę leges pręſcribit,admonet quid faciendum ſit, &, vt ſummatim dicam,commune promptuarium eſt bonorum documentorum, vnde quod cuiq; vtile eſt ad curationem promitur. Nam & vetera vulnera animarum ſanat, & recenter vulneratis medicamentum adhibet, & quod morbidum eſt inſtaurat,& quod eſt ſincerum conſeruat.Et affectus,qui variis modis animas hominum perturbant in hac vita,quantum fieri poteſt in hac vita coërcet,idque cum quadam animi oblectatione concinna & voluptate,quę caſtam quandam cogitationem in mente generat.Hæc Baſilius.

AVGVSTINVS AIT: Quid autem eſt quod non diſcatur in Pſalmis? Non omnis magnitudo virtutis? non norma iuſtitię? non pudicitię decor? non prudentię conſummatio? non patientię regula? Non omne quod poteſt dici bo-

num, & quod ad vtilitatem animæ pertinet, pro cedat ex ipsis? Dei scientia, perfecta prænunciatio Christi in carnem venturi, & cōmunis resurrectionis spes, suppliciorum metus, gloriæ pollicitatio, mysteriorum reuelatio. Omnia prorsus in his, velut in magno quodam & communi thesauro recondita, atque conferta sunt bona. Sed quid opus est multis? ἀντιψαλμοδίαι in omnibus ecclesiis Græcis & Latinis institutæ & decantatæ, quotidie satis testātur quo in loco omnes pij librum Psalmorum habuerint. Quare omnino statuendum est, ne micam quidem pietatis habere eum, qui non mirifice lectione Psalmorum delectetur.

PAVLVS APOSTOLVS ad Ephes. 5. sic ait: Nolite inebriari vino, in quo est ἀσωτία, sed implemini spiritu sancto, loquentes inter vos in psalmis, hymnis, & odis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino.

MATERIA ET GENERA PSALMORVM.

MAteria Psalmorū simplicissimè in quatuor partes quæ sunt, Historia, Prophetia simplex, Doctrina vitæ, & Paradigma diuidi potest.

HISTORIA rursus in Simplicem, quæ tantum rei gestæ commemorationem habet, cuius finis est, vel vitæ instructio ad imitationem aut fugam, vel admiratio cum laude Dei. Et in Typicam, quæ cum commemoratione rei gestæ, imaginem rei futuræ gerit. Et hinc typica historia

ria in Pſalmis triplex inuenitur,nimirum,Chri-
ſti,Eccleſiæ, & hoſtium vtriuſque,quorum do-
meſtici alij,alij externi ſunt.

IN DAVIDE conſideranda ſunt:Perſona,&
Typus. Si perſonam reſpicis,conditiones perſo
næ occurrunt, videlicet, quod fuerit illuſtris in
regno Dei ciuis, attamen fragilis vt cæteri ho-
mines: Nunc enim peccat, nunc agit pœniten-
tiam, nunc ob ſua peccata affligitur, nunc deſ-
perabundo ſimilis eſt, & rurſus ſe promiſſioni-
bus diuinis erigit: Benefacta Dei conſiderans,
Deum prædicat:ſuam innocentiam conſiderãs,
ſe excuſat:ſua peccata perpẽdens,veniam preca
tur,& promittit emendationem.Hac ratione no
bis vt ſpeculum vitæ in Pſalmis proponitur Da
uid: non quidem vt exemplo ipſius peccemus,
ſed vt in peccatum lapſi ipſius exemplo reſurga
mus,agamus pœnitẽtiam,inuocemus Deum, e-
ius beneficia aduerſus nos prędicemus, noſtro
exemplo alios ad pietatis ſtudium inuitemus.In
his itaque & ſimilibus quæ perſonam Dauidis
attingunt,non typus, ſed hiſtoria & regula vitæ
obſeruanda eſt. Verum ſi typum reſpicis quem
Dauid geſſit, hoc in primis obſeruandum eſt,
quoniam Dauid moribus & factis, venturum
Chriſtum multis modis repræſentauit in iis Pſal
mis in quibus de ſe & ſuis rebus ſcripſit, ſolitus
eſt aſpergere multa quæ non tam ſibi, quam ei,
quem repręſentabat nempe Chriſto conueniũt.
Hinc eſt quod nunc Chriſtum eccleſiæ monar-
cham,nunc totius Eccleſię quæ eſt corpus Chri
ſti,imaginem repręſentet: Ex quo fit,nõ ſolùm,

vt multa quæ Dauidi hiſtorice tribuuntur, apte Chriſto accommodentur, verum etiam, vt hoſtes Dauidis, hoſtium Chriſti & Eccleſiæ typum gerant. Ex quo factum eſt, quod quæ Doëch Idumæo hiſtorice competunt, aptiſſime Iudæ tribuantur.

PROPHETIA SIMPLEX eſt prædictio rerum futurarum ſine Typo, qualia multa ſunt in Pſalmis de Chriſto & Eccleſia, & eorum hoſtibus.

DOCTRINA VITÆ ſæpè inculcatur in Pſalmis: docetur ratio veri cultus Dei, inuitamur ad opera charitatis, & alia officia Deo grata. Huc pertinent protreptica quamplurima quę paſſim inſeruntur in Pſalmis, in quibus Dauid ad exercitia pietatis inuitat Eccleſiæ ciues.

POSTREMAM PARTEM materię Pſalmorum παραδειγματικὴν nomino. In hac proponuntur plurima infirmitatis humanæ, lapſuum, pœnitentiæ, inuocationis, liberationum, gratiarum actionis, patientiæ, atque adeo omnium Chriſtianarum virtutum exempla. Ob hanc cauſam doctiſſimi Theologi Græci & Latini, optimam veræ pietatis diſcendæ rationem in Pſalmis proponi teſtantur. Nam quod præceptis generalibus traditur alibi, id illuſtribus exemplis tanquam depictum proponitur in Pſalmis.

PORRO ex iis quæ hactenus a nobis dicta ſunt, de generibus Pſalmorum iudicare non erit difficile. Nam ex materiæ diuerſitate, Generum differentia ſumitur. Hiſtoria itaque & prophetia ſimplex Demonſtratiuo generi ſubiiciũtur,

tur,quo etiam ἐπινίκια & triumphos referes. Doctrina vitæ partim Didascalico, videlicet, quum docetur quid faciendum sit quidve fugiendum, idque simpliciter: partim Iudiciali, cum obiurgantur remissiores: partim Suasorio, cum exhortatio ad officium subiicitur. Paradigmata ad Didascalicum genus & demonstratiuum aptè referuntur: nam quod docetur generalibus pręceptis, idem in exemplis conspiciendum proponitur & demonstratur. De speciebus, quæ sub his generibus continētur, suis locis admonebimus.

REGVLÆ QVÆDAM

OBSERVANDÆ IN PSALmorum lectione.

Prima.

A Singulari ad vniuersale, & contra ab Vniuersali ad singulare, cum sunt eiusdē generis, & habēt easdē causas, necessario cōcluditur. Quandoquidem Deus, qui est summe bonus, æqualem habet naturam, ex quo fit, vt apud eum non sit personarum acceptatio, sed causæ ęstimatio, iuxta ipsius æternum decretum reuelatum ipsius voce. Hinc fit, vt quicquid vni cuipiam pio promittit Deus, vbi causæ non variant, ad totam Ecclesiam sanctorum rectè referatur: Et quicquid vni impiorum minatur Deus, toti Ecclesiæ malignantium accommodetur. Et contra. Similiter vt descriptio cuiusuis pij hominis, ecclesiæ descriptio censeatur, & contra. Sic etiam

de impio quouis & impiorum cœtu iudicandum eſt.

Secunda.

Omnes infirmitates,lapſus,caſtigationes , liberationes Dauidis,toti Eccleſiæ in genere accommodari poſſunt,quatenus ipſe typus eſt Eccleſiæ.Quæcunq; enim typo tribuuntur in Pſalmis,recte antitypo accõmodantur in nouo Teſtamento. Hinc eſt quod precatio Dauidis iam ſeneſcentis, recte accommodatur Eccleſiæ noſtri temporis. Ne proiice me (inquit) in tempore ſenectutis,cum defecerit virtus mea,ne derelinquas me.Pſal.71.

Tertia.

Amplificationum modi admodum Dauidi familiares ſunt quatuor . Nunc enim eandem ſententiam mutatis nonnihil verbis repetit. Nunc affinem ſententiam , hoc eſt , quæ continetur ſub eodem genere,apponit.Nunc contrariorum collatione illuſtrat. Nunc generi ſpecies ſubiicit. Omitto alias exornationes,quæ ſunt in Pſalmis plurimæ.

Quarta.

Multi Pſalmi , ſunt Dramatibus perſimiles, in quibus pluribus perſonis,non expreſſis nominibus , oratio tribuitur.

Quinta.

Mutationes perſonarum in Pſalmis frequentes ſunt. Nunc enim a tertia ad primam vel ſecundam,

cundam, nunc econtra, a prima ad secundam vel tertiam itur.

Sexta.

In prophetiis præteritum tempus, ob certitudinem euentus pro futuro sæpius ponitur, in reliquis permutatio temporum & modorum vsitatissima est Dauidi, quę ex Peristasi sententiarum iudicabitur.

Septima.

In descriptionibus piorum & impiorum verba non tam circumstantiam actionis, quam habitum significant, hoc est, indicant, quid soleant pij & impij agere, & quodnam sit eorum studium, & quis conatus.

Octaua.

Multa typo tribuuntur improprie, quæ ipsius, antitypi nempe Christi propria sunt, qualia multa occurrunt in typicis historiis, quæ pręter rem gestam adumbrant aliam rem, vt supra admonuimus.

Nona.

Laudes piorum & reprehensiones impiorum, stimuli sunt. illę quidem ad imitationem, hæ vero ad fugam. Quarum, vt illarum finis est προτροπὴ & exhortatio ad pietatem, ita harum ἀποτροπὴ & dehortatio ab impietate & vitiis aliis.

Decima.

Allegationum dictorum ex Psalmis, vt ex re-

liquis ſcripturis, aliꝫ adhibentur alluſionis tantum gratia, cum ſit alluſio ad vnum aliquod verbum. Aliꝫ ob comparationem & ſimilitudinem accommodantur, vt *ô mors ero mors tua.* Aliꝫ vt typi referuntur, vt: In omnem terram exiuit ſonus eorum: Aliæ vt ſint dogmatum probationes.

DE METHODO INTERPRETATIONIS.

VSitatam nobis Methodũ, in explanatione Pſalmorum ſeruabimus. Primũ enim ſummam Pſalmi explanandi proponemus, vt totus quaſi ſub vnũ aſpectũ ſubiiciatur. Deinde ordinem &diſpoſitionem ſubiiciemus. Nam ordinis & diſpoſitionis oſtenſio, rebus non exiguam lucem adfert. Et vt ordo & diſpoſitio fiat illuſtrior, verſus Pſalmorum numeris diſtinguemus. Tum adiiciemus exegeſin, vt genus ſermonis & Phraſis intelligatur, vna cũ indicatione doctrinarũ, & earum accommodatione ad noſtros vſus: Omnia, ex conſilio Pauli, referẽtes ad γνῶσιν καὶ αἴσθησιν, vt & mens recte erudiatur, & cor pio ſenſu tangatur in gloriam Dei. In his omnibus operã dabimus, vt nec nimia breuitate obſcuri, nec prolixitate ingrata ſimus moleſti. Atque ita mediam quaſi viam tenentes, ſperamus operam noſtram nec ingratam, nec inutilem fore auditoribus noſtris. Deus aſpiret conatibus noſtris in ſuam gloriam, & in Eccleſiæ Chriſti ædificationem. Amen.

PSAL-

PSALMVS PRIMVS.

QVONIAM omnes homines beatitudinē, vt summum bonum seu finem bonorum quærunt,& miseriam sempiternam fugiunt, vt summum malum: merito in limine Psalmorum proponitur & differitur hæc quęstio: Quisnam vere beatus,& quisnam vere miser dici & habe ri debeat. Vt ergo definit eum beatum esse,qui segregatus ab impiorum consortio, lege Dei oblectatur,Deoque obtemperat:Ita omnem legis Diuinæ contemptorem, & scelerate viuentem,miserum esse pronuntiat. Quæ enim maior miseria esse poterit,quam in extremo die obrui sententia iusti iudicis,segregari a consortio san ctorum,& adiudicari æternis pœnis?

SVMMA ERGO PSALMI HÆC EST.

QVemadmodum qui relicta falsa doctrina,& societate impiorū,amplectitur verbū Dei,& iuxta illud viuit, beatus est,quia est in via beatitudinis: Ita miser est,quisquis a vera doctrina aberrans scelerate viuit. Si ergo Psalmum in se spectes, generis est Didascalici: Si finem eius,est προτρέπτικος, *&* ἀποτρέπτικος. *Vult enim vt pietatem sectemur, quo efficiamur beati,& vt impietatem fugiamus,quo in sempiternam miseriam non incurramus. Hinc facile est colligere,ad quem scopum totus Psalmorum liber re-*

ferendus ſit, videlicet, vt veram beatitudinem conſequamur. Nam huic rei omnia quæ in Pſalmis ſcribuntur, deſtinata ſunt.

Ordo & diſpoſitio Pſalmi primi.

Iuſti, & impij, quorum illi beati, hi damnati ſunt, παράλλήλως id eſt ex aduerſo & coram comparãtur, idque ex contrariis cauſis, ſtudiis ſucceſſu, & exitu. Iuſtorum quidem ſeu beatorum nomine, veram Eccleſiam, impiorum vero & miſerorum, falſam intelligimus, iuxta regulã primã, quam tradidimus. Dixeris ergo recte Pſalmum hunc collationem veræ & falſæ Eccleſiæ continere, vt illi quidem nos adiungamus ab hac vero ſeiungamus, quo veram beatitudinem quam perdidimus conſequamur.

Ordo Pſalmi eſt.

1. & 2. verſus, collationem iuſti & impij ſeu beati & miſeri in fundamento, ſeu in cauſis efficientibus continent, & hæc ſit prima pars Pſalmi.

3 & 4. verſus ſtudium, conatum & ſucceſſum eorundem monſtrant. Pius confertur Palmæ arbori, quæ ſemper viret & fructificat. Impius pulueri. Sit hæc ſecunda pars.

5. Exitum ſeu finem, cum iuſtorum, tum impiorum oſtendit. Sit hæc tertia pars.

6 & poſtremus verſus cauſam reddit cum fœlicitatis iuſtorum, tum miſeriæ impiorum.

EXEGESIS PSALMI PRIMI CVM INDICATIONE DOctrinarum.

Prima Pars.

1. *Beatus vir qui nō ambulauit in cōsilio impiorū, & in via peccatorū non stetit, & in sede derisorum nō sedit.*

2. *Sed in lege Iehouah volūtas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte.*

Hæc descriptio iusti seu beati hominis, Vniuersalis est. Vir enim hoc loco quemlibet hominem, sine discretione sexus significat. Verba hîc posita ambulauit, stetit, sedit, meditabitur, non tam circumstantiam temporis, quam habitum significant. Constat autem hæc descriptio iusti seu beati hominis, negatione & affirmatione. *Negatio* ostendit quid fugiat, & a quo fugiat siue abstineat vir beatus & iustus. *Affirmatio* exponit, qua re vnice delectetur, & quodnam sit eius studium.

Quod autem a negatione incipit Propheta descriptionem hominis iusti & beati, causa est, quod qui bene agere cupiat, id est, qui iustus & beatus esse velit, primum à malo declinet necesse est, iuxta illud: Declina a malo & fac bonum *Psalm.* 34. Nam vt Basilius ait in hunc locum scribens, Est siquidem studium pietatis, instar scalæ qua ascenditur a terrenis ad cœlestia, a vitiis ad virtutem, à carnalibus ad spiritualia. Recte ergo a negatione incipit, dicens,

Beatus vir qui non ambulat in consilio impiorum, & in via peccatorum non stat, & in sede irrisorum non sedet. Hæ tres sententiæ affines sunt, & continentur sub hoc genere. Beatus vir qui abhorret a doctrina & cōsortio impiorū. Distinguūtur autem sic: Impius ambulat in cōsilio, peccator stat in via, irrisor sedet in sede. Ergo impius est hoc loco, qui ambulat

vagabundus,& nunc hanc nunc illam relligionem,sine verbo Dei sectatur. *Peccator* qui stat, hoc est,perseuerat in peccatis suis sine pœnitentia: Est enim peccatorũ via, turpis & vitiosa viuendi ratio. *Irrisor* sedet,& secure omnẽ relligionẽ ridet,quales sunt prophanæ gentes, & multi titulotenus Christiani. Hos non imitatur vir beatus, nam nec ambulat dubius vt qui fluctuet opinionũ diuersitate : nec stat in via peccatoris,quia peccans statim surgit,& ad rectum vitæ cursum redit.Nec sedet cum irrisoribus,sed declinat ab eorum congressu,& familiaritate.

Altera pars descriptionis iusti & beati hominis est affirmatiua,hæc videlicet.

Sed in lege Iehouah voluntas eius , & in lege eius meditabitur die ac nocte. Hic ordine explicanda sunt.

1. Nomen Iehouah.
2. Quænam sit lex Iehouah.
3. Quid voluntas hoc loco significet.
4. Qualis meditatio legis Iehouah requiratur.

I. *Iehouah* est proprium Dei nomen, incommunicabile prorsus creaturis,ab essendo dictum , propterea quod Deus solus a se existat,ideoque semper existens , omnibus rebus virtutem existendi communicet & suppeditet. Ex quo ipsius æternitas,potentia,bonitas,sapientia,prudentia & cultus concluditur:Hæc simul cogitentur,quoties hoc nomen Iehouah occurrit in Scriptura. Quare quum illud legimus sæpe Christo tribui , sciamus Christum verum & æternum Deum esse.

II. *Quænam est lex Dei, de qua hîc loquitur ?* Lex Dei hoc loco,non opponitur Euangelio,sed complectitur omnem doctrinam Dei,& omne verbum Dei,scilicet , normam vitæ,promissiones & comminationes legis. Item , Euangeliũ,& Euangelij promissionem gratuitam,cuius encomion lege *Psalmo* 119. Breuiter. Lex Iehouah in genere est quicquid Deus loquitur in scripturis,in veteri & nouo testamento.

III. *Voluntas* hoc loco significat, non eam facultatem (scilicet potentiam liberam & expeditam) qua simpliciter eligimus quod placet, & auersamur quod displicet : Sed est talis facultas,qua non solum volumus simpliciter,quod bonum esse iudicamus,sed etiam ardẽtissime amamus,& cum

summa

summa animi voluptate expetimus, & in eo adepto oble-ctamur vehementer. Vir ergo iustus seu beatus, vult legem Dei, eaque oblectatur, quia bonam eam iudicat esse. Est enim bonum voluntatis obiectum proprium. Sed *Cur bona lex*? Quia ad summum bonum, nos quasi manu ducit, nempe ad Deum, vt ei fide & amore iuncti beati simus, & a summo malo nempe Diabolo, nos abducit, ne efficiamur sempiternum miseri. Cæterum, quoniam talis voluntas non potest esse a carne & sanguine, in hac corrupta natura, necesse est Prophetam hîc loqui de homine regenerato spiritu Dei, & sanctificato fide: Huius enim solius voluntas & voluptas summa est verbum Dei. Hinc est quod Dauid anteponit verbum Dei Vniuersæ gloriæ, omnibus voluptatibus carnis, & omnibus opibus mundi. Ita enim ipse ait *Psal.* 119. Melior mihi lex oris tui, super millia auri & argenti. Item: Quam dulcia faucibus meis, eloquia tua, super mel ori meo. Et: Testimonia tua, gaudium meum, & viri consiliarij mei. Item: Oblectabor in mandatis tuisque dilexi. Et causam apponit cum ait: Pax multa diligentibus legem tuam.

IIII. *Qualisnam debet esse meditatio legis Dei?* Nocturna & diurna. Pius enim homo in hoc totus incumbit & intentus est, vt verbum Dei legat, audiat, intelligat, cogitet, scrutetur, contempletur, iuxta illud credat, vitamque suam ad normam illius componat in gloriam Dei, idque cum in aduersis tum in prosperis. Philosophi commorantur in contemplationibus rerum. Christianus in contemplatione verbi Dei. Hactenus qualis sit homo, cui hîc promittitur beatitudo dictum est. Iam quænam beatitudo vera sit, & quæ eius causa videamus.

Psalm. 144. duplicem beatitudinem proponit. Vnam mundi, Alteram, quæ piorum propria est. Mundus in abundantia rerum, in bona valetudine, in tranquillitate animi collocat beatitudinem. Pij autem etsi bona illa in benedictionibus diuinis ponunt, & quum illis affluunt, prædicant Deum authorem: hanc tamen vnam solidam & veram beatitudinẽ præferunt, quod sint populus Dei, habeantq; Deum sibi fauentem & propitium, ac datorem vitæ æternæ. *Psal.* 146. Beatus cuius Deus adiutor eius, spes eius in Iehouah Deo ipsius. Verum illa mundi beatitudo etsi benedictio Dei

est, inconstans tamen est & temporaria, & habet multa admixta mala. Piorum autem, constans est & sempiterna.

Sed hic obiiciat aliquis. Beatus est qui nullo adiuncto malo bonis abundat. At pij in hac vita qui peccatis multis obnoxij sunt, & variis fortunæ casibus, qui huius mundi la queis tenentur, qui insidiis diaboli & membrorum eius expositi sunt, quomodo quæso possunt esse beati? Respondeo. Aliud est esse in via beatitudinis & habere ius beatitudinis, aliud venisse in possessionem beatitudinis. Qui sunt in via ad beatitudinem, dicuntur beati respectu prioris status, in quo sub peccato, ira Dei, iure mortis & damnationis erant. Nunc autem sunt liberati a peccato, ira Dei, iure mortis & damnationis, & habent Deum propitium, adiutorem & pro tectorem, qui ipsos, modo sua culpa a via recta in qua sunt non deflexerint, beabit verissime suo tempore: hoc est post emigrationem animæ a corpore: & perfecte tandem post resurrectionem corporum. Tunc enim abundabunt summo bono, fruitione nempe Dei: nullo adiuncto malo aut metu mali. Atque ita discernendum est inter ius & possessionem beatitudinis. Ius habemus donec recta ad beatitudinem tendimus: possessione gaudebimus in vita æterna.

Sed quænam est causa huius beatitudinis? Discernendum est accurate inter causam veræ beatitudinis, & beatorum quali tates, conatus, studia & actiones, qualia in hoc Psalmo descri buntur, & alibi. Causa itaque veræ beatitudinis *Psalm.32.* his verbis exponitur. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputauit Dominus Iehouah peccatum. Causa ergo veræ beatitudinis est remissio peccatorum, propter meritum Christi, quem fide apprehendimus in vera pœnitentia. Beati omnes ait *Psal.2.* qui confidunt in eo. Credenti enim non imputatur peccatum quod ipse fecit, sed Christi iustitia, qua iustus & beatus apparet in conspectu Dei. Verum, quoniam fides hæc qua apprehendimus Christum, & accipimus remissionem peccatorum, cum iusticia Christi, mater est vniuersalis obedientiæ, ex fide recte concluditur obedientia, & ex obedientia fides, & ex vtrauis beatitudo. Vt, Dauid credit, ergo diligit, Declinat a malo & facit bonum. Et Dauid declinat a malo & facit bonum, igitur credit, Dauid credit, ergo beatus.

beatus. Beatus ergo habet remissionem peccatorum. Item: Dauid declinat a malo & facit bonum, ergo est beatus iuxta regulam: Quando plura depēdent pariter ab vna eademque causa, valet consequentia, & a causa, ad pariter dependentia, & a dependentibus singulis ad causam, & a dependentium quouis, ad quoduis aliud, idque tum affirmatiue tum negatiue. De peccatrice, *Luc* 7. dicitur: Multa sunt ei remissa peccata, quia dilexit multum. Hic nec dilectio mulieris, est causa remissionis peccatorum, nec remissio peccatorum est causa dilectionis simpliciter. Sed fides vtriusque causa est. Verum quia pariter dependent dilectio & remissio peccati a fide, valet consequentia a dilectione ad remissionem peccatorum, & rursus a remissione peccatorum ad dilectionem, quia hæc duo pariter a fide dependent. Hæc regula obseruanda est, ne perperam cum Papistis, ex effectis causas, & ex causis effecta faciamus. Habemus ergo cur Dauid pronuntiat beatos, qui relicta societate impiorum lege Dei oblectantur. Nam hæc pariter dependent a fide, quæ est causa beatitudinis. Vtitur autem scriptura hac loquendi forma, ne quis spectro fidei, more hypocritarum, se fallat.

Cæterum quia hypocritæ multa faciunt, quæ in speciem videntur bonæ arboris fructus esse, vt pharisæus Euangelicus, tenenda est hæc regula: Qui facit multa laudabilia in se, & depræhenditur indulgere sibi in aliqua re, vt sciens & volens aliquid exprese prohibitum faciat, scito ipsius relligionem vanam esse: nam in viis Domini non ambulat, sed operatur iniquitatem. Regula enim hæc Dauidis est *Psalm*. 119. Non operantur iniquitatem, qui in viis Domini ambulant. Item: Tunc non confundar cum respexero ad omnia mandata tua. Est proinde vera obedientia erga Deum vniuersalis & copulatiua, & instar catenæ connexa, quemadmodum ex sequentibus rationibus manifestum est.

Prima.

Vnus, idemque Deus, super omnia diligendus, totius legis obedientiam pariter postulat. Qui ergo legislatorem diligit, vt omnia imperata facere, ita omnia interdicta cauere conatur. Nihil enim negligi potest, sine legislatoris contemptu: proinde obedientia copulatiua est.

Secunda.

Cum Filius Dei affirmat ſecundum præceptum de dilectione proximi, ſimile eſſe primo, de dilectione Dei, ſignificat partes dilectionis ita connexas eſſe vt ſeparari non debeant. Ex quo ſequitur copulatiuam debere eſſe obedientiam. Ideoque Paulus *Rom.* 13. ait, Qui diligit alterum, legem impleuit, ſcilicet, ſecundum partes legis, vt Paulus ait, Nam ſecundum gradus partium, nemo in hac vita legem impleuit, præter vnum Ieſum Chriſtum.

Tertia.

Cum Iacobus ait: 2. Qui labitur in vno, omnium reus eſt, indicat connexum eſſe reatum totius legis, quare & obedientia connexa erit. Neque tamen hinc ſequitur reatum eſſe parem, aut peccata eſſe paria. Non enim pari pœna puniuntur.

Quarta.

Tunc non confundar, inquit Dauid, cum reſpexero ad omnia mandata tua *Pſalm.* 119. Qui ergo vnum aliquod mãdatorum volens negligit, confunditur coram tribunali Dei. Eſt proinde obedientia copulatiua.

Quinta.

Spiritus fidei, non poteſt ſibi contrarius eſſe. Cum ergo ſpiritus fidei hominem totum Deo ſubiicit, vniuerſalem profecto, & copulatiuã obedientiam poſtulat. Et quoniam fides operatur per charitatem, id eſt, agit quicquid ſuadet charitas iuxta normam iuſticiæ, quæ eſt lex Dei, fieri nõ poteſt, vt vllum præceptum prætermittat, cum omnia ex charitatis fonte fluant.

Sexta.

Neceſsitas conſeruandæ bonæ conſcientiæ requirit vniuerſalem obedientiam. Qui enim ſciens & volens facit aliquid contra voluntatem Dei, conſcientiam vaſtat, fidem amittit, & mandatum dilectionis tranſgreditur. Ideo Paulus ait: 1. *Tim.* 1. Milita bonum certamen, retinens fidem & bonam conſcientiam, qua quidam amiſſa, naufragium fidei fecerunt.

Septima.

Finis iuſtificationis ex fide in hac vita eſt ſanctificatio, ſeu no-

ſeu nouitas vitæ *Rom.6.* quæ nouitas facit, vt declines a malo & facias bonum: hoc eſt, vt renunties Diabolo & eius operibus & ſeruias Deo in iuſtitia & ſanctitate vera. Hæc ſeruitus recta non eſt, nec placet niſi iuxta normam totius legis fiat. Erit igitur obedientia Deo grata copulatiua, ita vt omnes partes legis complectatur & nullam excludat. Has ſeptem rationes opponamus iis qui ſuos prauos affectus ſecuti, putant ſe pios & relligioſos eſſe, ſi Deo in pleriſque, vt illi aiunt, obediant, & interim ſibi in nonnullis propter ſua commoda & lucra indulgeant, cogitantes ſe aliquando reſipiſcere velle, quando ſuis affectibus ſatiſfecerint. Quorum vanitas omnino damnanda eſt.

SECVNDA PARS.

3. *Et erit tãquam lignum vel arbor plantata iuxta riuulos aquarum, quæ fructum ſuum dabit in tempore ſuo. Et folium eius non marceſcet, & omne quod faciet proſperabitur.*

4 *Non ſic impij, ſed tanquam palea quam diſpellit ventus.*

HI duo verſus conferunt iuſtum & impium, in ſtudiis contrariis, conatu & ſucceſſu in hac vita. Idque admodum aptis ſimilitudinibus. Iuſtũ enim palmæ arbori, vt ex periphraſi manifeſtum eſt: Impium verò paleæ ſeu glumæ confert. *Pſalm. 92.* ſine periphraſi iuſtum palmæ comparat cum ait: Iuſtus vt palma florebit. Hic *Primo* notandum eſt, quod Dauid non comparat iuſtum arbori vt primum natæ ex ſemine, ſed tranſplantatæ in aliud ſolum. Qua re ſignificatur, quod prima noſtra natiuitate, quæ ex corrupto eſt ſemine, ſit vitioſa & corrupta, vt opus ſit noua natiuitas, quæ fit dum inſerimur Chriſto, tanquam ſurculi, & plantamur manu Dei, in domo Dei, iuxta dictum *Pſalmi 92.* Plantati in domo Domini, florebunt. Vt ergo arbor Palma plantata ad riuulos aquarum, ſemper viret, floret, ſuo tempore fructificat, & onus impoſitum ſuſtinet: Ita homo iuſtus, qui tranſplantatus, id eſt de nouo plantatus eſt in Chriſto Ieſu, irrigatus gratia ſpiritus ſancti, ſemper viret, floret, & ſuo tempore fructificat, nec mole ærumnarum preſſus abiicit confeſsionem. Ex fide enim obedientiam dulciſsimum fru

ctum profert, gratum Deo & hominibus. Et in fide & obedientia perseuerat vsque ad finem, ex quo fit vt quicquid hic faciat aut patiatur, prospere succedat, iuxta regulam: Omnia diligētibus Deū cooperantur in bonū *Rom*. 8. adeò vt etiam mors iusti sit pretiosa in conspectu Dei, vt Abelis, Esaiæ, Stephani, & aliorum martyrum Christi, quorum confessio in extremo vitæ halitu, sacrificium Deo longe grauissimum erat.

Impium autem confert paleæ seu glumæ, quæ, cum frumentum per agricolam ventilatur, vento dispellitur, quo frumentum purgatum & in vnum locum collectum conseruetur, abiecta palea inutili. Oseas ad eundem modum cap. 13. dicit peccatores perituros sicut gluma turbine rapta de area dispellitur. Huc etiam Ioannes Baptista allusisse videtur *Math*. 3. vbi in hunc modum de Christo loquitur. Cuius ventilabrum in manu ipsius, & permundabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem exuret igni inextinguibili. Hæc comparatio incitet pios ad perseuerantiam in fide & obedientia, admoneat etiam pios vt cito resipiscant, terrorem incutiat improbis, qui bus pœnas ęternas comminatur: vnumquēque ad examen sui ipsius vocet, vt exploret an sit inter arbores fructiferas in domo Domini plantatas, aut paleas comburēdas, necne?

TERTIA PARS.

5 *Ideo non surgent impij in iudicio, & peccatores in societate iustorum.*

HIC exitū & finem iustorum, & impiorum describit: in quo vt iustorum fœlicitas æterna, ita impiorum miseria sempiterna declarabitur, videlicet in iudicio Dei. Est autem iudicium Dei, constans sententiæ diuinæ in verbo reuelatæ executio, cum in puniendo, tum in miserendo, & est duplex. *Vnum* quod quotidie exercet, nunc occulte, nunc aperte. *Alterum* extremum, de quo hic Psalmi locus intelligendus est. Nam filius Dei constitutus iudex viuorum & mortuorum, quemadmodum in Symbolo profitemur, venturus ad iudicium excitatis mortuis omnibus reddet iustis quidem beatitudinem, solidam & veram, ex gratia, fidei & obedientiæ suæ mercedem. Impiis vero sempiternam miseriam, suæ diffidentiæ & contuma-

ciæ mercedem, ſine omni ſpe veniæ, & mitigationis pœnarum. *Matth.25.* Quod autem hunc verſum ad extremum iudicium refero, in quo ſeparabuntur hœdi ab agnis, & impii remouebuntur a ſocietate iuſtorum, hanc rationem habeo. Non eſt dubium Prophetam voluiſſe plene deſcribere beatitudinem iuſtorum, & miſeriam impiorum. Quæ ſane deſcriptio plena non eſſet, ſi hæc intelligerentur, de ſucceſſu in hac vita tantum. Recte ergo perpendamus verba Prophetæ. Non dicit, Impii non reſurgent ad iudicium, ſicut Origenes intellexit hunc locum. Nam omnes vere reſurgent ad iudicium boni & mali, & ſiſtentur coram iuſto iudice Chriſto. Sed dicit, Impii non ſurgent in iudicio, id eſt cauſa cadent & non ſtabunt cum iuſtis in iudicio. Sed oppreſsi hac iudicis ſententia: Ite vos maledicti in ignem æternum, confundentur. Atque ita ſeparati a ſocietate iuſtorum, ſemper miſeri erunt. Nam triplici reatu cõſtringuntur, videlicet reatu naturæ communis, ob lapſum primorum parentum, contumaciæ aduerſus legem Dei, & contemptus Dei, qui omnium reatuum maximus eſt.

Porro diſcrimen inter impium & iuſtum, quoties inter ſe opponuntur, hoc obſeruandum eſt. Vt impius dicitur, cum is qui relligionem nullam aut falſam habet, vt Epicurei, Ethnici, Hęretici, ex quo fit vt veram relligionem & eos qui eam retinent perſequantur, tum is qui moribus eſt inquietus, concupiſcentiis carnis indulgens, & proæreſi malus, etſi interdum quædam vtilia & laudabilia facit: Ita iuſtus eſt, cum is qui veram relligionem habet amatque, ex quo fit vt a conſortio impiorum abhorreat, & ſe ſocietati piorum adiungat, tum is qui moribus eſt ad normam verbi Dei compoſitus, concupiſcentiis carnis repugnans, & proæreſi bonus, &, ſi interdum ex infirmitate & incogitantia labitur, mox ſe in rectum vitæ curſum erigit. Hic alias in ſcripturis *Sanctus* dicitur, propterea quod ſegregatur a prophanitate mundi, applicatur aræ Chriſto per fidem, & fit oſtia Deo grata, per Ieſum Chriſtum. Cuſtodi (inquit Dauid *Pſalm.86.*) animam meam, quia ſanctus ſum, ſaluum fac ſeruum tuum Deus meus, ſperantem in te. Hęc volebam adiicere, ne quis iuſtum intelligat hominem perfecte & abſolute implentem legem Dei, qualis nullus in orbe fuit, poſt lapſum primorum parentum, præter vnum Ie-

ſum Chriſtum. Sic enim Dauid inquit. Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. *Pſalm.* 143.

QVARTA PARS.

6. *Quoniam nouit Dominus viam iuſtorum, & via impiorum peribit.*

Ratio vtriuſque eſt, videlicet fœlicitatis iuſtorum & miſeriæ impiorum. Quoniam (inquit) nouit Iehouah ideſt approbat fidem & obedientiā iuſtorum, quæ illorum via eſt in hac vita quæ ducit ad ſalutem. Et via impiorum peribit, id eſt, Iehouah non nouit viam impiorum, id eſt reprobat impiorum infidelitatem & contumaciam quæ eſt illorum via ducens ad interitum. Nam quum dicit, *Via impiorum peribit.* Senſus eſt: Impij peribunt in ſua via, quæ eſt mendacii & iniquitatis. Hic notetur quid ſit via in ſcripturis. Via in ſcripturis quum de homine agitur, eſt ſuus cuiuſque viuendi agendique mos, ſiue bonus ſiue malus: Metaphora a viatoribus ſumpta. Vt enim viator ingreſſus viam, tendit ad locum aliquem tanquam metam profectionis ſuæ: Ita homines viuendi agendique ratione, tendunt ad metam vitæ æternæ vel mortis æternæ, illa ingrediuntur iuſti hac impii. Vt ergo qui aliquo tendit, cauere debet, ne erret, ne labatur, aut cadat, ne deficiat: Ita iuſtus caueat ne a via verbi aberret, ne cadat in via ſub onere peccati, ne deficiat ſegneſcens. Opus eſt ergo timore Dei, qui nos in via continet, & a caſu liberat, & ne deficiamus iuuat. Via Dei, eſt vſitatus Dei agendi modus ſeu mos. Item viuēdi ratio homini a Deo præſcripta, quæ & via hominis dicitur, dum in ea ambulat, vt in *Pſalm.* 119. Non operantur iniquitatem, qui in viis eius ambulant. &, Vtinam dirigantur viæ meæ, ad cuſtodienda ſtatuta tua.

Vſus Pſalmi primi.

Porro vſus huius Pſalmi erit: Precari Deum Patrem, vt nos in Filio ſuo ita regeneret, & iuſtificet

ſtificet vt verbum Dei, humanæ gloriæ omnibus opibus & voluptatibus hominum anteponamus, & in eo oblectemur, quo efficiamus arbores ſucci plenæ, vites fructiferæ in gloriam Dei. Vtque ita in via fidei & obedientiæ vſque ad finem vitæ progrediamur, vt tandem promiſſam beatitudinem conſequamur per Chriſtum Ieſum.

PSALMVS SECVNDVS.

Summa Pſalmi ſecundi.

DAVID *poſt multos exhauſtos labores in ſtabiliendo regno Iſraelitico, ſubiugatis vicinis gentibus & redactis etiam in ordinẽ decem tribubus, quæ illi diu reſtiterunt, oculo prophetico intuetur Chriſtum & regnum Chriſti (Nam vt rex Dauid typus erat Chriſti regis, ita externum illud regnum, Chriſti regnum figurabat) & analogice de Chriſto & eius regno in hoc Pſalmo vaticinatur. Proinde ſumma Pſalmi hæc eſt. Quemadmodum Dauidem & regnum Dauidis impugnarunt, non ſolum vicinæ gentes, ſed etiam ipſius incolæ, nempe, decem tribus: quorum tamen conatus, ſic Deo ordinante irritus eſt factus. Ita futurum eſt vt Chriſtum & regnum Chriſti ſint oppugnaturi, non ſolum gentes, verum etiam populus qui ſe Dei populum eſſe gloriatur. Sed irriti erunt eorum labores Deo Patre excitante a morte Filium, & collocante*

eum super ecclesiam regem, in quo qui confidunt beati erunt. Quod autem Psalmus hic sit Dauidis, testis est Petrus, & quod sit de Christo eiusque regno intelligendus, testatur spiritus sanctus Acto. 4 & 13. Hebr. 1 & 5. Apocal. 2. & 19. Et Apostoli propriissime Psalmum hũc accõmodant historiæ Christi, in qua Pilatus, Herodes, & ex populo Pharisæi & sacerdotes Christi regnũ abolere conati sunt. Est tamẽ iuxta regulam supra traditam in genere accommodandus omnibus hostibus Christi & Ecclesiæ omnium temporum, quibus inuitis stabile manebit Christi regnum, quod est Ecclesia.

Ordo & dispositio Psalmi secundi.

Hic Psalmus Dramaticis similis est. Non enim vnius personæ continuam orationem continet, sed introducit varias personas loquentes, quarum tamen supprimit nomina: quæ res facit, vt obscurior videatur hic Psalmus, sed notatis personis introductis in hoc Psalmo, & collata prophetiæ cum euentu, sententia ipsa & planissima erit, & piis mentibus iocundissima.

In 1. & 2. versu Propheta ipse admirabundus loquitur, & in persona Ecclesiæ veluti triumphantis, interrogat, cur populi & gentes tanto tumultu conuolent, & consilia ineant aduersus Iehouah, & Christum eius? Quorum decretum & sententiam de non admittendis legibus Christi, de imperio eius non ferendo per Mimesin (qua ipsos suam sententiam proprio ore referentes facit) apponit in 3. versu. Atque hæc sit prima pars Psalmi.

Deinde in 4. 5. & 6. versibus Propheta rursus lo-

quitur

quitur ac vaticinatur Deum irritos facturum improborum conatus ac pœnas tandem sumpturum de contumacibus. Atque hæc sit secunda pars Psalmi.

Tum in 7. versu, Filius loquitur, breuiter exponens decretum Patris de regno suo stabiliendo per resurrectionem suam ex mortuis. Sit hæc tertia pars Psalmi.

Præterea in 8. & 9. versibus Pater loquitur, & promittit Filio petenti amplissimum imperium, ac victoriam super hostibus suis. Sit hæc quarta Psalmi pars.

Postremo in versibus 10. 11. & 12. Propheta rursus loquitur, & exhortatur reges & potentes mundi, vt Christo regi homagium præstent, alioqui perituri. Et simul addit Epiphonema, pronuncians beatos fore omnes, qui in hunc regem crediderint, & subindicans miseros fore omnes qui hunc regem aspernati fuerint. Est proinde hic Psalmus, si materiam spectes, partim propheticus & Didascalicus, partim exhortatorius: si finem, consolatorius.

EXEGESIS PSALMI SECVNDI CVM INDICATIONE doctrinarum.

Prima Pars.

1. *QVare fremuerunt gentes, & populi meditabuntur vanum?*

2. *Astabunt reges terræ, & principes consultarunt vna aduersus Iehouah, & aduersus Christum eius.*

3. *Dirumpamus vincula eorum, & proyciamus à nobis funes ipsorum.*

PRimi duo versus continent verba Dauidis, oculo prophetico tanquam rem præsentem intuentis insaniam mundi opponentes se Christo. Ponuntur ergo hic verba præterita & futura: pro verbis præsentis temporis. Est enim hic sensus: Quare gentes congregatæ adeo fremunt? Quare populi tam vana meditantur & loquuntur? Quare reges terræ, & eorum consiliarij vna assistunt & consilia capiunt aduersus Iehouah, & aduersus Christum eius regem cœlorum? quasi diceret. O quanta insania est, quod homines se Deo Regi cœlorum opponunt, quod perditi peccatores saluatorem, non solum non recipiunt, sed etiam omnia sua consilia eo conuertunt, vt ipsum e medio tollant, ac eius regnum aboleant. Quæ ingratitudo maior esse poterit? Inest ergo in verbis Dauidis vehementissima increpatio ingratitudinis, & tacita pœnarum comminatio. Sed

Quænam quæso huius tantæ insaniæ causa fuit? Opinio relligionis anticipata, qua nihil potentius, nihilque difficilius curatu esse solet: præsertim si longo tempore confirmata, maiorum authoritate approbata, & exemplis illustrium personarum roborata fuerit. Hinc gentes suam vanitatem veram relligionem putantes, & optimam esse contendentes, & Iudæi Mosis authoritate, etsi falso, se tuentes, vtrique Christo, qui & vanitates gentium & corruptelas Iudæorum taxabat, se opponunt, eumque e medio tanquam blasphemum tollere conati

re conati sunt, sed frustra. Eadem causa est cur multi se veræ relligioni opponunt. Quilibet enim conceptam opinionem de relligione mordicus tuetur, & se niti verbo Dei gloriatur, quemadmodum & nos facimus. *Quid* (inquies) *igitur faciendum in tanta opinionum varietate, quum omnes ad verbum Dei prouocant?* Verissimum est, verbum Dei vnicam esse regulam, ad quam relligiones sunt probandæ: Sed verbum Dei intellige recte intellectum, iuxta totius scripturæ consensum, ex collatione plurium dictorum de eadem re, ex consensione purioris Ecclesiæ. Hinc enim intelligitur, quæ vniuersaliter, quæ particulariter, quæ singulariter, quæ proprie, quæ figurate, secundum quid, & propter quid dicantur. Oportet (inquit Tertullianus) secundum plura pauciora intelligi. Et, ne vnus sermo alia multa subuertat, secundum omnia potius, quam aduersus omnia intelligendus erit. Huc sententia Hebræorum, quam citat Munsterus pertinet. Qui non aduertit, quod supra & infra in libris scribitur, is peruertit verba Dei viuentis. Breuiter. Omnis interpretationis fundamentum sit Symbolum Apostolicum in proprio verborum sensu acceptum: quod qui retinet incorruptum, verus ecclesiæ Dei ciuis est, & membrum Christi, etiamsi & ab hominibus omnibus, & ab angelis, vt Hæreticus damnaretur.

Porro cùm Dauid distribuit aduersarios Christi in gentes & populos. Gentes quidem intelligit eos, qui non erant de Iacob patriarcha nati. Per populos vero qui secundum carnem de Iacobi familia fuere, non autem secundum promissionem. Etsi autem hæc historice, vt diximus, Dauidi cõpetunt (huic enim vicinæ gentes & tribus decem de populo Iudaico se opposuerunt, ac variis consiliis conabantur Dauidis imperiũ abolere conatæ sunt) Secundũ veritatem tamen typo respondentem, Christo Domino optime & verissime congruunt, sicuti Petrus hisce verbis testatur. *Act.* 4. Domine Deus tu es qui fecisti cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sũt, qui per os Dauid pueri tui dixisti. Quare fremuerũt gentes, & populi meditati sunt inania? astiterũt reges terræ & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominũ & aduersus Christũ eius. Conuenerunt enim verè aduersus sanctũ tuum Filiũ, quem vnxisti (regem) Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Israel, vt facerent

quæcunque manus tua & consilium decreuerunt fieri. Atque ita videmus quomodo euentus prophetiæ & veritas typo respondeat. *Marc.* 3. dicitur. Abeuntes Pharisæi statim cum Herodianis consilium faciebant aduersus eum, quomodo eum perderent. *Iohan.* 11. Collegerunt principes Sacerdotũ & Pharisæorum consilium, & dicebant: Quid faciemus, quia hic homo signa multa facit? si dimittimus eum, omnes credent in eum. Caiphas autem sententiam consilii concludens, ait: Expedit vobis vt vnus moriatur pro populo, & non tota gens pereat.

Hic locus & docet, & monet, & consolatur Ecclesiam.

Docet irritos fore labores & deliberationes mundi cõtra Christum, & eius corpus quod est ecclesia. At (inquies) Multi prophetæ prædixerunt Christi mortem & persecutionẽ Ecclesiæ. Non ergo frustra videntur moliri esse hostes Christi aduersus Christum & eius ecclesiam? Respondeo. Hæc vox *in vanum*, seu *inaniter*, expectationem hostium Christi vanam fore indicat. Illi expectabant vt Christus occisus, maneret mortuus cum sua doctrina: sed hac sua expectatione frustrati sunt. Hæc ergo vox *in vanum* etsi obscure, Christum tamen fore victorem mortis per suam gloriosam resurrectionem, in qua & membrorum liberatio inchoata est, significat. Nã si non fuisset mortis victor Christus, ipsius hostes & victores non inaniter triumphassent. Cum ergo irritos fore prædicit Propheta eorum conatus, Christum victorẽ fore mortis affirmat. Atque ita hoc loco Dauid obscure victoriam Christi, per ipsius gloriosam resurrectionem, docet.

Monet hic locus quod Ecclesia seu Christus in suis membris, semper sit habiturus hostes, eosque in mundo potentissimos, videlicet multos reges, principes & eorũ consiliarios. Semper enim similis est sibi satan in suis membris, & semper Deus vult pios conformes fieri filio suo, quos olim statuit cum eo glorificare.

Consolatur hic locus nos & Christi exemplo, qui tandem gloriosus victor euasit, & communi Ecclesiæ sorte, quæ ideo hic cum Christo patitur, vt olim cum illo glorificetur. Opponamus igitur momentaneæ huius mundi afflictioni, æternum gloriæ pondus, & cum Dauide in medio afflictionum, in spiritu triumphemus. spes enim nostra, non confundit sperantes.

Tertius versus in quo futura pro imperatiuo ponuntur, conclusionem consultationum hostium Christi habet. Dirumpamus vincula eorum & proiiciamus a nobis funes eorum. Per *Vincula* leges, per *Funes* imperium intelligamus. In secundo versu nominat Iehouah, & Christum eius. In hoc tertio simul complectitur membra Christi, nempe Apostolos & alios Euangelij Christi præcones, quos cum Iudæi, tum alij Tyranni persecuti sunt vt videre est in actis Apostolicis, & Ecclesiæ historia omnium temporum. Typus autem & ἀντίτυπον hoc est, veritas vmbræ respondens hoc modo conferuntur. Quemadmodum olim Palæstini & Saulis fautores post mortem ipsius, excutiendum esse imperium & iugum Dauidis dolo & vi statuerunt: Ita mundipotentes cum suis consiliariis, statuunt Christi imperium prorsus abolere, propterea quod Euangelium vincula & funes esse definiunt, quibus constringuntur, ne suis affectibus secure indulgeant. En quale iudicium mundi sit de Euangelio & Christi regno: putat graue & minime ferendum iugum esse, quo tamen filiis Dei nil iocundius est aut suauius. Non sentit miser onus peccati quo premitur, & sub quo tandē miserrime peribit. Tanta est insania mundi & peruersitas, vt tanquam phreneticus salutaria remedia aspernetur, & medicum violenter inuadat. Nos ergo Patrem Christi audiamus, qui dicit *Matth.* 17. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, hunc audite. Nos filium Patris audiamus, hac voce inuitantem nos omnes ad salutem *Mat.* 11. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Item: Tollite iugum meum super vos, & discite a me, quod mitis sim & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum facile est, & onus meum leue est. Est proinde vox Euangelij non seruitutis, vt hostes Christi existimant, sed libertatis vox.

SECVNDA PARS.

4. ***Habitans in cœlis ridebit, & Dominus subsannabit eos.***

HIc rursus in 4. & 5. versibus Propheta loquitur, & Deum Patrem, in 6. loquentem introdu-

5. *Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo perterrebit eos:*

6. *Et ego vnxi regem meum, super Syon montem sanctum meum.*

cit, & causam reddit cur hostes Christi vanitatis arguat. Et concluditur eorum vanitas hoc argumento: Omnis labor hominũ versantium in terra, vel potentissimorum, susceptus aduersus Deum habitatorem cœlorum, erit vanus & irritus: Labor gentium & Iudæorum aduersus Christum & eius regnum, suscipitur contra habitantem in cœlis: Ergo eorum labor irritus erit & vanus. Ridetur enim iuste eorum impietas, dum quod se obtinuisse sperant, amittunt. Manebit ergo rex Christus, & manebit ipsius Ecclesia, vel inuitis portis inferorum. Hoc fundamento nititur articulus fidei nostræ. Credo Ecclesiam sanctam, sanctorum communionem.

Hinc nos doctrinam, admonitionem & consolationem hauriamus.

Doctrina verbis expressa est, videlicet, quod Christi Ecclesia non possit potentia Diaboli & Tyrannorum mundi deleri, iuxta promissionem Christi. portæ inferorum non præualebunt aduersus eam. *Admonitio* est, vt si sapimus, submittamus nos Christo, & eius Ecclesiæ nos adiungamus, fide, obedientia & confessione. Nam si nos hostibus Christi coniungimus, olim cum iis pœnas iustas dabimus. *Consolatio* est, quod etiamsi mundus, nos qui Christi membra sumus, persequitur, futurum est tamen vt tandem victis hostibus triumphemus: Christo potenter, aduersus Diabolum & eius membra, ecclesiam suam defendente. Sententiam Prophetæ tenemus, iam verba expendamus.

Habitans (inquit) *in cœlis ridebit, & Dominus subsannabit eos.* Cum Propheta Deo risum tribuit ἀνθρωποπάθεια est, quæ scilicet est figura, qua Deo affectus tribuuntur. Vt ex naturæ nostræ consuetudine, sciamus quale iudicium in impios diuinæ voluntatis sit. Vt si nos videremus pulicem se opponere prægrandi aquilæ, rideremus certe pulicis conatũ stultum. Sententiam enim eandẽ bis immediate hic exponit, mutatis nõ nihil verbis, idq; cõfirmationis maioris

gratia. Quoties enim eadem ſententia in ſcripturis immediate repetitur, maioris aſſeuerationis cauſa id fit in hunc finem, vt fides in homine magis augeatur, & non ſuccumbat tentationibus, quas mundus caro & ſenſus obiiciunt. *Primum* ergo Propheta hic vult nos cogitare collationem inter partes aduerſas: Vt inde & æſtimemus quanta ſit vanitas mundi opponentis ſe Christo eiuſque Euangelio, vt fiduciē concipiamus de proſpero ſucceſſu & læto exitu Eccleſiæ.

Partes aduerſæ ſunt, Deus, habitator videlicet cœlorum, qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt. Et, Homines terram incolentes, qui reſpectu Dei nihil ſunt, niſi mera vanitas. Quare non poteſt fieri, vt homines puluis & cinis impedire poſſint, quod Deus habitator cœlorum ſtatuit & vult firmum eſſe. Atque ideo ridet temeritatem, peruerſitatem, vanitatem conatuum, & ingratitudinem ſtultorum hominum, qui Gigantum more Deo bellum inferre non verentur. Quæ enim maior temeritas mentis eſſe poteſt, quam cæcæ rationis ductum ſequi in conſtituenda relligione? Quæ peruerſitas voluntatis damnabilior, quam malum bono, Diabolum Deo, mortem vitæ, infernum cœlo, ſempiternam miſeriam fœlicitati æternæ anteponere? Quæ maior vanitas eſſe poterit, quam velle ſuis viribus impedire id quod Deus vult manere & quotidie perficere? An non deteſtanda ingratitudo eſt beneficia Meſſiæ gratis oblata furioſe aſpernari? Non eſt ergo mirum Deum habitatorem cœlorum ridere tam ſtultorum hominum in terris repentium veſaniam, atque malitiam. Cum hic Deus dicitur habitator cœli.

Quæritur quid hic cœlum ſignificet? & cur dicatur Deus habitare in cœlis? cum ſit vbique. Quemadmodum ſcriptura in multis locis teſtatur.

Reſpondeo.

Cœlorum nomine, hoc in loco, & alibi, vbi Deus dicitur in cœlis eſſe, vel habitare, abſque omni dubio ſignificatur extremum cœlum, omnibus cœlis viſibilibus ſuperius, in quod Chriſtus aſcendiſſe creditur, iuxta Symbolum, quod a Paulo vocatur tertium cœlum, 2. *Cor.* 12. & lux inacceſſa 1. *Timot.* 6. Et tametſi Deus vbique eſt, tamen dicitur in cœlis habitare propter has cauſas. *Prima.* Vt cogitantes de Deo,

mentes nostras, extra hunc mundum euehamus, nec quicquam humile aut carnale aut comprehensibile de illo sentiamus. *Secunda.* Quia cœlum dignissimus locus est, vbi sit regia principis omnium & thronus maiestatis ipsius, iuxta illud *Psalmi* 103. Dominus in cœlo parauit thronum suum. Vbi videlicet Christus sedere ad dexteram Patris dicitur. *Hebræ.*1. Sedit ad dexteram maiestatis in cœlis, tametsi cum patre & spiritu sancto vbique adest. *Tertia.* Quia illic parata est beatitudinis nostræ sedes, cum Christo & electis omnibus. *Quarta.* Vt illic versemur mente & corde, vnde & saluatorem expectamus *Philipp.* 3. & vbi cum Christo perpetuam & beatam vitam viuemus. Ita enim Paulus ait: Nostrum πολίτευμα est in cœlis, vnde expectamus saluatorem nostrum Dominum Iesum Christum. *Tunc loquetur ad eos in ira sua.* *Tunc*, id est, suo tempore diuinitus constituto. Optime enim sapientissimus nouit quid quoque tempore sit agendum, vt omnia ipsius gloriæ seruiant. Nobis autem euentus tempus indicat, quo videlicet Romani sumpserunt de Iudæis supplicium per Titum Vespasianum. Nam postquam Dominus tempus pœnitentiæ 40. annorum illis concessisset, & resipiscere noluissent, venit per Romanos & perdidit Iudaicam gentem. *Loquetur*, inquit, *ad eos in ira sua, & in furore suo perterrebit eos.* Bis idem inculcat, vt significet incredulos Iudæos, & alios hostes Christi & Euangelij, nequaquam pœnas euasuros esse. *Loqui in ira*, est vindicare & punire. Dei enim loqui, facere est. *Discrimen inter iram Dei, & furorem in scripturis, hoc est.* *Ira*, progreditur tardius ad vindictam: cuius rei causa est benignitas Dei, ad pœnitentiam peccatorem inuitantis, finis, salus peccatoris, si resipiscat: sin minus, supplicium æternum. Vterque hic finis destinatur gloriæ Dei. *Furor* mox vindicat & punit: cuius rei causa est iustitia diuina: finis: iusta pœna contumacis, & gloria Dei. Siue enim Deus miseretur, siue punit, in ipsius gloriam cedit. Liberat Israelem ex Ægypto, & liberatio eius cedit Deo in gloriam: Punitur Pharao, & pœna eius cedit itidem Deo in gloriam. Tametsi autem Deus non perturbatur affectibus, vt qui commutetur, tamen ira & furor illi tribuuntur, propter effectum iudicii diuini in hominibus, qui ipsius legibus sese opponunt. Est ergo ἀνθρωποπάθεια quę comparatione quadam nos docet, qualenam sit iudicium Dei in peccatores,

catores, qui ſecure in peccatis ſuis perſeuerant.

Sequuntur verba Patris de Filio.

Et ego vnxi, ſiue vngendo ordinaui, ***regem meum ſuper Syon montem ſanctum meum.*** Hæc oratio Patris cœleſtis delibera-tioni gentium & populorum recuſantium imperiũ Chriſti opponitur. Illi quidem de liberant de abiiciendo iugo Chri-ſti. Deus pater contra pronuntiat ſe Ieſum vnxiſſe, & ordi-naſſe regẽ ſuper Syon mõtem ſanctũ ſuum. Opponit igitur conſilium Dei, conſilio humano: factum Dei, temeritati ho minum: Ius Dei, contumaciæ ſtultorum hominum. Vt e-nim Deus ſtatuit, ſic fecit: idque optimo iure. Non enim in-uaſit aliena, ſed ſuper Syon ſanctum *ſuum* montem regem ordinauit. Iam vero cum non eſt ſapientia, non eſt pruden-tia, non eſt conſilium aduerſus Dominum, quid faciunt qui illi aduerſantur? nonne in vanum laborant? Dicit enim i-pſe: (vt eſt apud Prophetam *Eſa. cap. 66*) Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet.

Collatio typi & antitypi hæc eſt.

Vt olim Deus Dauidem ſuper Syon montem ſanctum ſuum, inuitis hoſtibus, gentibus, & decem tribubus regem conſtituit. Ita idem Deus regem ſuum Ieſum ſuper Syon, id eſt, Eccleſiam vnxit. Syon enim, vnde prodiit vox Euange lij, qua colligitur Eccleſia, typus Eccleſiæ, id eſt, regni Chri ſti fuit. Porro *Vnctio*, cuius hîc meminit, ad humanitatem Chriſti proprie pertinet: Etſi per communicationem idio-matum ad totam perſonam recte refertur. Hunc enim Ie-ſum verum hominem vnxit Pater in regem & ſacerdotem ſuam ſuper eccleſiam. De qua vnctione Dauid *Pſalm.* 45. lo-quitur cum ait: Dilexiſti iuſtitiam, id eſt, miſericordiamque eſt ex iuſtitia, & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus tuus oleo læticiæ præ conſortibus tuis, id eſt, O Chriſte Deus, te Deus, tuus Pater vnxit ſpiritu ſancto vberrimo fon te læticiæ. Vnxit autem te hoc oleo pretioſiſſimo, longè v-berius quam cæteros filios ſuos, qui ſunt conſortes & cohe-redes tui. Iis enim ſpiritus ſancti vis finite communicatur, ſeu ad menſuram. In te vero copioſiſſime largiſſimeque ef-fuſa, totum tota repleuit. Sic enim Baptiſta ait: Non enim ad menſuram dat Deus ſpiritum ſanctum Filio ſuo Ieſu,

Sed cur tam copiose effudit in eum spiritum sanctum Pater? Vt de eius plenitudine omnes accipiamus, singuli pro mensura fidei. *Typus* huius vnctionis spiritualis fuit externa vnctio regum & sacerdotum in populo Israelitico, quæ externa vnctio Symbolica erat. Olei enim vis externa in corpore, efficaciam spiritus sancti in anima adumbrat. Nam vt oleum lucet, nutrit, roborat membra fessa recreat, mitigat dolorem vulnerum, faciem exhilarat: Ita spiritus sanctus sua gratia animam illuminat cæcutientem, nutrit esurientem, roborat languidam, defatigatam recreat, dolorem conscientiæ mitigat, faciem animę exhilarat, scilicet, in conscientia.

Hic iuxta notetur confessio Dauidis de Christo. In hoc sexto versu agnoscit illum verum hominem esse: vnctio enim ad humanitatem Christi proprie refertur. In Epiphonemate Psalmi, eundem verum Deum fatetur, & in sequenti etiam versu cum dicit, *Beati qui confidunt in eo.* Per totum Psalmum ipsum vnum regem prædicat, quod est testimonium vnitatis personæ. Atque hunc regem beatum efficere suum populum prædicat. Congruit ergo hæc confessio Dauidis cum nostra, qui Iesum Christum, verum Deum, verum hominem, vnam personam, & vnicum mundi saluatorem profitemur. Hic consensus mirum in modum fidem piorum roborat.

TERTIA PARS.

7. *Narrabo decretum: Iehouah dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te.*

Filius prodiens ex sinu Patris mundo patefecit voluntatem & æternum Patris decretum, de redemptione generis humani: quod decretum mutari non potest. Scriptum est in *Psalm.*33. Consilium Iehouah in æternum manet, & cogitationes cordis eius in generationem & generationem. Non est ergo quod quisquam existimet diabolos & homines hostes Dei posse Christi regnum abolere. Deus enim facillime dissipabit consilia, & irritas faciet cogitationes hominū opponentium se eius decreto. Cum dicit *Narrabo seu recensebo decretum*, se sacerdotem & Doctorem a Deo Patre constitutum fatetur: Et quod ipse per Apostolos fecit, post resurrectionem sibi vendicat, vt verus author. Apostoli enim legati Chri-

ti Christi post resurrectionem testati sunt de ipsius gloria, videlicet, quod vere sit filius Dei, non adoptione, sed natura, id quod ipsius gloriosa resurrectio conuincit. Quod autem hoc dictum: *Ego hodie genui te*, ad æternam natiuitatem filij a patre non pertineat, ordo ipse Prophetiæ ostendit. Est enim pars prophetiæ in qua pronuntiatur modus, quo irritos facit Deus conatus hostium Christi: quasi diceret. occident quidem Christum ipsius hostes, sed tertia die resurget a mortuis, quare frustrabit hostium suorum conatus. Hæc huius versus interpretatio confirmatur & Scripturis & patrum testimoniis. Paulus *Acto*. 13. probat hoc Dauidis dicto resurrectionem Domini a mortuis. Ita enim ait: Nos vobis Euangelizamus quoque eam promissionem, quæ ad patres nostros est facta, quoniam hanc Deus adimpleuit nobis, filiis eorum, resuscitans Filium suum Iesum Christum, vt etiam in *Psalmo* 2. scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Idem ad *Roma*. 1. ait, Declaratus est Filius Dei in potentia, eo quod resurrexit a mortuis. Idem ad *Coloss*. 1. pronuntiat Christum primogenitum ex mortuis. Huc illud quod Euangelista Ioannes ait: Conspeximus gloriam eius, gloriam tanquam vnigeniti a patre. Non est ergo dubium, quin Dauid hic sit vaticinatus de resurrectione Christi a mortuis: per quam & hostium ipsius conatus sunt irriti declarati, & ipse vere declaratus est filius Dei, victor mortis, inferni, & diaboli. Cum ergo dicit: *Ego hodie genui te*, intelligamus non respectu Patris & Filij simpliciter. Nam a patre filius ante secula natus est: sed respectu hominum, quibus declaratus est Filius Dei in carne assumpta, idque per gloriosam suam resurrectionem.

Theodoretus ait in hunc ipsum Psalmum: Hanc vocem, Ego hodie genui te, nemo, modo spiritus sancti doctrinæ credat, diuinitati Christi applicabit. Cuius rei rationem Hilarius reddit his verbis in hunc Psalmum. Cum ante tempora filius Dei natus a patre vnigenitus filius Dei maneat, nec conueniens nec consonans esse intelligitur, vt in die genitus sit, cum dies omnis in tempore sit: tempora enim secũdum perscriptã nobis a Mose cognitionem in hunc suũ motum atq; cursum ab origine seculi, & cõstitutione dimensa sunt. Cũ per momẽta & horas & menses & annũ reuolubili

in se successione discreta sint, institutumque est tempus ex tempore, quia omnia tempora, mutua temporum constitutio & gignit & terminat, atque ob id dies in tempore est per quem tempus vniuersum & inchoatum definit, & desinens inchoatur. Vnigenitus vero Dei Filius, vt Dei verbum est, ita & Deus erat verbum, non cum temporibus est, sed ante tempora. Non in aliquo, sed ante omnia est. Erat enim cum tempora facta sunt, quippe qui ea fecerat. Erat ergo semper. Non est definitus in tempore, non subiectus in numerum, sed per quem est eorum quæ & sunt & esse dici possunt origo. Ipse ille ex infinitæ æternitatis suæ ortu vt ab æterno genitus est, persistit. Vt igitur dicti prophetici quo ait: Ego hodie genui te, ratio possit intelligi, adhibenda est nobis Euangelica & Apostolica authoritas, vt vel Prophetam de Apostolo, vel Apostolum de Propheta intelligamus. Et post longam scripturarum collationem ex Apostolo colligit Prophetæ sententiam, cum ait: Tenuit beatus Apostolus nouam hanc in eo temporariæ huius natiuitatis discretam ab ea quæ ante tempora est generationem, & subdiuisam significationem. Nam cum de beata illa & nullis circumscripta temporibus natiuitate dixisset Primogenitum omnis creaturæ, quia in ipso creata sunt omnia in cœlis & in terra, visibilia & inuisibilia: primogenitum quoque ex mortuis eum in resurrectione commemorat, dicens postea. Primogenitus ex mortuis, vt fieret ipse in omnibus primatum habens. Nascitur enim ad id quod non erat, cum tamen id fieret, quod fuisset ab æterno, dominus & omnium rerum creator. Est enim primogenitus ex mortuis, qui erat primogenitus creaturæ, idcirco primogenitus ex mortuis, vt maneret primogenitus creaturæ. Idem enim est primogenitus ex mortuis, qui erat primogenitus creaturæ. Et paulo post concludens ait: Id quod in Psalmo est. Filius meus es tu, ego hodie genui te, ad primogenitum ex mortuis pertinere Apostolica authoritas est. Præterea ad confirmandam interpretationem hanc dictum Epistolæ ad Hebræos 5. plurimum valet. Sic & Christus semetipsum non glorificabat, vt fieret pontifex, sed qui locutus est ad eum (scilicet confirmans eum vt fieret pontifex) Filius meus es tu, ego hodie genui te, quod & in alio loco dixit: Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.

Nonne hic author probat hoc Pſalmi dicto, Chriſtum à Patre pontificatus munus accepiſſe, quod profecto non ad diuinitatem per ſe, ſed ad humanitatem pertinet, ſeu ad λόγον, quatenus caro eſt factus. Huc accedit, quod Dauid hîc dicit in perſona Chriſti. *Narrabo* conſtitutionem ſeu ſtatutum Patris de me, videlicet, Filius meus es tu, Ego hodie genui te. Iam autem non eſt decretum aut conſtitutio Patris, quod ſecundum diuinitatem ſit a Patre genitus: Nam natura eſt filius & non decreto aut conſtitutione noua. Hic non immerito aliquis obiecerit.

Patres nonnulli contra Arrianos, cur hoc Pſalmi dicto æternam natiuitatem filij æterni, a patre æterno probant?

Recte quidem hoc faciunt Patres, vel Hilario teſte, cuius authoritate noſtram interpretationem muniuimus. Non tamen directo ordine, ſeu non à priori ad poſterius, ſed retrogrado ordine, ſeu a poſteriori ad prius, ſeu a conſequenti ad id quod neceſſario antecedit: hoc modo: Chriſtus eſt primo genitus ex mortuis, ergo eſt primogenitus creaturæ. Nequaquam enim eſſet primogenitus ex mortuis, niſi primogenitus creaturæ fuiſſet. Ideo Epiſtola ad Hebræos 1. Chriſtum eminere ſupra angelos huius Pſalmi teſtimonio probat: dicens: Cuinam angelorum dixit, Filius meus es tu, ego hodie genui te? Nequaquam ergo Patrum ſententiam, qui hoc dicto Pſalmi æternam natiuitatem filij a patre probant, conuello: Sed tantum dico, in quam ſententiam Pſalmi dictum ſuo loco & proprie eſt accipiendum.

Iam collationem typi & veritatis aſcribamus. Quemadmodum olim Deus Dauidem ſuo decreto regem ſtatuit, & quaſi multis perſecutionibus oppreſſum, & veluti mortuũ excitauit, eumque ſibi eſſe tanquam filium demonſtrauit, cum eum regem ſuper Iſraeliticum populum conſtituiſſet: Ita Deus Pater Ieſum vnxit in regem, & eum ſuum Filium perglorioſam reſurrectionem mundo declarauit.

QVARTA PARS.

8. *Poſtula a me & dabo gentes hæreditatem tuã*

Hic rurſus Pater loquitur. Iubet vt Filius petat, & promittit po-

& possessionem tuam termi- nos terræ.

9. *Conteres eos in virga ferrea, tanquam vas figuli confringes eos.*

tenti amplissimum imperium quale nec Dauidis, nec vllius hominis mortalis terreni vnquam fuit: & simul committit ipsi iudicium aduersus omnes impios, qui se contemnunt. Cum dicit. *Dabo tibi gentes hæreditatem*, ita vt non tantum ius hæreditatis habeas, verum etiam acceptam possideas & in ea habites. Atque hæc possessa & habitata a te hæreditas adeo late patebit, vt extendat se ad terminos terræ, ita vt nihil sit extra tuum imperium. Hoc loco etsi obscure, diuina Christi natura indicatur. Nisi enim Deus esset Iesus, non posset simul in omnibus locis mundi, hæreditati suæ adesse, & in illa habitare. Concionatur proinde hic Dauid de vocatione gentium, reiectis propter contumaciam Iudæis. Huic concioni congruit mandatum Christi, Ite in mundum vniuersum, & prædicate Euangelium omni creaturæ.

Porro quoties fit mentio vocationis gentium in Scripturis, hæc ordine cogitemus. *Primo*, quod illa gentium vocatio sit gratuita: quæ enim merita haberent gentes prophanæ, nisi mortis? *Secundo*, quod sit vniuersalis & nationum & hominum. *Tertio*, quod vocatione gentium singuli nostrum, inuitamur ad audiendum Euangelium, vt per Christum salutem consequamur. *Quarto*, quod huius vocationis causa sit sola Dei bonitas & misericordia. *Quinto*, quod Christi λύτρον sit sufficiens victima pro toto mundo. *Sexto*, vt bonitatem & clementiam & filii philanthropiam omnibus diebus prædicemus, seruientes Deo Patri ac Filio eius in iustitia & sanctitate vera.

Sed quæret forte hic aliquis.

Quomodo hæreditatem accipere Christus dicitur a patre, cum hæreditas sit bonorum, in quæ succedant liberi post mortem parentum.

Respondetur.

Speciei nomen sæpe pro genere tantum accipitur. Significatur ergo hoc loco hęreditatis vocabulo, & iusta legitimaque possessio gentiū, & affectus filii erga gentes sibi a patre datas, quas amat tanquam κειμήλιον a charissimo

Patre

Patre sibi donatum, quod, vt diligenter seruat, ita cauet ne veniat in alterius possessionem.

De iudicio in Euangelii contemptores, sequitur. *Conteres eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.* id est, tanquam figulus vas confringit. Bis idem repetit, vt significetur, has minas non fore irritas. Quod primo loco simpliciter renunciat, id secundo loco similitudine effert, significans irreparabile excidium fore Iudæorum incredulorum: Hæ autem minæ metum incutiant contumacibus aduersus Christum, & eius Euangelium. Qui tametsi nunc videntur triumphare, dum multos pios trucidant, tamen clausula extrema eorum erit sempiterna miseria. Et contra. Piis quasi calcar addant, vt in pietatis cursu ad finem vsque perseuerent, quo promissam consequantur gloriam. Si enim vna cum Christo rege suo patiuntur, vna etiam cum eo glorificabuntur. *Rom.* 8.

QVINTA PARS.

10. *Et nunc reges intelligite, erudimini iudices terræ.*

11. *Seruite Iehouah in timore, & exultate in tremore.*

12. *Osculamini Filium ne forte irascatur, & pereatis via. Quoniam exardescet breui ira eius. Beati omnes qui confidunt in eo.*

HIC rursus Propheta loquitur, & exhortatur reges & principes in mundo (ex quibus vtplurimum pendent subditi, iuxta illud: Scilicet in vulgus manant exempla regẽtum) vt Christum recipiant, eique homagium præstent, quo & pœnas contumaciæ vitent, & fœlicitatem promissam recipientibus hũc regem, quem Deus super Sion montem sanctum suum, id est, Ecclesiam constituit, consequantur. Hic sensus verborum Prophetæ est, nunc verba expendamus.

Et nunc reges intelligite, hoc est, vos reges terræ nunc tandem videntes pœnas de incredulis Iudęis sumptas, cogitate commoda & incommoda vestra, & prospicite vobis inprimis. Videtis quid acciderit Iudæis rebellibus, qui Christum

nolebant ſuper ſe dominari, An non miſere periere? Horum exemplo admoniti eſtote prudentes: Eandem ſententiam repetit. *Et erudimini qui iudicatis terram.* Reges nominat a dominio & imperio, in alios, nempe ſubditos. Iudices vero ab officio. Regum enim eſt iudicare, id eſt, gubernare. *Erudimini*, inquit, id eſt, patimini vos erudiri & corrigi miniſterio Euangelii, quo & vos & ſubditos veſtros Chriſto ſubiiciatis, in eumque firma fiducia, relictis idolis incumbatis. Debent ergo reges & principes ſinere ſe corrigi & caſtigari miniſterio Euangelii, vt reſipiſcant & credant. *Primus* enim gradus, vt recte dicitur, ad ſanitatẽ, eſt nouiſſe morbũ. *Secundus* medicinã adhibere, mediciq; curæ ſe committere. Atque hoc opus verę pœnitẽtię ſeu cõuerſionis eſt.

Huc breuiter boni gubernatoris officium aſcribemus. *Bonus gubernator* eſt caput populi, & quaſi pater ſingulorum: Hic ſuum populum, legibus, exemplo, præmiis, pœnis, armis, & prudentia gubernat. *Legibus* præſcribet quid iuſtum, quid iniuſtum ſit, quid faciendum, quid non faciendum. Hæ leges debent eſſe concluſiones ex lege naturæ ſeu Decalogo. *Exemplo* præibit ſuis in vera pietate & honeſtate. *Præmiis* ornabit obedientiam & præclare facta. *Pœnis* coercebit petulantes, & contumaces. Armis tuebitur ab iniuſta vi. *Prudentia* ſua efficiet, vt ſinguli quæ ſua ſunt faciant, ſine polipragmoſynη: Horum omnium finis eſt incolumitas populi, & gloria Dei.

Sequitur fructus pœnitentiæ veræ & ſalutaris.

Seruite Domino in timore. Hic cultum Dei requirit. Finis enim conuerſionis ad Chriſtum eſt, colere Deum.

Inter colere Deũ, & ſeruire Deo, hoc eſt diſcrimẽ, illo officium piorũ, hoc modus officii ſignificatur. Vult enim Deus hoc modo coli, videlicet, ipſi vt ſeruias. *Quis autem ſeruit?* Qui facit imperata a Domino ſuo, ſeu qui obedit iuſsis domini ſui. Eſt proinde cultus Dei obedientia, quam Deus ipſe ſuo verbo poſtulat. Nunc autem ſi cultus Dei eſt obedientia, & obedientia eſt mandati ſuperioris prompta & debita executio: profecto quicunque extra verbum Dei vagatur, nõ colit Deum, ſicut & ſcriptum eſt, Fruſtra me colitis mandatis hominum *Iſ* 29: Hæc obedientia non oritur a carne. φρόνημα enim carnis inimicũ eſt Deo. *Rom.* 8. Quare qui in carne ſunt & qui ſecundũ carnẽ, id eſt, ſecundũ corruptã

& errrantem rationem & concupiſcentias carnis ambulant, Deo placere non poſſunt. Ideo Paulus ait: Qui ſecundum carnem ambulant, morientur. Sed oritur a fide qua iuſtificamur, & ſpiritu Dei quo regeneramur, & efficimur filii Dei. Ex his duobus fontibus manat obedientia Deo grata. Vt enim fide purificatur cor & perſona placet, ita ſpiritu ducitur fidelis, mouetur, & impellitur ad eligenda & facienda quæ Deo probantur. Sunt ergo cauſæ internæ in homine omnis boni operis: fides iuſtificationis, & ſpiritus regenerationis. Atque hæc eſt doctrina Pauli.

Philippus Melanthon ſanctiſsimę memorię, optime de Eccleſiis & Scholis meritus, tres cauſas bonorum operum (in iuſtificatis & regeneratis fide, nam de aliis nō loquitur) facit: videlicet, verbum voluntatem, & ſpiritum ſanctum, idq; coniunctim. Mens enim ſeu ratio verbo Dei informata ſeu inſtructa, voluntati proponit quod eligendum & quod fugiendum iudicat, iuxta illud. Lucerna pedibus meis verbum tuum. Voluntas docta verbo Dei, mouetur ab obiecto cognito: Nam voluntas ſemper mouetur, prout res obiecta & monſtrata verbo, boni vel mali ſpeciem prębuerit. *Deut.* 11. propoſui vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem, elige ergo vitam, vt & tu viuas & ſemē tuum. Spiritus ſanctus efficax eſt in vtroq; hoc eſt, in verbo & voluntate. Nā is facit vt & aſſentiamur verbo Dei, & velimus bonum, quod ratio verbo Dei docta monſtrat eligendum: Hæc ſimul coniungit Dauid *Pſalm.* 86. Doce me Iehouah viā tuam, ambulabo in veritate tua, vni cor meum, vt timeat nomen tuum. Qui negant voluntatē concurrere ad boni effectionem, deſtruunt opus Dei in homine, & faciunt ex homine truncum. Sed nos agamus Deo gratias qui verbū normam vitę dedit, & voluntatē verbo & ſpiritu ſancto flectit, vt aliquod quod ei gratum eſt, & intelligamus, & velimus & faciamus.

Sed quotuplex eſt obedientia, qua Deus rite colitur? Duplex videlicet, interna & externa. Nam cum homo totus Dei ſit, obedientia quā poſtulat Deus, a toto homine iuſtiſsime poſtulatur. Is ergo Deo ſeruit eique obtemperat, qui totus obtemperat, animo videlicet & corpore ſimul: Et quoniā animus dignior corpore eſt, & quaſi corporis rector, ideo ab animo inchoari veram obedientiam erga Deum neceſſe eſt

ob quam etiam causam prima legis capita dilectionem requirunt, a qua externæ manant actiones. Debent ergo omnes animæ vires & corporis consentire, & simul facere imperata: quæ si dissenserint, obedientia placere non potest, imo obedientia dici non meretur. Si ergo τὸ λογιστικὸν vis raciocinandi recte suaserit, & τὸ ἐπιθυμητικὸν vult & imperatis delectatur, & τὸ θυμοειδὲς, id est robur animi, opus vrget, & conatus corporis in hunc modum animo composito parent, obedientia tua iusta Deoque grata est. Hunc consensum animi & corporis in præstanda Deo obedientia, Dauid a Deo petit cum ait, Vni cor meum, vt timeam nomen tuum, id est, iuxta tua testimonia & facta, & voces verbi tui. Et Christus post Mosen dicens. Dilige Dominum Deum tuum, toto corde tuo, tota anima tua, & tota fortitudine tua. Et Paulus ad *Titum* 2. Illuxit gratia Dei salutifera omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegata omni impietate & mundanis cupiditatibus σωφρόνως & iuste & pie viuamus in præsenti seculo. Hic per σωφροσύνην, mentis rectitudo intelligitur, cum videlicet frenatis cupiditatibus, affectus & voluntas rationi recte gubernatæ verbo Dei paret. Hæc enim virtus proprie σωφροσύνη dicitur, & definitur a Platone, τῆς ψυχῆς ὑγεία, id est, animæ sanitas, quam interdum harmoniam mentis & iustitiam nominat. Vetus interpres sobrietatem vertit. Quid enim aliud est sobrietas animi, quam mentis sanitas: videlicet, cum affectus rectæ rationi parent, nostra lingua forte Retsindighedt dici potest. Porro præter causas internas de quibus diximus, quatuor sunt præcipuæ, quæ nos ad seruiendum Deo flectere debent, videlicet: virtus ipsa, obligatio diuina, præmium obedientiæ, & pœna contumaciæ.

Virtutes ipsæ per se amabiles sunt, pulcræ, laudabiles & expetendæ. Vt vitia per se odibilia turpia, vituperanda & fugienda. Vt enim virtutes vere ornant eos, qui illis sunt præditi: Nam concurrunt in reparatione imaginis Dei in nobis qua similes suo modo Deo efficimur, Ita vitia deformant eos, qui illis sunt dediti: Concurrunt enim ad imprimendam imaginem diaboli in homine, qua similis efficitur diabolo.

Obligationis diuinæ, quatuor modi seu gradus sunt.

Primum

Primum enim obligamur Deo, vt creaturæ creatori: in ipso viuimus, mouemur & sumus, & quando ille retrahit manum, nihil sumus. *Secundo*, vt serui Domino. *Tertio*, vt patri, liberi. *Quarto*, vt beneficiis summis affecti, benefactori optimo. Debetur ergo Deo, vt creatori, cultus diuinus, quo vniuersalis obedientia erga Deum intelligitur: vt Domino, debitus timor, quo reliqua continentur: Vt Patri, honor, cum quo coniuncta est vniuersalis obedientia: Vt benefactori gratitudo, quæ similiter omnia complectitur. Hæc omnia dilectionis voce continentur, & distinguuntur iuxta gradus dilectionis, & præceptorum Decalogi. Sunt enim opera expressa in Decalogo, tanquam riuuli quidam ex fontibus dilectionis Dei & proximi promanantes.

Præmium obedientiæ erga Deum, in genere est benedictio Diuina. *Psalm.* 5. Tu benedices iusto Domine, tanquam scuto bona voluntate coronabis eum. Neque tamen causa propria benedictionis est nostra obedientia, sed misericordia Dei, iuxta *Psalmi* dictum 66. Deus misereatur nostri, & benedicat nobis. Dicitur tamen præmium hæc benedictio, quia ex gratuita bonitate sua Deus compensat obedientiam nostram. Benedictionis nomen complectitur omnia beneficia Dei, quæ ipse confert filiis suis sibi ex fide obedientibus, spiritualia & corporalia, temporalia & æterna, quæ quidem plura sunt quam numerari, maiora, quam ponderari, excellentiora quam æstimari possint. Huc pertinet illud *Esaiæ* 44. Effundam spiritum meum super semen tuum, & super germina tua benedictionem meam. Hoc Prophetæ dictum, de duplici benedictione diuina intellige, spirituali videlicet & corporali: sine illa saluari, sine hac viuere non possumus. Est enim benedictio corporalis, Symbolum benedictionis spiritualis in credentibus. De benedictione spirituali Paulus ad *Ephes.* 1. sic ait: Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus per Christum. *Prouerb.* 18. Qui vigilauerint ad eum, inuenient benedictionem. De benedictionibus corporalibus, vide 28. cap. *Deut.*

Pœna contumaciæ in genere est maledictio diuina, spiritualis & corporalis, per quam omnes pœnæ quæ animis & corporibus inferuntur, intelliguntur, spirituales & corporales,

temporariæ & æternæ, quales ſunt, deſeri a Deo, ſubiici Diabolo vt in eum habeat plenum imperium, cor impœnitens, reproba mens, tandem deſperatio & mors æterna. Vtinam de hiſce pœnis cogitarent ebrij amore huius vitæ, & obedirent voci Sapientis cap.1. qui ait: Ne ſectemini mortem in amore vitæ huius, neque operibus manuum veſtrarum excidium accerſatis. Sed partim imitantur & alliciuntur triſtiſſimo peccati authoramento. Omne enim peccatum, ſuum authoramentum habet, & mercede propoſita inuitat ad peccandum. Luxuria pollicetur voluptates, quæ etſi blandæ videntur, latronum tamen illorum more, qui apud Ægyptios Philiſtæ vocantur, homines amplectuntur vt ſtrangulent. Auaritia pollicetur diuitias: ſed illæ vertuntur multis in laqueos. Ambitio pollicetur honores & potentiam, ſed quid illis vanius? Authoramento igitur peccati nocumentum & damnum opponito. Partim differunt pœnitentiam, & pollicentur ſibi tempus, quo vitam in melius conuertant, & cum Deo in gratiam redeant. His Bernardus reſpondet dicens: Noli huic tam pernicioſæ expectationi credere temet ipſum. Et ſpiritus quidem non modo vbi vult, ſed quando vult ſpirat. Nec ei difficile eſt de ſubito dare perfectam cordis cõtritionem, quam vix alii multo tempore conſequuntur. Sed vnde ſcis an ita tunc tibi ſubuenire velit, quẽ tu ſic repellis? Syracides ait cap.26. Penes eum ſunt miſericordia & ira, celeriter dare potens eſt veniam, & iram effundere. Cogita quam potens ſit conſuetudo peccandi, dum conſuetudini non reſiſtitur, vt inquit Auguſtinus, lib.8. confeſſ.c.5. fit neceſſitas. Senſus enim obdurat ne clare videant. Mentes indurat, ne mala terreant. Corda ineſcat, vt fœda placeant, Vires eneruat, vt victæ iaceant. Vnde Gregorius. Cum culpa in vſum venerit, etiam volens animus vix reſipiſcit, quia quot vicibus prauę frequentationis aſtringitur, tot quaſi vinculis alligatur. Et Auguſtinus. Mala conſuetudo eſt vt venenum aſpidis, quo infecti in ſomnum incidunt molliſſime, donec moriuntur ſine ſenſu. Breuiter. Quid aliud eſt peccatis indulgere contra conſcientiam, quam contumaciter prouocare Deum ad vindictam, & ſibi theſaurum maioris condemnationis reponere in diem iudicij?

Iam de finibus obedientiæ, qua Deus colitur aliquid adii-

adiiciendum est,& possunt vtiliter octo numerari fines,quos breuiter recensebo.

Primus, vt fideles sua erga Deum obedientia & cultu, testentur se Satanę & eius operibus renuntiasse,ac Deo se subiecisse ad obediendum ipsi in iusticia & sanctitate vera, in ipsius gloriā, iuxta stipulationem in Baptismo inter nos & Deum factam. Huius finis maxima est necessitas. Nemo enim potest simul seruire Deo,& Satanæ.

Secundus,vt qui per veram obedientiam testentur se esse ciues vnius Ecclesiæ, & socios non solum castissimorum angelorum, qui semper Deo obediunt, quorunque exemplum nos imitari precamur,cum orantes dicamus,Fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra: Verumetiam reliquarum creaturarum Dei, quæ assidue ipsius ordinationi parent, quarum exemplum Dauid sibi imitandum proponit *Psalm*.119.cum ait. Ordinatione tua perseuerant quotidie,quoniam omnia seruiunt tibi.

Tertius, vt fideles sua obedientia declarent se esse domesticos Dei.Non enim est existimandum quod Ecclesia & familia Dei sit colluuies quædam lurconum, potatorum, mancipiorum Veneris,auarorum, superborum, tyrannorum,latronum & similiū,aut suum,qui mox,vt loti fuerint, in volutabrum cœni redeunt:aut canum,qui vomitum proprium resorbent.Sed est societas sanctorum Dei,hoc est,hominum agentium pœnitentiam, perseuerantium in fide & bona conscientia.Qui si interdum insidiis Diaboli circumuenti labuntur,mox dexterā Dei apprehendentes erigūtur. Si ergo volumus vere esse & dici Christiani,simus socij sanctorum custodientium fœdus cum Deo initum,& obseruantium testimonia ipsius,vt quilibet nostrum vere cum Dauide dicere possit.*psalm*.119.Socius ego sum omnium timentium te,& custodientium testimonia tua.

Quartus, vt fideles se templum Dei esse factis comprobent,in quo Deo offerant holocaustum & thymiama.*Rom.* 12. Et ornent templum hoc frondibus & floribus gratiarum actionis. An nescitis(inquit Paulus)1. *Cor*. 3. quod templum Dei estis vos, & spiritus Dei habitat in vobis? Vt autem hoc templum ornare, summa pietas est, ita prophanare, & ex sancto domicilium Satanæ facere, detestandum est sacrilegium, quod non erit impunitum. Ita enim

Paulus ait. ibid. Si quis templum Dei destruit, destruet eum Deus. Nam templum Dei sanctum estis vos. Nemo seipsum seducat.

Quintus, vt opera fidelium sint veluti Synthimata quædam Christianorum militum, militantium sub vexillo Christi, victoris peccati, mortis, inferni, diaboli: quibus discernuntur ab iis, qui in castris Satanæ militant, reportaturi stipendium tristissimum mortem æternam.

Sextus, vt bona opera fidelium, sint fulcra bonæ conscientiæ, quæ bona conscientia, quoddam propugnaculum est fidei: ne ipsa fides tristissimum patiatur naufragium. Ideo Paulus ait. 1. *Tim* 1. Milites honestam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam, qua repulsa, naufragium fidei fecerunt multi.

Septimus, vt fideles, alios suo exemplo inuitent ad obedientiam præstandam in gloriam Dei, sicut scriptum est. *Mat.* 5. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.

Octauus, vt sancti præmia promissa, temporalia & æterna, spiritualia & corporalia, consequantur. Hanc promissionem non solum licet, sed oportet intueri, & scire Deum non esse vanum in suis promissis. Ideo scriptum est, de Mose *Heb.* 11. quod fide respexerit ad remunerationem. Tametsi autem Deus nihil debet nobis iure, tamen ex pacto debet, quia promisit. Non ergo in expectatione præmiorum intuebimur dignitatem obedientiæ nostræ, sed ipsam paternam promissionem, quæ est rata & firma seruantibus fœdus ipsius & testimonia, vt Dauid loquitur *Psal.* 103.

Hæc volebam breuiter adiicere de liberali illa seruitute, cuius hic meminit Dauid, cum ait: Seruite Domino in timore.

Sed, inquies, *Cur dicit in Timore? An non Ioannes dicit, Charitas excludit Timorem?* Si ergo diligamus Deum, vt summum bonum, quo modo eum timebimus? Respondeo. Est timor fide temperatus, & est timor sine fide. Ille charitatem adiunctam habet, & est filiorum Dei. Hic odium habet adiunctum, & est hostium Dei, id est eorum qui non Deo sed Diabolo obediunt. Hæc autem vt plenius intelligamus,

sciendum

ſciendum eſt in primis, quid ſit timor Dei in genere & pro-
prie.

Timor Dei proprie eſt motus animi trepidantis & reformi
dantis iudicium Dei, propter peccatum admiſſum. Hic ti-
mor eſt cum in impiis, tū in ſanctis, ſed diuerſimodo. In im-
piis vincit hic timor, ſuccumbunt enim in iudicio Dei, ex
quo fit, vt impii oderint Deum, vellent illum potius non
eſſe, quam vt ſua peccata iuſte puniret. Hic timor impio-
rum ſequitur naturaliter Syllogiſmum practicum, qui
concluditur in mente impiorum. Exempli cauſa. Iudas
ſic colligit. Proditor Filii Dei meretur pœnas æternas:
Ego prodidi Filium Dei, Ergo, ego ſum meritus pœnas æ-
ternas. Hunc Syllogiſmum practicum, qui concluditur
in mente impii Iudæ, tantus timor in corde eius ſecutus
eſt propter iudicium Dei, de ſe vt deſperarit, & impatiens
tanti cruciatus, ſeipſum ſuſpenderit. Talis timor erat in
Cain, Saul, Achitophel & multis aliis, quia non acceſſit
fides erigens animum in iſta trepidatione, & conſcientiæ
anxietate. In ſanctis vero non vincit timor, ſed animi
eorum timore concuſſi, fide mox eriguntur. Vnde Da-
uid lapſus ſic colligit. Proditor exercitus Domini, ho-
micida & raptor alienæ coniugis meretur pœnas æternas:
Ego prodidi exercitum Domini, occidi innocentem ci-
uem, rapui alienam coniugem, meritus ergo ſum æternas
pœnas. Hunc Syllogiſmum practicum excepit quidem ti-
mor Dei crucians in anima Dauidis, qualis deſcribitur in
Pſalmis, quos vocant pœnitentiales. Sed fides accedit pro-
pitiationis, propter promiſſum ſemen qua fide in iſta tre-
pidatione erigitur. Et ex fide naſcitur charitas, quæ ex-
pellit timorem, non quidem vt ſit nullus, ſed vt non ſit tan-
tus vt vincat in lucta fidei & conſcientiæ, ſed vincatur po-
tius a fide. Talis timor eſt etiam in reliquis ſanctis. Nul-
lus enim eſt ſanctorum qui non peccet, & ſit obnoxius
lapſui. Hic timor ſanctus dicitur, cum quia eſt ſanctorum, tū
quia hominē in ſanctitatis ſtudio retinet. Quidā hunc timo-
rē filialem vocant, vt illum ſuperiorem ſeruilem: quos mo-
dos ſola fides, quæ habet charitatem comitem diſcernit. Hic
filialis & ſanctus timor in ſcripturis ampliſſimas laudes ha-
bet. Dicitur enim nunc initium ſapientiæ, nunc radix ſapien
tiæ, nunc fons, nunc corona, nunc plenitudo ſapientiæ, atque

adeo ſapientia ipſa. Et ſæpiſſime per Synecdochen accipitur pro tota religione, ſeu cultu Dei, qui Græcis εὐσέβεια & θεο-σέβεια dicitur, cuius rei hæc cauſa eſt. Vnus timor Dei ſanctus nos in obſeruantia præceptorum Dei, atque in omni ſancta ſubiectione continere poteſt, iuxta illud: Qui timent Dominum, inquirent quæ grata ſunt illi. Item, Beatus vir qui timet Dominũ, in mandatis eius delectatur valde. Itẽ: Qui timent Dominum ſua præparant corda, & animas ſuas corã illo humiliant. Cum autem ita per Synecdochen accipitur timor Dei, in hunc modum commode definiri poteſt. *Timor Dei eſt* purus colendi Deum affectus, cum humili ſubiectione & reuerentia, cumque ſerio ſtudio omnem offenſam vitandi, atque vitam totam ad normam voluntatis diuinæ componendi. Hæc ſint hoc loco breuiſſime de timore Dei dicta.

Sequitur in Pſalmo.

Et exultate in tremore. Hic aptiſſime ſignantur affectus perpetui ſanctorum in hac vita. Vt enim ex agnitione peccati, ex ſenſu propriæ infirmitatis, ex cogitatione multiplicium inſidiarum diaboli, mundi, hoſtium Euangelii, falſorum fratrum, & carnis propriæ (vnde fit vt Paulus recte moneat: Qui videtur ſtare, videat ne cadat) 1. *Cor.* 10. tremunt & expaueſcũt ſancti. Eſt enim tremor, pauor conſcientiæ in vera cõtritione. Ita ex agnitione Chriſti, ex fiducia remiſſionis peccatorum propter meritum Chriſti, ex ſenſu habitantis in ſe ſpiritus ſancti, & ex ſpe glorioſæ liberationis filiorum Dei, exultant & triumphant. Et ex vtroque, ſcilicet exultatione & tremore, cauent ne Deum offendant. Tremor ſiquidem hic fide temperatus, virtutum cuſtos eſt. Contra vero ſecuritas ad lapſum procliuis eſt. Hinc diſcerni poteſt inter contritionem Abelis & Cain: illa erat ſacrificium Deo gratum, quod ſale fidei, & oleo lætitiæ conditum erat. Hæc vero fide caruit, & propterea iuſta pœna, & aditus ad ſempiternã miſeriam fuit.

Oſculamini Filium. Repetit exhortationem, qua hortatur reges, vt ſe Chriſto ſubiiciant, ſed mutata orationis figura. Pulcerrimo enim Symbolo ſignificatur cultus noui Teſtamenti, qui eſt, Chriſtum cordis brachiis amplecti & oſculari. Vt autem oſculum a ſubditis datum regibus, amoris, reuerentiæ, ſubiectionis, & alacritatis ad obedientiam præſtandam Symbolum eſt. Ita acceptum a regibus, & viciſſim datum pignus eſt gratiæ, fauoris, tutelæ ſeu fidei erga ſubditos.

Hic

Hic ergo docemur,& quid debeamus nos Christo regi nostro, & quid ipse vicissim nobis conferat. Nos dabimus illi osculum subiectionis,amoris,reuerentiæ & obedientiæ, & ille vicissim nos osculatur, dum nos gratia & fauore, infuso in nos spiritu sancto complectitur. Verum ille nos anteuertit. Nam ipse carnem nostram assumens, tanto amore nos est complexus , vt pro nobis mori , vt nos viueremus, voluerit. Deinde nos suo verbo inuitat ad osculandum se. Et quemadmodum in casto & sancto osculo spiritus quidam ex corde in amatum transfunditur. Ita filius Dei nos osculans , spiritum suum sanctum in nos transfundit, quo excitatur amor mutuus. Appellatio græca significantior est.Apud illos enim osculum φίλημα dicitur ab amore:Apud Latinos a gestu , apud Hebræos ab occasione. Quia osculum castum veri & ardentis amoris nuncius & quasi excitamentum est. Ita enim Chrysostomus dicit. διὰ τοῦτο δὲ φιλοῦμεν ἵνα ἀναζωπυρῶμεν τὴν πρὸς ἀλλήλους ἀγάπην, id est , ideo nos mutuo osculamur , vt excitemus charitatem inter nos inuicem. Mutuum osculum Christi & Ecclesiæ monet nos, non solum vt Christum osculemur , eique nos iungamus, tanquam vnico saluatori, verumetiam mutui amoris & concordiæ in doctrina & vita, sine quibus frustra de Christi osculo gloriamur.Huc pertinet Psalmus 133. Ecce quam bonum. Hieronymus hic aliter vertit. *Adorate pure.* Sed versio quam ego secutus sum , significantius affectum mutuum sponsi Christi , & sponsæ Ecclesiæ exprimit. Neque reprehendēdam iudico septuaginta versionē, videlicet. Apprehendite disciplinam. Quid enim aliud est osculari puritatem ? (nam Hebræa vox Bar , etiam puritatem significat) quam appræhendere puram doctrinam , qua erudimur in schola Christi ?

Sequuntur exhortationis duæ rationes, quarum prior sumitur a pœna cōtumaciæ aduersus Filium,posterior a præmio obedientiæ.Pœna hæc est,Qui Christum non osculantur caste,sed vel proditorie cum Iuda,vt Papa facit,& multi Tyranni,qui prætextu nominis Christi & relligionis persequuntur Christum,in suis membris , & abolere conantur doctrinam & regnum ipsius : vel aperte bellum Christo indicunt , vt Turcæ , & aliæ prophanæ gentes faciunt. Ita e-

nim ait. *Ne irascatur & ne pereatis in via , quoniam breui exardescet ira eius.* Hoc est, Osculamini Filium, ne si iustum eius imperium recusaueritis, prouocetis iram Dei in vos, atque ita aberrantes a via vitæ, pereatis in via vestra mala. Nam breui futurum est vt effundat iram suam in omnes impios terræ. Ira Dei non perturbatio animi eius est, sed iudicium, quo irrogatur pœna peccato. Sic enim Augustinus ait, Cum Deus irasci dicitur. Non eius perturbatio significatur, qualis est in animo irascentis hominis, sed ex humanis motibus translato vocabulo, vindicta eius, quæ non nisi iusta est, iræ nomen accepit. Vtinam maxima pars hominum, non surda aure has iræ diuinæ minas præteriret. Videntur profecto omnia mundi regna, propter tyrannidem in Christum, in ruinam tendere, quod & minax stella quæ apparuit, ante aliquot annos & rubentes paludes & seditiones populorum,& grassantia scelera,& certamina doctorum ecclesiæ,& principum securitas portendere videntur. Atque ita habemus quænam pœna sequatur contemptum Euangelij: videlicet ira Dei.

Sequitur de præmio obedientiæ erga Christum.

Beati, inquit, *omnes qui confidunt in eo.* Hic & quid sit osculari filium exponit, videlicet confidere in filium, & fructum eius osculi, id est, fiduciæ in filium ostendit, videlicet quod sint beati, reiectis contumacibus in sempiternam miseriam: Qui tamen hic se solos fœlices putant. Sed sciendum est, nihil infœlicius esse fœlicitate improborum. De miseria impiorum, & beatitudine iustorum dictum est in primo Psalmo. Obseruetur autem hic, quod vt in primo Psalmo docuerit quales nam sint qui consequentur beatitudinem, videlicet iusti: Ita hic causam qua appræhenditur iustitia & beatitudo promissa, & quis sit eius author ostendat. Causa qua apprehenditur est Fides,author vero & donator eius est Filius Dei. Hunc versum sic interpretatur Christus cum ait *Ioan.3.* Qui credit in Filium habet vitam æternam. Qui non credit in Filium, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. Vt ergo fiducia in Filium est beatitudinis causa recipiens. Ita contemptus filij est miseriæ sempiternæ causa.

Sed

Sed vnde fiducia?

Ex notitia filij, iuxta dictum: Et nunc reges intelligite, & erudimini iudices terræ. Item *Psalm. 9.* Confident in te qui nouerunt nomen tuum, quia non dereliquisti quęrentes te Domine. Nomen tuum, id est, te, qualem, verbum opera tua, & exempla bonitatis & misericordiæ tuæ te declarant, & pronuntiant esse.

Quare beatus, qui confidit in eum?

Quia vitæ æternæ & beatissimæ est scriptus hæres.

Quare vitæ æternæ hæres?

Quia est iustus. Est enim iustitia via vitæ æternæ, & sine iustitia nemo consequitur vitam.

Cur iustus?

Quia in Christo est, & a Christo habet quod lex requirit, nempe iustitiam, iuxta illud, Christus est finis legis in iustitiam omni credenti *Rom.* 10. id est, Omnis qui credit habet in Christo sibi donato & fide appręhenso, eam iustitiam, quã lex finaliter requirit videlicet viam vitæ æternæ. Quemadmodum enim vnius Adæ inobedientia multi constituti sunt peccatores: ita vnius Christi obedientia multi sunt iusti *Rom.* 5. Vt enim Christus nostro & non suo peccato fuit reus, ita nos, non nostra, sed Christi iustitia sumus iusti. Sicut reatus imputatio in Christo, ita in nobis iustitiæ. Sicut Augustinus etiam in *Psalm.* 22. docet cum ait, Nostra delicta sua delicta fecit, vt suam iustitiam nostram iustitiam faceret. Iustificati igitur fide pacem habemus cum Deo per Iesum Christum Dominum nostrum. Porro huius iustificationis (quæ est personæ credentis absolutio a peccato, imputatio iustitiæ Christi, & acceptatio ad vitam æternam, gratis propter Christum) gratuitæ proximus finis est & inseparabilis, sanctificatio nostri, & nouitas vitæ, quæ & ipsa interdum iustificatio dicitur, quę est iustificationis gratuitæ declaratio & testificatio. *Iacob.* 2. Fiducia proinde pendet a promissione gratuitę misericordiæ, gratuĩta misericordia pendet a paterna bonitate, paterna bonitas

fundatur in merito filij, meritum filij est λύτρον pro peccatis totius mundi, quod λύτρον vt homini agnoscenti peccatum offertur verbo Euangelij, ita fide accipitur & retinetur. Vt enim remedium notum, sine applicatione ad locum affectum, nullam vtilitatem ægroto adfert. ita promissio misericordiæ gratuitæ in Christo, etsi per se vera, rata & vniuersalis est, tamen homini sine fide, qua fit applicatio, non prodest. Neque tamen existimandum est applicationem per fidem fieri propter fidei meritum aut dignitatem, sed propter Iesum Christum, quem homo fide appręhendit vt eius sanguine a peccato purgatus, & eius iustitia donatus, sit Deo acceptus. Nam lex nihil habet, quod in credentibus accuset. Habent enim iustitiam, quam ipsa requirit, cuique vitam promittit. His accedunt Sacramenta, quibus & donum obsignatur, & fides confirmatur. Hic iuxta tenendum est, quod vbicunque sit viua & salutaris fides, ibi sunt quoque eius naturales proprietates: ex quo fit, quod Scriptura sæpius proprietates fidei loco fidei ponat: idque ideo, ne quis spectro fidei seipsum fallat. Vt enim corporis vitam ex eius naturali motu dignoscimus: Ita & fidei vitam ex eius spiritualibus actionibus id est bonis operibus percipimus. Sed interea accurate cauendum est, ne ipsam fidem qua appræhenditur Christus, vel cum proprietatibus ipsius confundamus, vel cum qualitatibus, affectibus & actionibus iustificatorum misceamus (vt faciunt Papistæ.) Qui enim hoc faciunt doctrinã gratuitæ iustificationis corrumpunt. Notetur etiam hic testimonium & confessio Dauidis de deitate Christi. Nam fiducia in Filio quam Christo hic tribuit, solius Dei est, vt scriptura passim testatur *Iere.* 17. Maledictus qui cõfidit in homine, & facit hominem brachium suum. Ergo Christus non est solum homo, sed Deus,

Vsus Psalmi Secundi.

Porro vsus huius Psalmi est, vt seiũgamus nos ab hostibus Christi, admoniti illorum pœnis, & adiungamus nos Christo per fidem, eumque colamus, per patientiam expectantes beatam illam immor-

immortalitatem, quam in se confidentibus promittit.

PSALMVS TERTIVS.

Summa Psalmi Tertij.

TITVLVS *huius Psalmi occasionem indicat, videlicet quod Dauid hunc fecerit, cum a filio Absolone exutus regno esset. Summa autem Psalmi est. Dauid conqueritur se vndique cingi & premi a suis hostibus, ac fide in Deum se rursus erigit, petit auxilium, firmaque fiducia liberationem expectat. Historiam fugæ Dauidis, & victoriæ ipsius super hostibus suis, lege 2. Samuelis, a capite 15. vsque ad finem cap. 20. Porro quia Dauid typus erat Christi, & Ecclesiæ, hunc Psalmum recte veteres accommodarunt Christo & Ecclesiæ, ac eorum hostibus. Vt enim Dauid suos hostes habuit toto vitæ suæ curriculo, ita Ecclesia mille periculis exposita est. Referatur proinde hic Psalmus ad Historiam typicam, quæ videlicet vltra res gestas aliquid significat.*

Ordo & dispositio Psalmi Tertij.

1. & 2. versus tristißimam querelam Dauidis, de hostium suorum conspiratione continet, & hæc sit prima pars Psalmi.

3. 4. 5. & 6. versus exponunt, quomodo Dauid in istis angustiis paulatim se magis magisque erexerit sit hæc secunda.

7. versus precationem, cum sua ratione habet. Sit hæc tertia.

8. & vltimus versus Epiphonema est, quo docemur quod a solo Deo salus & benedictio sit expectanda. Atque hæc sit quarta pars. Hinc patet quod hic Psalmus sit mixti generis, nisi si a præcipua parte nominandus erit, precatorius dicatur.

EXEGESIS PSALMI TERTII CVM INDICATIONE doctrinarum.

PRIMA PARS.

IEhouah quã multiplicati sunt hostes mei: multi surgunt aduersum me.

2. Multi dicunt animæ meæ: Non est salus ipsi in Deo. Sela.

HÆc querela exulantis Dauidis, & vndique ab hostibus cincti grauissima. Nõ enim tantũ regno exutus erat, idq; a filio quẽ tenerrime dilexit, verũ etiã exprobrabatur ei, quod a Deo esset desertus. Hæc duo grauissime cruciãt Dauidis animã: interim tamen nõ dubitat de fauore Dei erga se: sciuit sibi a Propheta, nomine Dei, dictũ esse. Dominus abstulit peccatum tuum. Quod dictũ firma fiducia apprehẽdit, vt *Psalmus* 21. clarissime ostendit. Non ergo recipio eorũ sententiam, qui putant Dauidẽ propter scelus iam condonatũ, hic luctatũ esse cum desperatione, quasi a Deo desertus esset. Id quod etiam ex collatione Typica Dauidis ad Christum & Ecclesiam eius regnũ refelli potest: cum historia & exulantis Dauidis & Christi patientis optime conueniant. Vt enim Dauid proditur a filio: ita Christus a Iuda. Vt contra Dauidem conspirant Iudæi, secuti consilium Achitophelis, & ductum Absolonis: Ita contra Christum Iudæi & Pharisæi, secuti consilium

Caiphæ & ductum Iudæ. Vt Dauid eiicitur regno a filio, de quo optime meritus erat: Ita pii doctores & gubernatores Ecclesię & alii quoque pii sępisſime ab iis de quibus optime meriti ſunt, malam reportant gratiam. Si ergo aliquando nobis idem acciderit, obtemperemus conſilio Petri qui ait. 1. *Pet.* 4 Ne peregrinemini, ea quæ in vobis eſt exploratione per ignem, quæ ad experimentum vobis fit, ac ſi peregrinum vobis quid accideret: quaſi diceret, non nouū eſt, ſed ab initio mūdi vſitatum. imo, in hoc quod con ſortes eſtis afflictionum Chriſti, gaudete, vt etiam in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes. Conſolemur itaque nos exemplo non ſolum Dauidis, tam præſtantis gubernatoris & doctoris Eccleſiæ, verum etiam Chriſti aliorumque piorum, qui ſimilia experti ſunt, inde ab initio mundi. Sit notum omnibus dictum Petri. 1. *Petri* 4. Iudicium a domo Dei incipit. Quanuis autem in Baptiſta & Stephano non fuerunt perſonalia peccata propter quæ illi magis quam alii tyrannice necarentur, tamen natura in ipſis rea fuit, & prona ad malum, quam iſto pacto frenare, ſapientiſſimo Deo viſum eſt in ſuam gloriam. Admoneamur igitur hoc loco de cruce piorum, quam non effugient, donec in hac lacrhymarum valle eos peregrinari Dominus voluerit. Veriſſimi enim ſunt verſus illi:

Nunquam bella bonis, nunquam diſcrimina deſunt,
Et cum quo certet, mens pia ſemper habet.

Sciamus proinde vulgi iudicium de afflictione piorum ſtultum & falſum eſſe: vt enim Dauidi fugienti multi exprobrauerunt ſuam calamitatem, dicentes, *Non eſt ſalus ipſi in Deo*, id eſt, iam a Deo deſertus eſt, iam pœnas commeritas luet. Ita hodie de iis qui tyrannice affliguntur, iudicat vulgus. Sed fallitur. Pij enim non ideo deſerti ſunt a Deo, quod vel incarcerentur, affligantur, proſcribantur, exuuntur fortunis: vel quia homines improbi eis ſuam exprobrent calamitatem. Etſi Abel a fratre trucidatur, Iacob propter fratris ferociam cogitur exulare. Eſaias ſerra lignea diſſecatur: Dauid exulat & ridetur a Semæi & aliis Epicuris: Baptiſta obtruncatur, Stephanus lapidatur &c. Tamen ipſi omnes chari Deo fuere, & eorum mors ſuauiſſimū Deo fuerit ſacrificiū, vt quod cōditum erat ſale fidei, inuocationis Dei & confeſſionis, vnde

Deus glorificabatur. Cum ergo nos hodie multos pios doctores audimus miserabiliter affligi, siue a Pharaone, siue ab Herode, siue a colludentibus cum ipsis: non more Epicureorum iudicemus eos propterea a Deo desertos esse & malã habere causam, sed potius adoremus bonitatem Dei, quia omnia sapienter in suam disponit gloriam.

Cur Deus sinit suos vexari cruce?

Plures sunt causæ, cur Deus velit suos cruce exerceri, quarum hæ sunt præcipuæ.

Prima. Ne caro prospero rerum successu diuturno armetur magis aduersus Spiritum, ac sua ferocia spiritum prosternat. Est enim caro vt petulans & indomitus equus, qui nisi asperiori coerceatur freno, sessorem excutit. Ideo scriptum est, In chamo & freno maxillas eorum constringe. Impii incrassantur vt secure ruant, sed piis tanquam schola in qua instituuntur, afflictio est.

Secunda. Exploratio est, qua Deus fidem & constantiam suorum probat: Non quod Deus ignoret, quid in homine sit, sed quia homo ipse ignorat, quid in se sit. Deus ergo animos suorum aduersis explorat, an velint seuerius castigati a se deficere, nec ne? Quod cum fit, duo accedunt consiliarii, qui diuersa suadent, videlicet Caro & Fides. Caro indicat crucem esse non patris, sed tyranni crudelissimi iudicium Vnde ad desperationem hominem sollicitat. Contra vero Fides, fauoris paterni testimonium crucem esse contendit, diuinis testimoniis freta. *Prouerb.* enim 3. & ad *Hebræos* 12. sic scriptum legit Fides, Fili mi noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris cum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus castigat, flagellat omnem filium quem recipit. Si castigationem sustinetis, tanquam filiis vobis sese offert Deus. Hic si fides obtinuerit, vt in Abrahamo, Isaac, Iacobo, Iosepho. Dauide &c. crux in salutẽ cedit. At si Caro vicerit, vt in Saule & multis aliis, crux cedit in exitium. Dauid fidei consilium secutus est cum ait: *Psalm.* 119. Bonũ est mihi quod humiliasti me. Itẽ Multi sunt qui persequuntur me & tribulant me, a testimoniis autem tuis non declinaui, id est perstiti in fide verbi tui.

Tertia. Quẽadmodum medici habẽt sua ἀλεξιφάρμακα, quibus efficiũt, ne quis venenis facile corrũpatur, ita Deus sapiẽtissimus medicus animarũ nostrarũ pharmaca nobis ministrat,

nistrat, videlicet varias afflictiones, ne veneno serpẽtis tanquã peste exitiali interfecti pereamus. Ita sæpe valetudinẽ animę, corporis afflictione conseruat: Sæpe spoliatione corporalium bonorum, auget diuitias spirituales.

Quarta, vt Deus assiduis laboribus, suos ad virtutem exerceat. Quomodo enim potest probari militum virtus, nisi hostem quo cum certẽt habeant? Vult ergo Deus suos milites cruce premi exercerique, ne otio corrumpantur, & virtus eorum languescat.

Quinta, Deus vult filios adoptionis, similes fore in cruce, Filio suo ęterno & vnigenito, vt per patientiã fiãt etiã consortes regni. Iã autẽ sine cruce nulla patiẽtia esse potest, cuius finis est victorię corona: Nemo enim coronabitur, nisi qui legitime certauerit. Nunquam fuit gloriosa victoria, vbi non fuere gloriosa certamina.

Sexta, Deus vult crucem esse argumentum, quo testatur nos sibi curæ esse. Quod si (inquit Apostolus *Heb.* 12.) absque castigatione estis, cuius participes sũt omnes filii, nẽpe spurii estis, & nõ filii. Cũ ergo corripimur, sciamus crucem illã nobis nõ reprobationis, sed adoptionis testimoniũ esse.

Septima, Deus cum nos vexari sinit, corruptelam nostram non patitur longius progredi, sed plagis & verberibus emendat. Dauid horrenda peccata commisisset in isto fastigio, ad quæ haud dubie ex naturæ corruptione pronus erat & maxime ad libidines, nisi fuisset plagis repressus. Postquam igitur adulterium commisisset, & illud peccatum hysopo, id est, aspersione sanguinis Christi expiatum erat, ne rueret rursus in adulterium, aut vagas carnis libidines voluit eum Deus vexari, quia voluit eum seruari. His proinde plagis atque verberibus illum coercuit, videlicet. 1. stupratione Thamar filiæ, idque a filio, quæ illi magnum luctum peperit. 2. Morte Ammon filii, quæ grauissimum vulnus eius animo inflixit. 3. rebellione Absolonis. 4. exilio a regno & Ecclesia. 5. contaminatione vxorum. 6. ciuium defectione. 7. tristi interitu Absolonis. 8. quibus accessit infamia non leuis. His plagis retractus Dauid, adulterium non iterauit. Ad eundem modum Deus alios multos, etsi eos in gratiam receperit, condonatis peccatis, tamen eos vult cruce refrenari, ne illorum animi in rebus

ſecundis luxurient, atque ita fœde peccata prius perpetrata iterent,ac proinde a Deo deficiant.

Octaua, vt Deum in cruce inuocemus, iuxta dictum *Pſalmi* 50. Inuoca me in die afflictionis, eruam te, & glorificabis me. Et *Pſalm*.32. Tu es refugium meum in tribulatione,conſerua me,vt ſeruatus laudem te.

Nona, vt crux ſanctorum ſit teſtimonium vitæ æternæ, & demonſtratio iuſti iudicii in improbos.2. *Theſſalo*. 1. Huc pertinet illud Petri. Tempus eſt vt incipiat iudicium a domo Dei,quod ſi primũ a nobis, quis erit finis eorum qui non obtemperant Dei Euangelio?

De particula Sela non eſt quod laboremus. Hieronymus *Semper* vertit,quam interpretationem alii doctiſsimi viri iuſtis de cauſis reiiciunt. Plerique docti eleuationem reddunt,id enim Hebræa vox in genere ſignificat. Veriſimile eſt igitur hac nota ſignificari eleuationem vocis inter canendum,& eleuationem mentis ad eorum quæ dicuntur meditationem. Atque ita ex verbis quibus adiungitur hæc vox Selâ,quid ſibi velit intelligi poteſt.Vt cum hic Dauid, addit Sela,mentem ſuam ad cogitandam ſuam calamitatem eleuat, quaſi diceret:quanta eſt mea calamitas!Hieronymus monet Aquilam vertiſſe διάψαλμα, quæ eſt nota pluribus Pſalmis interiecta.

SECVNDA PARS.

3. *Tu autem Iehouah ſcutum pro me, gloria mea, & exaltans caput meum.*

4. *Voce mea ad Iehouah clamabo, & reſpondebit mihi de monte ſancto ſuo. Sela.*

5. *Ego iacui & dormiui, & ſurrexi, quoniam Iehouah ſuſtentabit me.*

6. *Non timebo multa*

FIde promiſsionis diuinæ, fiducia exauditionis, recordatione beneficiorum prius acceptorũ, ſe in tanto periculo erigit Dauid. Suo exemplo nos docens, quid nos in noſtris anguſtiis facere oporteat. Qualis autem ſit natura fidei & quomodo paulatim creſcat, & tandẽ perficiatur (quantũ in hac vita fieri poſsit)pulchre explicatur hoc loco.Cinctus

ab hę-

millia populi, qui circumdederunt me. | ab hostibus Dauid. 1. trepidat dicens: Quam multi sunt qui tribulant me. 2. cogitans de constantissima promissione Dei, se erigit atque ait, Dominus est scutum pro me: & obiicit se hostibus meis, pro me pugnans, vt dicit: Tecum sum in tribulatione. *Psalm.* 91. 3. Hac fide confirmatus ad precandum se præparat. Voce mea ad Dominum clamabo, fide expectans vt exaudiar, & respondebit mihi. 4. Quia fides piorum in afflictionibus tentatur, ad pristina beneficia sibi in similibus periculis præstita, mentem conuertit, & inde concipit exauditionis fiduciam dicens: Ego iacui & dormiui, &c. 5. ex hac fiducia concepta ex promissione & confirmata auctaque prioribus liberationibus, robur mox concipit fides maius, quod robur ὑπόστασις & πληροφορία a Paulo dicitur. Vnde in hanc vocem prorupit. Non timebo multa millia populorũ circumdantiũ me. Tenemus sententiam & summam Psalmi, nunc verba particulatim expendamus.

Primum, nominat Dauid Deum suum scutum. per scutum defensionem iuxta promissionem intelligit. Vt enim scutum excipit tela hostium vt non noceant, Ita Deus in afflictionibus tuetur suos, sed diuersimode. *Aliquando* enim eos aperte e periculis eripit: *Aliquando* assistit eis spiritu, etsi externe ab hostibus opprimantur. *Aperte* suos liberat multipliciter, nunc enim sine mediis externis, nunc per media, nunc contra media eos defendit Dauidem sine mediis externis sæpe eripuit e manu Saulis: eundem Dauidem per media ab exilio vindicauit. Media autem non sunt vnius generis. Ioseph & Mariam cum puero Iesu exules liberauit per mortem Herodis: Dauidem, vt iam diximus, armis liberauit: omnibus temporibus multos liberat, per consiliorum mutationes, quibus flectuntur animi hostium Ecclesiæ. Contra media tres illos viros in ardenti fornace defendit. *Stephanum assistendo* iuuit: Etsi enim permisit illum hostibus suis, tamen suo spiritu illum ita confortauit, vt victor gloriosus in morte euaserit. Sic astitit sanctis martyribus, inde vsque ab Abel ad hunc diem, & assistet donec hic mundus steterit.

Deinde Dauid Deum suam gloriam (per Metonimiam) appellat, id est, authorem gloriæ, Deus enim ipsum

ad fastigium regium euexit. Non enim Dauid imperium rapuit, sed illud accepit a Deo, atque ita Dauid nititur conscientia suæ vocationis. Sic quilibet pius, in legitima sua vocatione (si qua difficultas, vt sæpe fit, suboriatur) nitatur conscientia recti, ac petat cum Dauide defensionem, fretus diuinis promissionibus, quæ fallere non possunt. Huc illud Dauidis pertinet *Psalm.* 25. Integritas & rectum conseruent me, quoniam expectaui te: id est, in te fiduciam collocaui. Hic Dauid duo coniungit, videlicet conscientiam bonam, & fiduciam in Deum, ex qua inuocatio.

Et exaltans caput meum. Metonimia est, qua significat se gloriosam liberationem expectare. Vt enim qui lugent aut pudore suffunduntur, caput deiiciunt: ita erigunt caput, qui exhilarantur aut honorantur.

Voce mea ad Dominum clamabo. Hic sciendum est quadruplicem esse clamorem. 1. vindictæ. 2. Cordis tantum. 3. oris tantum. 4. oris & cordis simul. De primo clamore, nempe *Vindictæ*, habetur *Genes.* 4. vbi Dominus ad Caim fratricidam hunc in modum loquitur: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me e terra. Etiamsi Abel tacet, tamen sanguis eius clamat vindictam. Hinc generalis doctrina de vindicta petatur, videlicet, quod Deus non obliuiscatur iniuriæ piorum, etiamsi læsi tacent & aliquando etiam gratias agunt. Nam eorum curam, & cum viuunt, & cum mortui sunt Deus habet. Sic vel tacentes clamant ad Deum, qui a Tyrannis iniuste patiuntur. Non est ergo quod Tyranni ideo putent se euasisse pœnas, quod oppressi silent, & etiam interdum se affligentibus gratias agunt. Vere enim dicitur, ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα, id est, habet Deus vindicem oculum.

De clamore cordis tantum habetur *Exodi* 14. Deus beatissimo Mosi tacenti dixit: Quid clamas ad me? Est ergo aliquis clamor tacentis, qui cœlum penetrat, quemque Deus exaudit, cuiusmodi clamores sunt omnia sanctorum suspiria etiam dormientium, & in timore Dei se ad somnum applicantium.

Clamor oris tantum est omnium qui inuocant Deum sine pœnitentia, & qui retinent propositum peccandi, talis fuit cla-

clamor hostium Dauidis, *Ps.*18. talis est hypocritarum, tales sunt clamores Papistarum, atque adeo omniũ (vt diximus) qui viuunt sine vera pœnitentia.

Clamor cordis & oris simul hic intelligitur. Sicut tertius versus satis ostendit. De vtroque loquitur etiam *Psal.* 21. cum ait, Desiderium cordis eius tribuisti ei, & petitionem labiorum eius non negasti ei. Qui dicunt vocem inter precandum non requiri, negant confessionem oris necessariam esse, contra Paulum, qui ait, Confessio ore fit ad salutem *Rom.* 10. Hoc ergo exemplo docemur quo fugiendum sit, cum ab hominibus videmur deserti, videlicet ad turrim fortissimam nomen Domini. Hoc Dauidis exemplum Iosaphat imitatus est 1. *Paralip.* 20. cum ait, Cum ignoramus quid facere debeamus, hoc solum habemus residui, vt oculos nostros ad te dirigamus.

Et respondebit: Metalepsis est siue transsumptio, respondebit pro exaudiet, & exaudiet pro opem feret. *Respondebit*, id est, mihi persuadeo, quod iuxta promissionem suam sit me aduersus hostes meos defensurus.

Hic ergo docemur, quali fiducia DEVS sit inuocandus, non nos hortaretur (inquit Augustinus) vt peteremus, nisi dare vellet. Qui ergo sine fiducia & dubitans petit & inuocat, non vere inuocat, sed potius deridet Deum, & contemnit eius promissionem. Verum interea Deo relinquendus est exauditionis modus & tempus, qui pro sua sapientia moderatur omnia.

Cum addit. *De monte sancto suo*, significat, quod sola Ecclesia promissionem habeat quod Deus velit se exaudire. *Mons sanctus* dicitur, quia ibi erat propitiatorium, quo Christus adumbrabatur. Non enim exaudimur sine propitiatorio, id est, Christo, qui in sola Ecclesia habitare dicitur. *Psalm.* 76. facta est habitatio eius in Syon.

Ego enim tacui & dormiui. Recordatione priorum liberationum se erigit. Cogitat enim de totius vitæ prioris periculis, a quibus diuinitus se erectum nouit: & nititur hoc principio, Deus est constans in suis promissis, & semper sibi similis. Promisit autem omnibus ad se confugientibus auxilium. Et ego sæpe expertus sum, quam firma sit ipsius promissio. Multis enim e periculis me,

se inuocantem liberauit, quare non dubito, quin mihi sit & nunc opem laturus. Metaphora in singulis verbis obseruetur. Iacui, inquit, id est, obiectus eram periculis. *Dormiui*, id est, securus fui, fretus tuis promissionibus. &c. *Exurrexi*, id est, euasi pericula, quare? quia *Dominus me sustentabit.* Patres multi hunc versum de morte, sepultura, & resurrectione Domini interpretantur, in hunc modum. *Ego iacui* mortuus & depositus a cruce, *& dormiui*, quiescens in sepulcro vere mortuus: *& exurrexi* tertia die a morte, quia Dominus sustentauit, id est, per suam potentiam excitauit me a mortuis. Hanc interpretationem Patrum etsi libens recipio, tamen præstare existimo, niti solidis fundamentis & certis clarisque testimoniis cum agitur de fidei articulis.

Non timebo a miriadibus populi. Hæc fidei ὑπόστασις & πληροφορία est in Dauide in mediis persecutionum fluctibus. Vt enim nauis ingruentibus procellis, & velo in altum leuato, clauo regitur, & ad portum properat, ita homo pius clauo fidei fertur, donec in beatitudinis portum venerit.

TERTIA PARS.

7. *Surge Jehouah: Salua me Deus meus, quoniam percussisti omnes inimicos meos in maxillam, dentes impiorum confregisti.*

HIc versus propositio est principalis huius Psalmi, & est precatio, qua petit se saluari & eripi a periculis præsentibus: Hactenus enim cogitatione promissionis diuinæ, & recordatione prius præstitarum liberationum, animum ad precandum erexit. Nunc plena fiducia petit se a præsenti periculo liberari.

Sunt autem in hac precatione quatuor.

1. Compellatio.
2. Petitio.
3. Ratio, tu enim es Deus meus. Et
4. Confirmatio ex cõmemoratione priorũ beneficiorũ.

Compellatio est, o Iehouah. Eum enim solum compellat, qui solus iuuare potest, nempe Deum ipsum, qui vt omnia

omnia condidit & conseruat, ita omnia ad suam gloriam refert. Quare & solus inuocandus est. Et quoniam erat fretus promissione diuina, vt ex superioribus patet, mente intuetur promissum semen, cuius solius merito & intercessione Deus inuocantes exaudit. Huius exemplum & nos in nostris precationibus imitemur, atque eum solum inuocemus, a quo solo iuuari possumus.

Petitio. Surge, salua me. Vt Deus videtur iacere, & dormire, quando permittit impiis grassari in pios: Ita surgere dicitur, cum impios coercet & punit, suosque liberat & saluat a periculis. Est autem figura, quam Patres appellant anthropopathiam, quando videlicet humanæ actiones Deo tribuuntur.

Ratio est, Deus meus. hoc est, ideo te o Iehouah compello, & a te peto me iuuari, quia es Deus meus, quem scilicet fide possideo. Est igitur hoc argumentum petitum & a facultate, & a voluntate Dei simul. Potest enim, quia Deus est, Et vult Dauid iuuare, quia Deus est Dauidis. Etsi autem Deus, omnium Deus est, si eius naturam & prouidentiam Vniuersalem respicis, tamen solius ecclesiæ peculiari modo dicitur Deus, videlicet propter promissionem & fidem promissionis. Notitia enim Dei, & fides promissionis gratiæ propter Christum, seiungunt ecclesiam a prophano mundo, atque eam in familiam Dei introducunt, in qua habeat accessum ad Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum. Nos igitur exemplo Dauidis Deum omnibus communem, *nostrum* faciamus fide. Quod cum facimus, tuto possumus in ipsius promissionibus acquiescere, vt quilibet nostrum dicere possit cum Dauide Salua me Deus meus.

Confirmatio, qua fiducia exauditionis fulcitur, sequitur, *Quoniam percussisti omnes inimicos meos in maxillam, & dentes impiorum contriuisti.* id est, tu antea hostes meos ignominiosa cæde prostrauisti: quare & nunc te mihi adfuturum confido. Atque ita Fides in inuocatione erigit se prioribus beneficiis Dei. Devs enim cum sit constans & semper sibi similis, non desinit iis benefacere, quibus cœperit semel benefacere, modo ipsi in fide & obedientia perseuerauerint, & si lapsi fuerint aliquando, se rursus erigant fide promissionis. Percussione in maxillam & dentium fractione, notatur igno

miniosa pœna, quam Deus de hostibus Dauidis sumpsit. Nā qui percutiuntur in maxillam, adeò vt dentes etiam excutiātur, non solum cruciatum in corpore sentiunt, verum etiam pudefiunt, tanquam summa ignominia affecti. Hac ignominia compensat Deus ignominiam, qua suos seruos impii afficiunt. Piorum ergo ignominia breuis est & momentanea: Impiorum verò sempiterna erit, iuxta Danielis dictum 12. Opprobrium sempiternum propositum est impiis.

QVARTA PARS.

8. *Iehouah est salus, super populum tuum benedictio tua. Sela.*

DVlcissimo Epiphonemate, & præcipuo scripturæ axiomate claudit Psalmum. Constat autem hoc Epiphonema, confessione & petitione.

Confeßio est. Iehouah seu Dei est salus, hoc est a solo Deo salus est. Dicitur autem hic salus Dei effectiue, qua videlicet Deus adiuuat, defendit & liberat suos. Ex quo sequitur, quod & solus sit inuocandus, vt qui solus iuuare, defendere & liberare possit. Est autem hic duplex salus cōsideranda, temporaria seu corporalis, & æterna seu spiritualis.

Temporaria est a malis huius vitæ liberatio. *Aeterna* est redēptio ab æterna morte. Vtraque solius Dei donum est, sed æterna in nobis post resurrectionem consummabitur. Porro cum hoc opus sit Dei propriū iuxta dictum Prophetæ *Deut.* 32. Non est præter me saluator. Item *Is.* 45. Deus iustus & saluans non est præter me. Et 1. *Tim.* 1. Iesus Christus venit in mundum, vt peccatores saluos faceret, iuxta promissionem: ipsum verum Deum agnoscere & fateri necesse est. id quod expresse habet promissio Patris. *Hoseæ* 1. Saluabo eos in Iehouah Deo suo. Item *Esa.* 45. Israel saluatus est in Iehouah, salute æterna. De hac salute redemptionis & æterna teneatur dictum Pauli ad *Ephes.* 2. Gratia saluati estis per fidem, & hoc non ex vobis: Dei donum est & non ex operibus, ne quis glorietur: Ipsius enim factura sumus creati in Christo Iesu ad bona opera, quæ præparauit vt in iis ambulemus. Ab hac salute redemptionis, excluduntur omnes verbi Dei contemptores iuxta dictum. *Psalm.* 119. Longe ab impiis salus, quia statuta tua non exquisiuerunt, id est, verbum tuum,

quod

quod multis nominibus appellatur.

Petitio est cum Apostrophe. Et super populum tuum benedictio tua supl.sit.Ita Dauid non pro se tantum orat, sed pro tota Ecclesia, nos erudiens vt quoties pro nobis ipsis oramus, simul etiam meminerimus totius corporis Ecclesiæ.Sic alibi precatur Dauid,cum ait. Saluum fac populum tuum Domine,& benedic hæreditati tuæ,id est, populo tuo. *Psa.*28. Atque hæc precatio,Ecclesiæ quotidiana esse debet.

Vsus Psalmi Tertij.

Athanasius vno verbo vsum huius Psalmi indicat,cum ait,Qui tertium cantauerit Psalmum, in proprias tribulationes inspiciens, sua quasi verba esse putabit. Hoc quidem pie & recte Athanasius.Nam cum in hoc Psalmo intelligimus Dauid fuisse typum Ecclesiæ, mentem circumferre debemus per omnes Historias Ecclesiæ inde vsque ab Abel, qui similiter typus Ecclesiæ fuit,ad nostra tempora:vt cogitemus quod Ecclesiam,eiusque membra singula,semper comitetur crux in hac vita.Idque non temere, sed ex sapientissimo Dei consilio, qui suos in hac vita exploratione ignis probat,vt olim sint futuri cōsortes gloriæ Christi, modo legitime certauerint.Cum ergo nos quouis modo affligimur, nō frangamur animis, sed intrudamus nos in gremium Ecclesiæ,cui certa salus & benedictio æterna a Deo proposita est.Memores dicti Pauli qui ait.Rom.8.Statuo quod non dignæ sint passiones pręsentis vitę, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.

PSALMVS QVARTVS.

Summa Psalmi Quarti.

HIC *Psalmus factus esse videtur in exilio Dauidis, videlicet cum Dauid vel Saulē vel Absolonem fugeret. In ea fuga diuinis promißionibus & precibus vir sanctus se sustentat. Nam afflictus ad orationem tanquam præsidium tutißimum se conuertit, obiurgat, docet, & hortatur aduersarios ad resipiscentiam, consolatur socios, collatione spiritualium bonorum quibus abundat ecclesia, & corporalium commodorum ex quibus superbiunt impij. Quoniam autem Dauid fuit typus Ecclesiæ, & hostes Dauidis adumbrabant hostes Ecclesiæ, quidā docti amissa historia, Psalmum ad Ecclesiam transferunt, quam erigit Propheta, contra scandalum crucis, idq; duobus grauißimis argumentis, quorum, prius a more Dei sumitur: alterum a collatione donorum Ecclesiæ, & aliorum qui sunt extra Ecclesiam. Titulum vt ambiguum omitto.*

Ordo & dispositio Psalmi Quarti.

Tres sunt partes huius Psalmi.

1. *Est inuocatio & continetur in primo versu.*
2. *Est obiurgatio, doctrina, admonitio, exhortatio ad patientiam & resipiscentiam. Hæc pars continetur 2. 3. 4. & 5. versibus.*
3. *Tribus postremis versibus absoluitur, & est conolatio, qua Dauid socios suos erigit, collatione bonoum Ecclesiæ & aliorum qui sunt extra ecclesiam. tem suo exemplo.*

Est ergo hic Psalmus mixtus, nempe precatorius, obiurgatorius, didascalic⁹ exhortatorius, & cõsolatorius.

EXEGESIS PSALMI QVARTI CVM INDICATIONE doctrinarum.

PRIMA PARS.

1. *CVM clamo respon de mihi Deus iusticiæ meæ, in angustia dilatasti mihi: miserere mei, & audi oratione meã.*

PRECATIO est Dauidis cruce pressi, in qua hæc sunt.
1. propositio.
2. compellatio.
3. confirmatio, &
4. repetitio

Propositio. Cum clamo responde mihi. Hoc est, me inuocantem exaudi, & afflicto fer opem, iuxta promissionem tuam. Vt autẽ crux & afflictio, occasio, ita fiducia exauditionis & impetrãdi auxilij propter mediatorem causa est inuocationis, iuxta Salomonis dictum *Pro.* 18. Turris fortissima nomẽ Domini, ad hanc iustus curret & exaltabitur, supl. in afflictionibus. Est enim vera inuocatio Dei, præcipuus Ecclesiæ murus portus, arx, & ara. Sed semper discernendum est inter necessaria ad salutẽ animæ, & necessaria ad huius vitæ sustẽtationẽ. Illa petenda sunt sine cõditione, quia promissio est vniuersalis. Hæc cũ cõditione, videlicet, si cedit in gloriã Dei & in nostrũ bonũ. Sic Dauid in exilio vtraq; bona petiit. De pertinẽtibus enim ad hanc vitã ita statuit, vt anteferret voluntatem Dei, suis fortunis & vitæ : Expulsus enim ita dicebat 2. *Sam.* 15. Si inuenero gratiam in oculis Domini, reducet me. At si dixerit mihi : Non places, pręsto sum : faciat quod bonum est coram se.

Compellatio. Deus iustitiæ meæ. Hoc est, O Deus, qui es & donator iustitiæ, qua corã te iustus sum, & approbator iustitię meę, qua ego innocẽs sum. Me enim innocẽtẽ persequũ-

tur aduersarij mei, quos nunquam læsi. Atq; ita Dauid inter precandum nititur & aliena iustitia, nēpe qua donatus erat, idq; corā tribunali DEI: Et propria iusticia, id est, innocētia sua idq; respectu hominum, qui illū persequebātur iniuste. Nequaquam enim existimandum est Dauidem, cum hypocritis suam iustitiam iactasse coram Deo: dicit enim alibi. Ne intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Item. Si iniquitates obseruaueris Domine, quis sustinebit? Sed apud te propitiatio est, vt timearis. Hypocrita dicit: Non sum sicut cæteri homines. Vere autem pius pœnitens dicit, Deus propitius esto mihi peccatori. Etsi hic locus occasionem præbet dicendi de iustitia, quæ in scripturis multiplex est, tamen breuitatis causa omissis aliis formis, tantum de iustitia bonæ conscientiæ, idque breuissime dicam.

Iustitia Bonæ conscientiæ est duplex, videlicet Vniuersalis, & Particularis.

Vniuersalis bonæ conscientiæ iustitia est, nouitas vitæ, hominis iustificati fide, retinentis fidem & bonam conscientiam, declinantis a malo, & facientis bonum, oblectantis se lege Dei, & eam meditantis die ac nocte, facientis opera vocationis in timore Dei, in vera inuocatione, & gratiarum actione in tota vita. Hæc vt finis est inseparabilis iustificationis gratuitæ, ita propria nota filiorum Dei existit. De hac iustitia bonæ conscientiæ Vniuersali, intelligantur dicta. Milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam 1. *Tim*. 1. Item. Qui facit iustitiam, iustus est. 1. *Rom* 2. Item. 1. *Cor*. 4. Nullius mihi conscius sum Item. *Rom*. 13. Qui diligit, legem impleuit, secundum partes videlicet, non secundum gradus. Item. *Psalm*. 119. Tunc non confundar cum respexero ad omnia mandata tua. Item. *Iac*. 2. Qui in vno labitur, omnium reus est. Huc pertinent quæ supra annotauimus de copulatiua iustitia. *Psalm*. 1. vers. 2. Inter hanc iustitiam bonæ conscientiæ & iustitiam imputatam, qua cō sistimus coram tribunali Dei, hoc semper tenendum est discrimen. Illa in nobis est, nempe nouitas vitæ siue sanctificatio. Hæc extra nos est videlicet in Christo, nisi forte ideo dicas eam in nobis esse, quia in nobis Christus per fidem habitat: hoc libens concedo, modo illam in nobis non esse qualitatem vllam aut actionem nostram concedas.

Particula-

Particularis bonæ conſcientiæ iuſtitia, eſt cum quis innocens eſt in re certa, propter quam accuſatur & damnatur ab hominibus iniuſte. Semei accuſauit & damnauit Dauidem, vt iniuſtum inuaſorem alieni regni. 2. *Sam.* 16. Sed Dauid in hac re innocens fuit, non enim rapuit regnum, ſed accepit a Domino. Huius innocentiæ teſtem Deum facit, cum hic ait, Deus iuſtitiæ meæ. Iam accommodemus compellationem ad propoſitionem. Deus eſt approbator iuſtitiæ, & vindex iniuriæ eorum qui ſe inuocant. Ego ſum innocens, & patior magnam iniuriam ab aduerſariis meis. Ideo te inuoco o Deus, vt ſis vindex meæ iniuriæ. Appoſite admodum vtitur vocabulo Elohim hoc loco. Nam hoc nomen Deo a virtute & robore, quod ſolus omnia poſſit, ſuoſque vindicare & tueri contra vim quamlibet ſoleat, ſcriptura tribuit. Hinc eſt quod Deus magiſtratui & iudicibus hoc nomen tribuit, vt in *Pſalmo* 82. Deus ſtetit in Synagoga Deorum, & in fine. Ego dixi Dij eſtis. Vt vel eo nomine gubernatores admoneantur, ordinationis dignitatis, imitationis & officij ſui. quod eſt, & res diuinas, & veram Dei doctrinam procurare & conſeruare. Item pacem & iuſtitiam inter homines tueri, & ſuos ſubditos ab iniuria defendere.

Porro exemplum Dauidis, merito deberent reges, principes, & alij gubernatores imitari, vt cum affliguntur vel a ſuis, vel ab alienis, dicere bona cõſcientia poſſent, Deum inuocantes: O domine Deus iuſtitiæ meæ, ſis vindex iniuriæ quam patior: neminem iniuria affeci, alienum non rapui, defendi iniuſte oppreſſos, omnibus benefeci. Qui tales ſunt recte Euergetæ dici merentur. *Moſes* orta aduerſus ſe ſeditione, ad Deum iuſtitiæ ſuæ vindicem confugit dicens *Num.* 16. Tu ſcis quod ne aſellum quidem, ab vllo eorum abſtuli, neque iniuria quenque ex eis affeci. Sic & Samuel 1 *Sam.* 12. ad innocentiam prouocat. Sic rex *Ezechias* prorogationem vitæ ſuæ petens ait. *Iſa.* 38. Obſecro Iehouah, memor ſis, quod vixerim in veritate coram te, & corde perfecto, quæque probas, geſſerim. Demus & nos operam, qui Euangelium in Scholis & templis docemus, vt ſi aliquando durius nobiſcum agatur, dicere cum Dauide poſſimus, Me inuocantem exaudi Deus iuſtitiæ meæ. Et cum Paulo *Theſſ.* 2. Vos teſtes eſtis, & Deus

quam ſanĉte & iuſte & inculpate apud vos qui credidiſtis vixerimus. *Breuiter.* Singuli in ſua vocatione ſic agant, vt exemplo Dauidis innocentia ſua freti, Deum in ſuis afflictionibus inuocare poſſint.

Confirmatio eſt. In anguſtia dilataſti mihi. Hanc confirmationem ab anteactis petit,& eſt ſenſus: Ego antea fui in magnis anguſtiis,& duriſsima paſſus ſum a Saule & aliis multis & te Domine inuocans, liberatus ſum,& poſt afflictionem percepi conſolationem. Quare etiam nunc ſpero te mihi in his periculis affuturum.

Dilatatio cuius hic meminit,& externa & interna fuit. *Externa* quãdo vndique cinctus ab exercitu Saulis, adeo in anguſtũ locũ redactus eſt,vt nulla pateret ei elabendi via. Deũ tamen inuocans recedentibus hoſtibus, latiſsimũ ſpatium euadendi nactus eſt.*Interna,* quando in media cordis anguſtia,diuinitus percepit conſolationẽ. Vt enim in triſtitia,cor naturaliter cõtrahitur,tanquam fugiens obiectum nocens:Sic in conſolatione ſpirituali,quodã gaudio perfuſum dilatatur,& quaſi exporrigit ſe, vt cõplectatur obiectũ gratũ. Vnde Dauid *Pſ.* 119. Viã mandatorũ tuorũ cucurri, cũ dilatares cor meũ.Porro hęc dilatatio & anguſtia in eodem corde habent diuerſa principia. *Anguſtia* enim cordis oritur a ſenſu carnis, dũ homo cruce premitur,& veluti in anguſtũ adigitur. *Dilatatio* autẽ a ſenſu ſpiritus & fidei,cũ homo ſe erigit aduerſus mala premẽtia,,& percipit conſolationem ſpiritus ex iis cauſis,quas hic in *Pſalm.* 3. enumeraui.Has Dauid intuens ait *Pſalm.*119.Memor fui iudiciorũ tuorum a ſeculo Domine, & cõſolationẽ percepi in cruce. Item:Hæc eſt conſolatio in afflictione mea, quod eloquiũ tuum viuificabit me. Item. Ambulabo in latitudine, quia mandata tua inquiſiui. Eſt proinde verbum Dei fons viuus,vnde oritur viua & efficax conſolatio. Credentibus in Dominum (ait Ambroſius) eſt in Domini miſericordia conſolatio. Et Bernardus. Qui delectatio eſt & gloria angelorum, ipſe factus eſt ſalus & conſolatio miſerorum. Contra vero,humana ſapientia,quia non nouit remedium contra peccata, conſolatur frigide. Cor enim non penetrat,ſed in ore conſolãtis euaneſcit. Et vt vno verbo dicam, Vniuerſa cõſolatio humana deſtituta verbo Dei, inanis garrulitas eſt, quam Bernardus dicit verę & ſalutaris conſolationis impedimentum eſſe.Et Chriſtus dicit *Luc.*26.Vę vo-

bis diuitibus qui habetis hic cõsolationem vestram. Namque humana consolatio efficaciter vulnera non sanat, sed tantũ cicatricibus externe vtrũq; medetur, instar imperiti medici, qui quũ foris vlcus obducit, intus saniẽ relinquit.

Repetitio precationis est. Miserere mei, & audi orationem meam. Hæc precandi formula diligenter obseruetur, plura enim in ea simul comprehenduntur. Qui enim dicit Deo, *miserere mei*, quatuor, modo verbo Dei edoctus sit, facit. *Primo* enim tribuit Deo laudem bonitatis & misericordię, videlicet, quod moueatur miseria humani generis, iuxta dulcissimum dictum *Psalmi* 145. Bonus Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius. Item *Psalm.* 103. Sicut altius est cœlum supra terram: Sic prævalere fecit misericordiam suam super timentes se. Quantum distat ortus ab occidente, elongauit Dominus a nobis iniquitates nostras. *Secundo*, quia scit Deum iustum esse, cogitat de propitiatore, sine quo Deus nemini, ad salutem pręstat iter. Nam faceret contra iusticiam suam. *Tertio* suam miseriam qua premitur, & eius causam videlicet peccatum agnoscit, ac simul pœnitentiam serio agit. *Quarto*, fretus promissionibus diuinis, & merito propitiatoris, sperat se opẽ impetraturum. Hinc Dauid precatur, Fiat misericordia tua super nos, quẽadmodũ sperauimus in te. In mentione enim misericordię, certa spes adesse debet. Hęc quatuor pulcre & distincte cernuntur in *Psalmo* 51.

Quæstio de vicissitudine afflictionum & consolationum piorum in hac vita.

In tertio Psalmo recitauimus nouem causas, cur Dominus pios cruce exerceri in hac vita velit. Hic autem quia Dauid meminit, afflictionum & consolationis suæ alternationum dicens. In tribulatione consolatus es me: breuiter vicissitudines afflictionum & consolationũ sanctorũ in hac vita causas recensebo, quę possunt commode tres statui.

Prima sit propria hominis vtilitas & fructus qui ex hac alternatione percipitur. Nam si homo (vt est natura hominis corrupta) semper premeretur cruce, sine omni respiratione redderetur & sibi & aliis inutilis, desperet, & a Deo prorsus deficeret. Vnde fieret vt non solum in hac vita miser, verumetiam post mortem euaderet miserrimus. Quis enim perpetuis ærumnis non fran-

geretur, vt omnem ſpem ſalutis abiiceret? Contra vero: Si homo ſemper ex voto proſpere ageret in hac vita & nullis exerceretur aduerſis, ſuperbus omnino fieret, cœno turpiſſimarum voluptatũ ſe contaminaret, efficeretur aliis perniciosus, & contumax aduerſus Deum. Breuiter, Aut prorſus negaret Deum eſſe, aut a Deo agnito deficeret, vt qui non cogitaret ſe Deo opus habere. Huc illud Poëtæ dictum pulcre quadrat,

Neſcia mens hominum fati, ſortisque futuræ
Et ſeruare modum rebus ſublata ſecundis.

Et Seneca. Res ſecundę non habẽt vnquã modum. Atque ita homo, ſiue ſemper aduerſis vexaretur, ſiue perpetuo ſucceſſu proſpero vteretur, rueret in ſempiternã miſeriam. Sapientiſsimus igitur Deus, nunc nos cruce premit, ne ſuperbiamus & deficiamus: nunc nos rurſus conſolatur & liberat, ne deſperemus, vt iſto pacto nos in timore ſui retineat, vt excitet nos ad officiũ pręſtandum. Ideo Dauid ait, Priuſquã humiliarer, erraui. Item. Bonũ eſt mihi quod humiliaſti me, vt diſcerẽ iuſtificationes tuas. *Pſalmo* 119. Hoc Dauid nõ dixit cum adhuc ſub onere crucis iacebat, ſed cũ liberatus a cruce conſolationẽ diuinitus perciperet. Nã ſi Dauidi omnia (ſicut ipſe fatetur) ſẽper ex voto ſucceſsiſſẽt, & proſpere vixiſſet ſine omni afflictione & cruce, nequaquam ſciuiſſet quid boni crux adferret. Et cõtra. Si ſemper ſub crucis põdere proſtratus iacuiſſet, deſperabundus a Deo defeciſſet. Eſt proinde homini vtilis alternatio afflictionis & conſolationis in hac vita, vt in timore Dei recto curſu feratur, ad portum beatæ immortalitatis.

Secunda cauſa alternationis afflictionũ & cõſolationis ſanctorũ in hac vita ſit gloria Dei, quę omnibus aliis cauſis merito anteponẽda eſt. Ad hãc enim referãtur omnia, iuxta dictum Iſaiæ, ex ore Dei in hunc modum loquentis. Omnis qui inuocat nomẽ meũ, in gloriã meã creaui eũ, formaui eũ, & feci eum. Ad hanc gloriã Dei augendã inter homines, alternatio crucis & liberationis ſanctorum plurimũ facit. Pii enim cruce preſsi inuocãt Deũ, non ſolũ quia ſciũt ipſũ eſſe fontẽ omnis boni, & promptũ ad iuuandũ, verum etiã propter mandatũ & promiſsionẽ ipſius paternã, multis exẽplis declaratã. Deus inuocatur, vt iuſtificetur in promiſsis ſuis, exaudit pios inuocãtes, atq; eos liberat, iuxta ſuę ſapientię

& bo-

& bonitatis modũ: At nõ sẽper, iuxta sensus nostri & cæcæ rationis votũ. Exauditi pii agnoscũt beneficiũ, prędicãt benefactorẽ, ac se gratos ipsi per totã vitã fore pollicentur. Vt autẽ huius glorię Dei exaudientis pias afflictorum preces magis reddamur appetentes, huc adiiciam docendi, admonendi & excitandi nos causa, tria, videlicet.

1. regulam nobis diuinitus commendatam.
2. Exempla veteris & noui Testamenti, &
3. imitationis modum.

Regula nobis ore Dei traditur. *Psalm.* 50. Inuoca me in die tribulationis, eruã te, & glorificabis me. Hãc regulã si recte (vt decet) perpẽderimus, & singula in ea ęstimauerimus, doctrinã vberrimã, cõsiliũ salutare, & consolationẽ spiritualẽ percipiemus. In hac enim regula expresse & implicite plura continẽtur. 1. causa afflictionis piorũ, quę hic implicite ponitur. Deus enim iustus est, nec punit suos sine causa. 2. afflictio ipsa. 3. mandatũ Dei volẽtis vt in afflictionibus ad se solũ cõfugiamus. 4. obediẽtia debita Deo, implicite. 5. promissio liberationis. 6. fides quę promissiones excipit. 7. liberatio. 8. gratitudo. Hę partes quas in se pręsẽs regula cõtinet, quia sępe explicãtur alias, nolo hoc loco auditoribus, iis declarandis molestus esse. Sed tantum moneo, vt eas semper inter precandum in conspectu habeant.

Exempla regulæ: *In veteri testamento* plura sunt, quam vt breui tempore recitari possint. Quare hac vice solius Dauidis exemplum & testimonium proponemus, quibus regula a nobis tradita confirmatur. Exemplum Dauidis vitam iuxta hanc regulam formantis, sæpissime in libris Regum & in Psalmis occurrit. Verum ne quasi infinitate quadam turbemur, vnum tantum locum ascribam ex *Psalmo* 32. vbi sic ait, Dauid. Tu es refugium meum in tribulatione, conserua me, vt seruatus laudem te. Sed vnde habet Dauid istam παῤῥησίαν, vt dicat? Tu es refugium meum. Ex regula. Inuoca me &c. Sed in verbis Dauidis, vt ea in nostrum vsum commodius transferamus, sunt plura perpendenda. Cum ait: Tu es refugium meum: vox fidei est, quæ nititur mandato Dei & promissione, & confirmatur, & Dauidis proprio, & multis sanctorum exemplis. Cum addit in tribulatione, ostendit quid illum ad precãdum impulerit, nempe pręsens afflictio, cuius causam

haud dubie ſerio cogitauit, nempe peccatum. Etſi autem ſæpe affliguntur ſancti, vel vt probentur, vel vt ſua cruce de doctrinæ veritate teſtentur: vt Abel, Baptiſta, & multi alii, tamen quia Deus hoc iuſte permittit fieri, in natura veram cauſam eſſe neceſſe eſt. Iudicium enim Dei eſt ſecundum veritatem. Paulus nullius ſibi conſcius erat, quem nihilominus Deus permittit cruce exerceri iuſte. Perſona quidem Pauli nõ erat rea, vt ipſe plus quã alii Apoſtoli affligeretur: ſed in natura Pauli Deus inuenit, quod iuſte puniuit. Sequitur. Vt ſeruatus laudem te. Hic & fiduciam exauditionis, & liberationem, & gratitudinem complectitur. Atque ita in Dauidis exemplo, regulam ſupra poſitam, tanquam in tabula depictam videmus. Teſtimonium totius Eccleſię veteris, vnum ſolummodo addam videlicet *Pſalmum* 107. In hoc enim Pſalmo ordine oſtendit Dauid, quomodo populus Dei propter peccatum ſuũ caſtigatus, confugit ad Deũ fretus ipſius mandato & promiſſione, & confirmatus exemplis: quomodo liberatus agnoſcat beneficium, gratias agat benefactori, & alios ad inuocandũ Deũ ſuo exẽplo & cõfeſsione inuitet. Vnde hi verſus ſæpe iterantur. Clamauerunt ad Dominũ, & liberauit eos & de anguſtiis ipſorum eripuit eos. Item. Confiteãtur Domino propter miſericordias eius, & mirabilia eius filiis hominũ, id eſt, celebrẽt laudibus Deũ, propter infinitã bonitatẽ eius, & narremt mortalibus mirabilia facta eius. Huc illud dictum Pſalmi notiſsimum *Pſalm.* 124. pertinet. Adiutorium noſtrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram. *In nouo Teſtamento.* Mandatum & promiſsio ſæpe inculcatur, vt vtrumque multis exemplis confirmatur. Petite (inquit Filius Dei) & accipietis. Et ne quis ſuam indignitatem prætendat, idem noſter magiſter anteuertit, & ait, Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabitur vobis. Eccleſia mandato Chriſti & promiſſioni ipſius credens, ſæpe Deum inuocans liberata eſt. Et nos hoc die iure cum Ieremia dicere debemus, Miſericordia Domini, quod non conſumpti ſumus. Nos igitur in Eccleſia noui Teſtamenti, cum habeamus eundem Deum Patrem, & eundem mediatorem Ieſum Chriſtum, quem Patres habuerũt, nobis quidem exhibitũ illis ſolummodo promiſſũ, imitemur exempla Patrum & veteris Eccleſię, & accedamus vero corde in cer-

in certitudine fidei aspersi corda a conscientia mala *Hebr.* 10. id est, liberati a metu pœnæ æternæ propter mediatorem Christum, & teneamus confessionem spei inflexibilem. Ad *Hebr.* 10. Cum igitur non sit apud Deum προσωποληψία, nos si in nostra cruce, per mediatorem nostrum Iesum Christum, inuocauerimus Deum, vere sentiemus ipsius præsentiam & auxilium: Vnde fiet, vt ipsi veram gloriam tribuamus liberatori. Atque ita videmus gloriæ Dei interesse, vt pij nunc cruce exerceantur, nunc rursus diuinitus liberentur. Crux enim facit vt Deum inuocēt, liberatio vt gratias liberatori agant, beneficium agnoscentes, eumque inter homines prædicent, alios suo exemplo & confessione imitantes ad glorificandum Deum inuocatione, & gratiarum actione.

Tertia causa permutationis afflictionis & consolationis sanctorum in hac vita est, vt instituta comparatione quadruplici. 1. malorum præsentium ad mala futura. 2. bonorum huius vitæ, ad ea bona quæ post hanc vitam expectātur. 3. præsentium malorum, ad bona futuræ vitæ. 4. præsentium bonorum ad mala quæ sequutura post hanc vitam: patienter crucem toleremus, & accendatur in nobis pertæsis huius vitæ, ardens Dei desiderium promissæ redemptionis gloriosæ per Iesum Christum. Quando ergo cruce castigaris in hac vita, cogita quanta sint mala futura quæ manent impios in altera vita. Hanc comparationem cogitans, naturam ducem sequere, quæ dictat: pauciora mala malis pluribus, & minus diuturna mala, malis nunquam finiendis anteponenda esse. Rursus quando prospero vitæ cursu frueris, & quasi in portu tibi nauigare videris, cogita quanta sit fœlicitas futura, eorum qui hinc in vera fide & obedientia viuentes, in inuocatione Dei discedunt. Et hic quoque sensum naturę consule, qui monet bona integra, & æterna, cōtaminatis & tēporariis præponenda esse. *Rursus* confer momētaneam afflictionem, cū sempiternæ gloriæ pondere, & huius mūdi voluptates, quæ plus fellis quā mellis habent, cum perpetuis cruciatibus in inferno. Hoc si feceris, nec momentanea afflictione frāgeris, nec voluptatibus brutis potius quā hominibus dignis capieris, eadem natura magistra. Atque ita ex vicissitudine rerum in hac vita, & ex comparatione præsentium & futurorum excitari debemus, ad amorem re-

rum cælestium, quæ nulli vicissitudini subiectæ sunt. Nam quamdiu in hac vita nobis commorandum erit, perinde nobis accidet, atque iis qui peregrinantur: Sicut enim illi ab vno periculo elapsi, in aliud incidunt: Et si quando lautius & humanius apud amicos tractantur, mox in via progressi insidias & pericula experiuntur, & de vita sæpe periclitantur. Sic Ecclesia & eius membra, in hac vita vt peregrini, varias periculorum vices experiuntur, propterea quod diabolus (sic sapientissimo Deo in nostrum bonum permittente) hostis Ecclesiæ nunquam non suos habet satellites, qui Ecclesiæ Dei insidiantur, nunc hoc nunc illo modo, vt *Petrus* ait, 1. 5. Diabolus vt leo rugiens circumit, & quærit quem deuoret. Hoc sapientissimus & optimus Pater ita vult fieri, vt tædio huius vitæ, & casuum inconstantia fatigati, semper cœlestia cogitemus, & aspiremus ad beatum illum cœtum angelorum, vbi nulla erit pertimescenda rerum vicissitudo, nec tristia lætis miscebuntur, sed stabilis erit, & inconcussa sanctorum fœlicitas.

Has tres causas quas recitauimus vicissitudinis aduersæ & prosperæ sortis sanctorum in hac vita, si vt par est cogitauerimus, magis magisque excitabimur, & ad patientiam in ærumnis, & ad spem promissæ hæreditatis in Christo Iesu, qui & vult & potest præstare quæ promisit credentibus. Hoc enim decretum Dei stabit immotum. Omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. *Ioelis.* 2.

SECVNDA PARS.

2. *Filij viri, vsque quo gloria mea opprobrio? diligetis vanitatem? quæretis mēdacium? Sela*

3. *Et scitote quoniam segregauit Iehouah sanctum sibi. Iehouah exaudiet me, cum clamauero ad eum.*

4. *Contremiscite, & ne peccetis. Loquimini in cor-*

CONuertit Dauid sermoné ad eos qui offendebantur scandalo persecutionis suæ, id est, exilij sui, atque eos obiurgat, docet, monet, hortaturque vt resipiscāt: Deoque veros cultus in patientia præstent. Atque hæc est summa sententia horum versuum. Nunc ordine singula expenda-

de vestro, super cubili vestro, & silete. Sela.

5 *Sacrificate sacrificia iusticiæ, & sperate in Iehouah.*

pendamus.

Filij viri. Apostrophe est, qua compellat eos qui sua cruce offendebantur. Vocat autem filios viri phrasi linguæ sacræ, eos qui genere, virtute, authoritate, opinione sapientiæ & iusticiæ videntur alios antecellere *Psalm.*49. per filios Adam, vulgus: per filios viri, nobiles & potentes intelliguntur. De his alibi conqueritur Dauid cum ait *Psalm*.119. Sederunt principes, & aduersum me loquebantur: Seruus autem tuus loquebatur de mandatis tuis. Item Superbi subsannant me, a lege autem tua non declinaui. Item: Concinnant aduersum me superbi mendacium, ego autem in toto corde custodiam mandata tua. Tales enim (vt fit) offendebantur exilio Dauidis, & ex sensu carnis & iudicio rationis cæcæ ratiocinabantur absque dubio (vt ex obiurgationis forma apparet) in hunc modum. Qui melius habent & tranquillius viuunt, iustiorem causam habent, & Deo sunt grati. Si igitur hic Dauid bonam haberet causam, & tam gratus esset Deo, vt sibi persuadet, non pateretur tam probrosum exilium, idque a proprio filio. Deus enim suos cultores absque omni dubio amat. Si amat, defendit. Si ergo hic Dauid esset cultor Dei, vt audire vult, non tanta pateretur. Sed non sapientis est, ex eo iudicare, & sumere iudicium de pio & impio, quod est commune vtrique, qualis est in hac vita varietas ærumnarum & calamitatum. Iis enim & pii & impii subiiciuntur (Nisi aliæ manifestæ causæ vt blasphemia in Deum, tyrannis, & libidines, in oculos incurrunt hominum) Quæ Deus sæpe palam punit, in aliorum exemplum.

Quo vsque gloria mea opprobrio? supl. erit. Hæc obiurgationis propositio est. Cuius sensus est. Quamdiu eam, quam ego reputo summam esse gloriam, tanquam probrũ mihi obiicitis? Quid hoc loco Dauid gloriam suam nominet, & quid contra aduersarii ipsius opprobrium, non aliunde quam ex collatione dictorum in hoc Psalmo colligendũ est. Si ergo diligentius omnia perpenderimus, gloria Dauidis hoc loco erit in genere: Veræ relligionis in sua vocatio

ne professio quæ cōplectitur Doctrinā de Deo, inuocationē Dei, patientiam sub cruce, spem liberationis, lætitiā cordis per spiritum sanctum, conscientiam bonam 1. *Petr.* 4. Spiritus gloriæ & Dei super vos requiescit. In his enim pii suā gloriam ponūt in hac vita expectātes plenā liberationē, in illustri aduentu filii Dei. Hanc Ecclesiæ gloriam potentes & sapientes huius mundi tanquam ludibrium quoddam & probrum obiiciunt sanctis, ac eius loco inanes vmbras sectantur. Ideo subditur.

Vsque quo diligetis vanitatem? vsquequo quæretis mendacium? Quid hic vocet vanitatem & mendacium, ex ijs quæ in fine huius Psalmi ponuntur, promptū est colligere, videlicet. 1. fauorem mundi. 2. voluptates carnis. 3. securitatem vitæ. 4. abundantiam rerum. 5. honores & huiusmodi alia, quæ mundus summa bona iudicat. Quæ omnia sine cognitione Dei, nihil aliud sunt quam vanitas, cito enim euanescunt nec suos possessores beatos reddunt. Sed vnde hoc diuersum iudicium in Dauide & eius aduersariis? Dauid omnia bona Ecclesiæ, in quibus suam gloriam collocat metitur fide promissionis: scit enim promissionem Dei vanam non esse. Contra vero aduersarii Dauidis omnia metiuntur sensu & ratione, quæ limites huius vitæ non transgrediūtur. Exemplum Dauidis imitemur & nos, & discamus gloriam nostram recte definire, & distinguere a vanitate & mendacio huius mundi. Gloria ecclesiæ in Deo fundatur. Gloria huius mundi in rebus vanis & caducis. Gloria Ecclesiæ est triumphus in morte. Gloria mundi est in morte desperatio. Gloria Ecclesiæ finem habet, beatam immortalitatem, gloria mundi sempiterna clauditur miseria.

Et scitote quoniam segregauit Dominus sanctum sibi. Hic docet aduersarios, vt agnito suo errore resipiscāt. Sensus autem horum verborum est, Scitote quod Dominus Deus longe aliter cum piis agat, quam sensus & ratio iudicant. Non affligit vt perdat, vt sensus & ratio putant, sed vt saluet. Id quod filii Dei norunt. Non punit ex ira, vt iudex, sed ex misericordia vt pater. Sic enim hunc versum interpretatur *Psalm.* 17. Mirifica misericordias tuas, qui saluos facit sperantes in te: hoc est: mirabiliter seruat eos qui fidunt tua misericordia. Hunc Dei modum agendi, sola Ecclesia nouit, & castigata gratias agit Patri clementissimo.

Filius

Filius cum castigatur, etsi virgam asperam sentit, tamen simul veniam sperat, imo non solum veniam sperat: sed etiam inter verbera ipsa, se clementem patrem habere confidit, vt non dubitet, cum *Iob c.*13. dicere, Etiamsi occidat me sperabo in eum. Pater enim cælestis, nullum filium recipit, quem non castigat. *Pius seu sanctus* hoc loco quis sit *Psal.* 86. docet, vbi hæc Synonima sunt. Confidens in Deum: seruus Dei, Deum suum agnoscens, ambulans in veritate Dei. Breuiter, qui firma fiducia nititur misericordia Dei, desperat de se, & optime sperat de Deo. Vocabulum Hebraicum Chasidh, & Deo & hominibus tribuitur in scripturis. Cum Deo tribuitur, significatur storga paterna qua Deus Pater in se credentes intime amat, & vt charissimos filios approbat, idque in filio vnigenito. Sumus enim, vt Paulus ait *Ephes.*1. Dilecti in dilecto. Quod dictum Paulus extruxit, ex verbis Dei patris dicentis de filio: Hic est Filius meus dilectus ἐν ᾧ εὐδόκησα, id est propter quem omnes illum recipientes, tanquam filios charissimos complector & approbo. Cum homini tribuitur, significatur amor filialis, quo homo fidelis Deum patrem, cuius fidit misericordia, propter meritum Filii complectitur. Ex hoc amore nascitur timor, obedientia erga Deũ, patientia, dilectio proximi cæteræque virtutes.

Iehouah exaudiet me, cum clamauero ad eum. Hæc vox Fidei est qua Dauid se in afflictione præsenti sustẽtat, & nititur hæc fides, vt supra aliquoties admonui, bonitate Dei, mandato Dei, & promissione Dei. Et confirmatur, & Dauidis proprio & aliorum sanctorum, in sua cruce inuocantium Deum exemplo, *Psalm.*91. in vno contextu, meminit mandati, promissionis fidei & liberationis. Quoniam desiderat me, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognouit nomen meũ, clamabit ad me, & exaudiam eum. Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eũ. Huiusmodi fide, si & nos Deum accesserimus, sciamus ipsum vere iuxta suam promissionem, nos exauditurum esse. Cum sit æqualis omnibus, quoad salutis negotium attinet.

Contremiscite & ne peccetis. Exhortatio est ad pœnitentiam. Simplicissima horum verborum, modo apud hypothesin maneamus, sententia hæc est. Contremiscite cogitantes iudicium Dei, mirabiliter regentis suos sanctos, & Deum timete, ita futurum est, vt non peccetis, impatientia,

vanitate & mendacio huius mundi decepti. Solus enim timor Dei, frenum eſt, quo homines coercentur, ne ruant in peccata. Græce habetur ὀργίζεσθε, id eſt, iraſcimini, quo verbo non præcipitur, vt aliis iraſcamur, ſed nobis ipſis. Iraſcimini (inquit) ſcilicet vobis non recte iudicantibus de iudicio Dei, qui longe aliter ſuam Eccleſiam gubernat, quam mundus iudicat. Cum ergo iubet vt ſibi iraſcantur, requirit veram contritionem, qua pœniteat eos ſui facti, quod gloriam Dauidis ei tanquam probrum obiecerint. Hæc interpetatio conuenit cum ſententia Pauli, qui hunc locum citat *Epheſ*.4. hypotheſin ad theſin transferens. Iraſcimini, inquit, & ne peccetis, ſol ne occidat ſuper iracundiam veſtram, & ne detis locum Diabolo, id eſt, Iraſcimini, ſed vobis ipſis, (damnantes veſtros affectus) & non fratribus. Quare ſi contra fratres ira ſubit, mox eam reprimite, ne quid præter dilectionem facientes vel dicentes cogitanteſve, peccetis. Cum Paulus addit, ne locum detis diabolo, ſignificat, quod affectibus indulgentes & vindictam expetentes, renuntient Deo, ac diabolo hoſti Dei ſe adiungant. Quoties ergo animum ſubit vindictæ cupiditas, contremiſcat animus, & in timore Dei ſe continens, Satanæ dicat, Apage tu aduerſarie, non tibi morem geram, ſed Deo meo, quem timeo. Is enim ſerio mihi præcipit ne iraſcar fratri meo. *Loquimini in corde veſtro, ſuper cubili veſtro & ſilete*. Sententiam eandem repetit permutatis verbis. Loqui in corde ſuper cubili, eſt tacite apud ſe cogitare & ſerio perpendere, & ex verbo Dei iudicare, quid expediat, & quid non expediat, quid Deo probetur, & quid nõ probetur, quid nos deceat, qui Deo iurauimus, & quid non deceat. In hac cogitatione creſcit timor Dei, verus dolor propter peccatum, ſeu contritio & piis digna tolerantia. *Et ſilete*, id eſt tacete apud vos, contremiſcite timentes Deum, & agnoſcentes veſtrum errorẽ. Cum hac interpretatione congruit lectio græca, quæ habet κατανύγητε, id eſt compũgimini. Idẽ enim quod in principio verſus dixit ὀργίζεσθε iraſcimini, in fine compũctionis verbo reddidit. Compungimini, id eſt, pœniteat vos veſtri peruerſi iudicii de mea gloria, & reſipiſcite.

Porro Silere in ſcripturis & alibi, vt habet varias cauſas, ita etiam varie accipitur: ex quo fit, vt interdum ſignificet tranquillum eſſe, interdum quieſcere & negligere, interdum timere & contremiſcere ſeu compũgi, vt hoc loco. Debet ergo ſi-

go ſignificatio ex cauſis & circunſtantiis dictorum peti. Porro tranſlata hypotheſi ad theſin,doctrinam contritionis continet hic verſus, videlicet, vt pœniteat nos noſtrorum peccatorum,quibus vel Deum vel proximum offendimus, abſtineamus a peccato in poſterum, & vero dolore propter peccatum afficiamur,ſerio iudicium Dei metuentes. Præterea vt forti animo feramus crucem,nobis diuinitus propter peccatum impoſitam,& expectemus fide,aut liberationem aut mitigationem.

Sacrificate ſacrificia iuſtitiæ, & ſperate in Iehouah. Vt ſuperior verſus de contritione,ita & hic de fide & noua obedientia agit.Vt enim contritione præparamur, ita fide conuertimur,& noua obedientia,quæ eſt fructus fidei, noſtram gratitudinem erga Deum declaramus. Obſeruetur hic conſuetudo Patrum,in veteri teſtamento. Homines delinquentes ſiue ſponte ſiue errore pro peccato ſolebant offerre victimam aliquam,in teſtimonium reſipiſcentiæ. Et quia hypocritæ hoc ſine fide, & propoſito emendandæ vitæ fecerunt, hic iubet Dauid, vt cum externo illo ſacrificio coniungant viuam fidem,& obedientiam. Abel obtulit ſacrificium iuſtum,quia fidem adhibuit,& iuſtitiæ,ſtuduit,id eſt,obedientiæ erga Deum. Contra vero Cain obtulit ſacrificium ſiccum,id eſt,non conditum ſale fidei,& ſtudio emendationis vitæ.Ideo potius abominatio,quam ſacrificium, erat ipſius opus.

Hic tenendum eſt diſcrimen inter ſacrificia pædagogica ſeu typica & vera.

Pædagogica ſeu Typica ſacrificia,fuere ritus diuinitus ordinati,offerendi Deo donaria & victimas idque vel ad placandum offenſum Deum,vel ad teſtificandum cultum & religionem vnius Dei. Hi ritus habuere ſpirituales ſignificationes,in vniuerſum tres,videlicet, *primo* reatus offerẽtium. Effuſio enim ſanguinis victimæ,& peccatum & reatum notabat eorum qui offerebant.*Secundo* oblationis Chriſti,tum futuræ,iam peractæ.*Tertio* inſtructionis in vero Dei cultu. Sine his tribus externa ſacrificia,inania fuerunt ſpectacula: neque enim per ſe placabant Deum:nec per ſe cultus fuere. Sed propter fidem & ſpiritualem obedientiam placebant,vt in oblatione Cain & Abel apparet.In Cain quod non placebant, per ſe,in Abel quod accepta erant Deo per fidem &

obedientiam. Ideo Dauid hic duo coniungit. *Sacrificium & iustitiam*, quæ iustitia est veluti condimentum sacrificij, sine qua omnia sacrificia Pædagogica sunt abominationes & a Deo minime præcepta. Sic enim Salomon inquit, *Prouer.* 15. Victima impiorum abominatio Domino. Sed omissis pædagogicis sacrificiis, de veris sacrificiis dicemus breuissime.

Vera sacrificia noui testamenti sunt duplicia. videlicet ἱλαστικὸν, id est propitiatorium, & εὐχαριστικὸν, gratiarum actio, sic dicta a suis propriis finibus.

Ἱλαστικὸν sacrificium est, quo Deus non typice, sed vere placatur. Et est oblatio Christi voluntaria, in cruce pro peccatis totius mundi, iuxta illud *Ioh*. 17. Pro illis sanctifico me ipsum, vt sint & ipsi sanctificati. Item *Ioh*. 1. Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi. Item. 2. *Cor*. 5. Eum qui non nouit peccatum, fecit peccatum, vt nos fieremus iustitia Dei in ipso. Item. 1. *Ioh*. 1. Ipse est ἱλασμὸς pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed pro totius mundi. Hoc sacrificium Christi semel peractum sub Pontio Pilato durat in perpetuum, ad sanctificandos omnes, qui in vnicum hunc sacerdotem Christum crediderint. Et tametsi Christus passus est, non in diuina natura, quæ pati non potuit: Est enim deitas vt immutabilis prorsus, ita & impassibilis: Sed in humana natura tantum: Tamen propter vnionem personarum, dicitur personæ sacrificium, & est infinitæ efficaciæ & valoris. Siquidem persona patiens erat Deus, qui infinitæ est potentiæ. In huius sacrificij propitiatorij memoriam, cœna Christi instituta est. Ideoque a sanctis patribus interdum vocatur Sacrificium per Metonimiam, quia in recordatione huius sacrificij Christi celebratur. Quæ tamen cœna proprie loquendo more Ecclesiæ est Sacramentum.

Εὐχαριστικὸν sacrificium omnium piorum in genere duplex est, videlicet personæ, & obedientiæ. εὐχαριστικὸν sacrificium Personæ, est cum homo totus seiunctus a prophanitate mundi, se totum Deo offert & consecrat, per fidem in Iesum Christum, in vna conuersione, gratias agens Deo, pro sacrificio Christi, quo redemptus est, vt non amplius sit sui iuris, sed eius qui se redemit. De hoc Personæ sacrificio Paulus docet *Roma*. 12. cum ait, Adhortor vos fratres, permiserationes Dei, vt sistatis rationalem cultum vestrum videlicet corpora vestra, id est vos totos, hostiam viuam sanctam

& placentem Deo. Et ne configuremini ſeculo huic , ſed transformemini nouitate mentis veſtræ, vt probetis quæ ſit voluntas Dei bona, & placens & perfecta. Hoc hominis totius ſacrificium Nazanzenus vocat ὁλοκαύτωμα, alludens ad typum, videlicet ὁλοκαύτωμα legale, & ad hoc dictum Pauli. ὅλως δ' (inquit) ἡμᾶς αὐτοὺς ἀνεγχόμενοι, γενώμεθα ὁλοκαυτώματα λογικὰ, θύματα τέλεια. Hæc Nazanzenus in ſermone de Baptiſmo. Huius ſacrificij Perſonæ Symbolum eſt Baptiſmus. εὐχαριστικὸν ſacrificium obedientiæ perſonæ, eſt ex fide vniuerſalis iuſtitia, iuxta primã & ſecundam tabulam. Sic inuocatio dicitur θυμίαμα, in Apocalypſi enim ſic dicitur. c.5. Seniores habebant phialas, plenas thymiamatis, quæ ſunt preces ſanctorum. *Michee.6* . Quid dignum offeram Domino? Curuabo genu meum Deo excelſo. Et Dauid ait. *Pſalm.* 141. Dirigatur oratio meã ſicut incenſum in conſpectu tuo. Eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum. Gratiarũ actio apud Hoſeam c.14. vituli labiorum noſtrorum dicuntur. Beneficentia in Epiſtola ad Hebræos dicitur hoſtia, qua placetur Deo. Dolor propter peccatum temperatus fide ſacrificium Deo gratum eſt. Dolor ſine fide eſt iuſta pœna peccati, nec Deo eſt acceptus, Breuiter. Omnes actiones & paſſiones piorum ſeparatæ ab actionibus & paſſionibus prophanorum hominum, conditæ ſale fidei, aſperſæ oleo ſpiritus, & crematæ igni charitatis, ſunt ſacrificia Deo gratiſſima per Ieſum Chriſtum.

Diſcrimen inter Sacrificia & Sacramenta. Sacrificia ſunt actiones quibus nos aliquid Deo tribuimus. Sacramenta ſunt actiones quibus Deus aliquid nobis tribuit. Quod diſcrimen a principalibus finibus ſumptum eſt. Alioqui & in ſacrificiis gratiæ Dei teſtificatio, & in Sacramentis gratiarum fit actio.

TERTIA PARS.

6. Multi dicunt. Quis faciet nos videre bonum? Leua ſuper nos lumen vultus tui Iehouah.

7. Dediſti lætitiam in

HÆC conſolatio eſt infirmorum oppoſita ſcandalo crucis, & externæ Eccleſię formæ. Obiectio infirmorũ hæc eſt, Quis faciet nos videre bo-

corde meo, dum frumentum eorum & vinum eorum multiplicata sunt.

8. *In pace simul iacebo & dormiam. Quoniam tu Iehouah solus confidenter me habitare facies.*

num, id est, quis finis erit calamitatũ? Quotidie crescit moles persecutionũ. Cum interim aduersariis nostris omnia ex votosuc cedant, hoc non leue scãdalum est. Facit enim vt omnibus tẽporibus multi ita impingant, vt non solum labascant, vt Dauid testatur de se *Psalm.* 73. cum ait, Mei autem pene moti sunt pedes, & effusi sunt gressus mei, quia zelaui super iniquos, pacem impiorum videns. Verum etiam prorsus deficiant, labantur & corruant, ita vt nunquam resurgant.

Sed quid huic scandalo opponit Dauid? Leua, inquit, *super nos lumen vultus tui Iehouah,* id est, aspice nos, vt lucidus tuus vultus, id est, fauor paternus nobis appareat tanquam signum quod nos de tuo erga nos fauore certificet. Cum ergo lumen vultus leuari super se petit, tria simul complectitur & simul precatur, quia sunt connexa, videlicet illuminationem mentis per præclaram Dei notitiam: consolationem cordis per spiritum sanctum: & viuificationem, quæ facit vt Deo se subiiciat, & obediat homo. Hæc tria summa sunt Ecclesiæ bona in hac vita, quæ precamur quotidie cum dicimus, Adueniat regnum tuum. Item, Fiat voluntas tua. Nam lumen vultus Dei opponitur, & tenebris mentis, & tenebris cordis, & tenebris vitæ. *Tenebræ mentis* sunt ignoratio Dei. *Tenebræ cordis*, tristitia cum desperatione. *Tenebræ vitæ*, sunt mores praui & vitia. Proinde *lux* seu *Lumen vultus Dei est* notitia Dei clara, cordis pacificatio, & vitæ sanctitas. Verum quia nemo videt Patrem, nisi Filius, & cui voluerit filius Patrem reuelare, Dauid absque omni dubio, hic simul complectitur notitiam Euangelij, in quo vultus patris, id est, fauor paternus, tanquam in imagine cernitur. Est enim filius imago Patris essentialis. Huc pertinet illa Prophetæ exhortatio *Esa.* 2. Domus Iacob, venite & ambulemus in lumine Dei nostri. *Psalm.* 36. Apud te est fons vitæ, in lumine tuo videbimus lumen. Extende misericordiam tuam cognoscentibus te, & iustitiam tuam iis qui recto sunt corde. Atque ita Dauid scandalo crucis opponit inuocationem Dei, illu-

illuminantis,consolantis & viuificantis nos. In alio Psalmo iubet nos Dauid conferre piorum & impiorum nouissima inter sese. *Psalm.73.* Illorum læta sunt,horum tristia. Sed de his suo loco.

Dedisti lætitiam in corde meo, scilicet infuso in cor meum spiritu sancto tuo,qui est spiritus gratiæ & precum *Zach.12.* *Dum frumentum & vinum eorum multiplicata sunt.* Per vinum & frumentum intelligantur omnia ad hanc vitam caducam sustinendam pertinentia. Hic ergo confert duplicia bona, videlicet, Vera & Caduca. Vera sunt spiritualia firma & æterna. Caduca sunt temporanea,infirma & fugacia. Vera bona adferunt lætitiam spiritualem firmam & æternam,suumque possessorem beatum reddunt. Contra vero bona caduca pariunt lætitiam corporalem,infirmam & fugacem, nec suum possessorem beatum reddunt. Vt ergo vera bona sunt solius Ecclesiæ,& caduca sunt etiam (idque plerunque) hominum quorumuis extra Ecclesiam : Ita lætitia quam percipit Ecclesia ex veris bonis est solida & constans. Contra vero lætitia prophanorum hominum est instabilis & fluxa.

Iam autem cum ratio recta dictet, maiora bona minoribus, vtiliora minus vtilibus, diuturna fugacibus, spiritualia corporalibus , æterna temporalibus , & ea quæ faciunt suum possessorem beatum , iis quæ non beatum sed potius miserum reddunt anteponenda esse: Quis non videt lætitiam Dauidis , qui fuit veræ Ecclesiæ ciuis anteponendam esse lætitiæ aduersariorum Dauidis,ex abundantia vini & frumenti , aliarumque rerum pertinentium ad hanc vitam , perceptæ ? Profecto si lætitiam mundi vere æstimas: quid quæso aliud est,nisi inanis vmbra ? iuxta Poetæ dictum :

Gaudia non remanent,sed fugitiua volant. Nam cum hac vita , quæ vapor est ad modicum durans, terminantur , Vt interim teceam inani mundi lætitiæ,plerunque proximum esse acerbum fletum , id quod multa tragica exempla , & quotidiana experientia testantur. Contra vero Ecclesiæ miseria , etsi in hac vita miscetur aceto afflictionis,tamen vincet tandem , vel in mediis ærumnis , id quod & in Christo, & in cæteris martyribus videre est. Nam eius fundamentum , quod est summum bonum , est immotum & immutabile.

Sed quodnam quæso est illud bonum super quo Ecclesia fundatur?

Est ipse Deus Pater æternus, & ipsius Filius æternus Dominus noster Iesus Christus, Sicut scriptura nos docet *Ps.* 149. Lætetur Israel in eo qui fecit eum. Item *Psalm.* 64. Lætabitur iustus in Domino, & confidet in eo. Hęc duo dicta, quatuor nos docent de lætitia Ecclesiæ vera. 1. enim docent cuiusnā sit. 2. fundamentum monstrant. 3. instrumentum nominant] quo istud bonū vnde oritur lætitia, appræhenditur. 4. ne quis se fallat inani spectro Fidei, docent qualesnam sint, qui huius lætitiæ efficiuntur participes. Lætitia hæc vera est Israelis, id est veræ Ecclesiæ, extra quē nō est vera lætitia. Fundamentum seu causa est ipse Deus, qui Filium dedit. Instrumentum est fides in Deum iuxta promissiones. Nota & qualitas eorum qui huius lætitiæ sunt participes, & fruuntur hoc tanto bono, est studium bonæ conscientiæ. Cum his dictis Dauidis multa etiam alia conueniunt *Psalm.* 32. Lætamini in Domino & exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde. Item. Lætetur cor quæ entium Dominum. Est proinde veræ lætitia Ecclesiæ (quæ non de creatura, sed de creatore sumitur) iocundus animi motus acquiescens Deo in fiducia mediatoris. Hæc lætitia vt fide accipitur, ita fide & bona conscientia retinetur, augetur inuocatione, & vero timore Dei conseruatur, parit veram voluptatem, quia homo satiatur sine tædio, imo quo magis satiatur, magis appetit, & magis delectatur, donec perfectam & consummatam adeptus fuerit homo in æterna vita lætitiam. Cum contra mundi lætitia, voluptatem parit, quæ si durat vel breuissimo tempore, fastidium & nauseam adfert, & tandem interitum.

In pace simul iacebo, & dormiam, quia tu Iehouah solus securum habitare me facies.

Hæc conclusio Psalmi est, quæ primum historice debet, deinde typice explanari potest. Historice in hunc modum. Etsi qui cum Absolone filio cōspirarunt aduersus me, nunc vndiq; me cingūt & premūt, vt nulla euadēdi via appareat: tamē ô Deus, ope fretus tua spero fore vt illi ipsi hostes mei ita mihi reconcilientur, vt non dubitem me secure cum illis victurum & conuersaturū esse. Hic Dauid in suo

quo

quo verſabatur periculo, tribus rebus ſe ſuſtentat, videlicet, 1. bonitate Dei a quo regnum acceperat. 2. innocentia ſua: Nullius enim culpæ ſibi conſcius erat propter quam a filio expelleretur e regno. 3. Et prioribus liberationibus. Bonitate Dei erigit animum in ſpem recuperandi regni. Innocentia ſua fretus, non dubitat fore, quin ſecure aliquando rurſus eſſet habitaturus cum ſuis. Prioribus liberationibus ſimiliter in ſpem erigitur, cogitans conſtantiam Dei in ſuis promiſsis. Nos quoque igitur hinc diſcamus, in noſtris periculis ſimilem fiduciam in Deum collocare, & ita vitam inſtituamus, ne quis habeat aduerſus nos, propter quod minus ſecure cum illo habitare dubitemus,

Iam typum videamus,

Dauid (vt ſæpe admonuimus) typus fuit & Chriſti & Eccleſię. Nunc enim Chriſtum refert ſolūmodo, nunc Eccleſiā nunc vtrumque ſimul vt hoc loco. Accommodemus ergo hunc verſum. 1. ad Chriſtum. 2. deinde ad eius membra ſeu Eccleſiam. *Ad Chriſtum* accommodabiur, ſi hæc oratio Chriſto tribuatur, cum eum perſequerentur Iudęi, cuius orationis hic erit Senſus. Ego iuxta Patris mei decretum ſecurus mortem ſuſcipiam pro humano genere. Ratio ſubiungitur, quia tu ſolus ſecure habitare me faciis, κατα-μόνας id eſt, ſine alio. Id eſt ſpero, ô Pater, me a mortuis iuxta tuum decretum excitatum iri. Hanc accommodationem typi ad veritatem, id eſt, Dauidis ad Chriſtum, nemo reiecerit, qui nouit Dauidem in ſuis perſecutionibus & liberationibus typum fuiſſe perſecutionis & liberationis Chriſti. Et qui ſcit Dauidem ſpiritu Dei actum, locutum fuiſſe, & ſemper ſecum meditatum eſſe, de mirando opere ſaluationis humani generis, quod futurum erat per mortem & reſurrectionem Chriſti, cuius typus erat.

Eccleſiæ ſeu membris Chriſti, accommodabitur hiſtoria Dauidis in hunc modum.

Vt Dauid ſæpe a ſuis perſecutionem paſſus eſt, & tamen euaſit, Deo illum defendente, & ſecurum reddente. Ita Eccleſia & eius mēbra, poſt multas afflictiones liberabūtur, & ſecure habitabūt etſi non corporaliter, ſpiritualiter tamen. Ita ergo quilibet in Eccleſia ſibi hęc verba accommodet. Quoniam tu, o Deus, promiſiſti populo tuo, in quo & ego ſum, pacē & bona minime caduca, & corū bonorū primitias

quaſdam mecum circumfero, videlicet lætitiam cordis per ſpiritum ſanctum, & tranquillam conſcientiam, ſecurus ero & non turbabor, vt a te deficiam vllis huius mundi aduerſitatibus. Etſi ergo nauis in qua vehimur in hoc vaſto mari, mundo, iactatur variis procellis huc illuc, tamen tandem ad portum fœlicem duce Chriſto, deducetur & perferetur. Hac πληροφορία fidei nos in hac vita, quum variis perſecutionum procellis iactamur, ſuſtentemus.

Porro quia Dauid hic meminit ſecuritatis, aliquid huc adiiciam de ſecuritate, vt ſciatur quęnam ſecuritas vitanda, & quæ amplectenda ſit. Sciendum eſt duplicem eſſe ſecuritatem, vnam prophanam, alteram ſanctam. *Prophana*, quæ eſt cauſa & mater omnium vitiorum, (dicente Bernardo) eſt ſine viua fide & timore Dei. Et eſt triplex videlicet, Epicureorum, Phariſæorum, & Libertinorum. *Epicurei*, quia aut tacite Deum eſſe negant, aut ſi verbis Deum eſſe fatentur, tamen ſtatuunt ipſum res humanas non curare, ſecure viuunt, ac loco Dei ſuis voluptatibus ſeruiunt. Hos Paulus *Philip.* 3. inimicos crucis Chriſti appellat quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum. Quorum dictum eſt. Ede, bibe, lude, poſt mortem nulla eſt voluptas. Horum ingenium graphice depingit Euripides in Cyclope, qui dum admoneretur a Sileno reuerentiæ erga Deos, reſpondit.

ὁ πλοῦτος ἀνθρωπίσκε τοῖς σοφοῖς θεὸς
τὰ τε ἄλλα κόμποι καὶ λόγων εὐμορφία.

Item. Nemini ſacrifico niſi mihi & Ventri Deorum maximo. Sed quid huic accidit? Effoſſo oculo ab Vlyſſe, & deriſus a ſuis ait:

οἱ μοὶ γελῶμαι κερτομεῖτε με ἐν κακοῖς.

Phariſæi, id eſt Hypocritæ, quia cœci ſunt, non intelligentes peccati ſui & iræ Dei magnitudinem opinione dignitatis ſuæ ebrii, & meritorum, putant ſibi cœlum deberi, propter opera & merita ſua. Atque ita ſecure viuunt, donec præcipitentur in infernum. *Libertinorum* magnus eſt numerus. Hi fidem iactant, ſine obedientia erga Deum, & ſine vero timore Dei, Chriſtum clamitant ſuum ſaluatorem eſſe. Et pulcre cum aliis de gratuita iuſtificatione & aliis articulis diſputant. Sed Sardanapalos & Epicuros viuunt, ſine vera pœnitentia & timore Dei.

Huius prophanæ ſecuritatis finis erit ſempiterna miſeria Ad hunc ordinem referendi videntur & noſtri, qui in eadem ſæpe peccata recurrentes, nihilominus tamen ſanctos ſe ſimulant.

Securitas ſancta filiorum Dei eſt. Hæc non eſt ſuis pugna ſpiritus & carnis,non eſt ſine tẽtationibus grauiſsimis. Eſt enim non otiantis,ſed militantis ſub duce Chriſto, cuius fiducia ſecure victoriam expectant: certi quod qui promiſit victoriam,poſsit & nos victores facere:iuxta illud. Hæc eſt victoria quæ vincit mundum Fides veſtra. Vt autem hæc ſancta ſecuritas nititur fiducia Chriſti,& conſtantia Dei in ſuis promiſsis, & confirmatur primitiis ſpiritus:Ita opponitur maledictionibus,tentationibus,ſcandalo crucis atque deſperationi, atque adeo in articulo mortis in Chriſto triumphat.

Hæc ita definiri poteſt.

Securitas ſancta eſt animi tranquillitas,conſtans fide,ſpe, timore Dei & bona conſcientia. De hac ſcriptum eſt 2. *Paralip.* 20. Credite in Domino Deo veſtro,& ſecuri eritis. Et Solomon *Prouerb.* 15. Secura mens iuge conuiuium. Hæc ſancta ſecuritas,pacis nomine ſæpe apud Paulum notatur.*Philip.*4. *Gal.*6. *Coloſ.*3. *Rom.* 14.

Vſus Pſalmi Quarti.

Vſus huius Pſalmi hic eſt,vt cum videmus hodie Eccleſiã Chriſti vndique cingi hoſtibus,qui ſuperbe ei inſultãt, obiicientes illi cruciatus & probra, quæ pati cogitur in hac vita:Illis viciſſim opponamus gloriã noſtrã, quod vere ſimus populus DEI,quẽ Deus aliquãdo glorioſe liberaturus eſt.Et ſimul pergamus in vera cõfeſſione, & in timore Dei,anteponamus bona ſpiritualia, videlicet notitiã Dei,lætitiã cordis, cõſolationẽ per ſpiritũ ſanctũ,& habitationẽ Dei in nobis, omnibus voluptatibus, honoribus & opibus mũdi,vt ſub cruce vere cũ Iob dicere poſsimus, Etiamſi occiderit me,in ipſum ſperabo.

PSALMVS QVINTVS.

Summma Psalmi Quinti.

HIC Psalmus & Historicus & Typicus est. Si Historiam spectes, est oratio Dauidis horribiliter exagitati a Saule & adulatoribus aulicis dum erat in exilio, qua suppliciter implorat auxilium Dei, vt vim & furorem improborum coerceat, & afflictos recreet, vt aliquando in Deo lætentur, & exultent, ipsius beneuolentia tanquam clypeo tecti. Typice autem est oratio Ecclesiæ, contra Tyrannos, Hypocritas, & falsos doctores, & votum, vt Deus suos liberet, & suo complectatur fauore. Titulus Psalmi qui est ambiguus nos non impediat. Nonnulli Nechiloth instrumentum Musicum nobis incognitum fuisse prohibent. Græci interpretes ὑπὲρ τῆς κληρονομίας id est pro ea quæ hæreditatem consequitur, interpretantur, id est pro Ecclesia, quæ & hæreditas Domini in Scripturis dicitur, & hæreditatem a Domino consequitur.

Ordo & dispositio Psalmi Quinti.

Huius Psalmi tres constituamus partes præcipuas. Harum

Prima, quæ continetur septem primis versibus est ardens precatio, qua Dauid petit se exaudiri a Deo aduersus hostes suos. Cuius exauditionis iustissimas causas recenset.

Secunda, quæ 8. 9. & 10. versibus absoluitur, expressa

preßa est petitio & specialis, qua & petit se diuinitus regi aduersus hostes suos, & orat vt Deus hostium conatus reprimat, & consilia euertat.

Tertia Contenta 11. & 12. versibus, votum est & precatio pro vniuersa Ecclesia, vt Deus illam suo complectatur fauore.

Hinc liquet hunc Psalmum esse generis petitorij etsi querela de hostibus, & eorum descriptio quæ interseritur, generis est iudicialis.

EXEGESIS PSALMI QVINTI CVM INDICATIONE doctrinarum.

PRIMA PARS.

1\. *Verba mea auribus percipe Iehouah, intellige meditationem meam.*
2\. *Attende voci clamoris mei, rex meus, & Deus meus, quoniam ad te orabo.*

3\. *Iehouah mane audies vocem meam, mane ordianabo tibi, & suspiciam.*

4\. *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu, non commorabitur tecum malus.*

5\. *Non astabunt gloriabundi coram oculis tuis, odisti omnes operantes iniquitatem.*

6\. *Perdes loquentes mendacium, virum sanguinum & doli abominabitur Iehouah.*

7\. *Ego autem in mnltitudine mesericordiæ tuæ introibo domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum, in timore tui.*

PRopositio petitionis Dauidis generalis cõtra hostes Ecclesiæ, impios doctores, hypocritas & tyrannos. Et cuiusuis pii aduersus tyrannidẽ & sophisticã. Petitioni, quæ sæpius repetitur, ad declarandum ardentissimũ precantis affectum, interseruntur rationes, a natura Dei, a persona hostium, & a persona Dauidis desumptæ, quas rationes in explanatione singulorum versuum diligentius expendemus, & ad nostros vsus transferemus.

Verba mea auribus percipe Iehouah. HÆc est petitionis propositio, in qua obserua. 1. quis inuocet. 2. quis inuocetur. 3. & orationis figuram.

Quis inuocat?

Dauid afflictus & pressus cruce. Et quia Dauid est typus Ecclesiæ, personam quoque Ecclesiæ hic innuit, & cuiusuis pii hominis pressi mole calamitatum in hac vita. Dauidis proinde exemplo, præsertim cum typus sit Ecclesiæ & cuiusuis pii in nostris angustiis ex vero corde dicamus cum Dauide, Verba mea auribus percipe Iehouah.

Quis inuocatur?

Iehouah, qui iuuare & potest & vult. Potest quia Deus, a quo omnia, per quem omnia & in quem omnia, vt ab omnibus in omnem æternitatem glorificetur. Vult, quia bonus, quia mandauit, quia promisit, quia suæ voluntatis pluri ma ediderat testimonia, quemadmodum & ipse expertus sum aliquoties. Vult proinde omnes se in veritate inuocantes exaudire propter Messiam.

Orationis figura est ἀνθρωποπάθεια & μετάληψις. Anthropopathia quidem, quod tribuit Deo gestus hominum, qui cum orantur, solent auribus orantium voces excipere. Metalepsis vero cum percipere auribus, ponitur pro auxilium petentibus & supplicibus ferre.

Intellige meditationem meam. Repetitio est petitionis, seu interpretatio. Interpretatur enim quid sit Deum percipere auribus verba sanctorum, videlicet, intelligere vota, & tacitas preces sanctorum, iisque succurrere. Hic Dauid nos docet preces sanctorum ex mente proficisci, & verba so-

ba solummodo testari de cordis affectu. Non ergo orat qui preces recitat sine mente & pia intentione, quemadmodum hypocritæ & vulgus faciunt. Nec orat qui negligenter orat, sed potius nomen Dei in vanum vsurpat. Hinc pete iudicium de Sacrificulorum & Monachorum Psalmodiis, qui ad certas mensuras Psalmos cultus gratia decantant.

Attende voci clamoris mei, rex meus & Deus meus. Mutata non nihil orationis forma idem repetit. Sed obseruetur compellatio. *Rex meus & Deus meus.* Cum Deum, suum regem nominat, & erigitur ad bene sperandum, cogitatione officii regii erga suos subditos, & in illa cogitatione, se ipsius fidei committit, ex quo fit, vt maiori cum fiducia opem ab illo expectet. Est enim boni regis tueri subditos, iisque succurrere, cum in suis necessitabus ad ipsum confugiunt, iuxta dictum Poetæ:

Regia, crede mihi, res est succurrere lapsis.

Hic notetur, quod quoties Deus & saluator noster in Psalmis & alibi in scripturis dicatur rex: quæ sit huius regis maiestas, nominis magnitudo & dignitas cogitandum sit. Cui regi, quia amplissimum est eius imperium, summa potentia, maximæ virtutes, & immensa beneficia erga genus humanum, debetur summa maiestas. Huius maiestatis cogitatio, nos ad fidem, timorem, dilectionem, cultum, & obedientiam inuitabit. Regibus mundi & monarchis tribuitur maiestas, propter imitationem qualemcunque. Deinde cum Deum, suum Deum nominat, separat se ab infidelium cœtu, & se populo Dei adiungit, qui habet promissionem, vnde capit orandi fiduciam. Sensus ergo huius versus est, Tu es Deus meus, & tu rex meus es, proinde debes mihi iuxta promissionem tuam, & propter officium opem ferre. *Quoniam ad te oraui*, id est, quia te inuoco. ponitur enim hic futurum pro præsenti. *Iehouah mane audies*, pro audi *mane ordinabo tibi*, scilicet orationem meam, id est omni mane te inuoco, *& videbo*, id est, oculos meos ad te conuerto, & auxilium expecto. Est enim leuatio oculorum signum mentis, se ad Deum eleuantis inter precandum. Hoc dictum illustrat Psalmus 124. Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis. Ecce sicut oculi seruorum, ad manus dominorum suorum, &

ſicut oculi ancillæ ad manus Dominæ ſuæ, Ita oculi noſtri ad Ichouah Deum noſtrum, donec miſereaturnoſtri.

Porro cum *Mane* dicit,reſpicit ad conſuetudinem populi Iſraelitici,qui incenſum matutinum ex mandato Dei offerebant,quo incenſo,ſicut ſupra admonuimus, preces ſanctorum,ſignificabantur,a quibus dies quilibet merito ſanctis inchoandus eſt. Eſt enim inuocatio Dei, primum & præcipuum opus ſanctorum,cui matutinum tempus,in pri tuis accommodatum eſt.Eo enim tempore magis vacui ſumus a cæteris curis. Hinc illud,Deus Deus meus, ad te de luce vigilo *Pſalmo* 63. Item manè oratio mea perueniet ad te.*Pſ.*87.

Quoniam non Deus volens iniquitatem tu. Propoſitionem petitionis munit duabus rationibus, quarum prior ſumitur a natura DEI. poſterior quæ fluit a priori, vt effectus ex cauſa ſua,a more ſeu conſuetudine Dei petitur.

A natura Dei ratio petitur,cum ait: *Non Deus volens iniquitatem tu.* Senſus eſt. Deus eſt eſſentialis quædam bonitas & iuſticia, (id quod ex creatione rerum notum eſt. Omnia enim quæ fecerat, erant valde bona. Nam ex actionibus potiſſimum, quid & quale quidque ſit, ratio noſtra colligit. Sicuti acute etiam Philoſophus animaduertit cum ait. Res omnis ſic ſe habet ad eſſe,quemadmodum ad operari. Opera enim ingenium eſſentiæ, ſeu naturæ rei declarant (Ergo Deus ſolummodo bona vult & iuſta, non autem mala & iniuſta, quæ pugnant cum natura ipſius. Iam autem quia ſola voluntas Dei, cauſa eſt quæ aliquid agit ad producendum effectum, & omnium actionum Dei, ſequitur immota conſequentia, quod Deus nec operetur malum, nec ſit author mali, nec impellat ad malum vllo modo. Non enim poteſt vt homo, impelli aut cogi,ad faciendum quod non vult. Cum his congruit dictum Domini apud Ezechielem cap. 33. Viuo ego,dicit Dominus, Non volo mortem impij, ſed vt conuertatur impius ea via ſua mala, & viuat. Hic ipſe Deus a natura ſua oſtendit & quid velit, & quid non velit, vt ſæpe alibi in Scripturis a natura Dei petuntur argumenta, ad declarandam hominibus ipſius voluntatem, hoc eſt, quid velit, & quid nolit. Cum Deus ait: Ego viuo, ſuam naturam eſſe teſtatur quod ſit

vita quædam essentialis,vnde duo concludit in hanc senten-tiam. 1. Ego viuo,igitur non volo mortem impii. Si ergo Deus non vult impii mortem,profectò neque vult ipsius viã malam,hoc est,peccatum mortis causam & mediũ ad mortem. 2. Ego viuo, igitur volo vitam impii. Si ergo Deus vult vitam impii, procul omni dubio vult etiam medium ad vitam, videlicet conuersionem impii ad Deum, per fidem in Iesum Christum. In hanc sententiam loquitur etiam Paulus cum ait. 1. *Tim.* 2. Deus vult omnes homines saluos fieri,& ad cognitionem veritatis venire. Multa sunt dicta Prophetarum quæ cum his congruunt, quæ breuitatis causa omitto. Christus *Matth.* 23. hanc patris voluntatem, nolentis mortem peccatoris, etiam suam esse lachrymis declarat, dicens: Quoties volui te congregare,vt gallina congregat pullos suos,& noluist! Hinc ergo concludamus, necessariũ dogma Ecclesiæ,videlicet,quod vt Deus nõ velit peccatum, ita nec sit author peccati, nec impellat quenquã ad peccata. Porro cum doctrina ex veris extructa fundamentis, omnes contrarias obiectiones dissoluat,& in qualibet re non sit nisi vna veritas,quæ cum essentia rei conuertitur, huius assertio,omnium errorum est efficacissima refutatio. Non moueamur argutiis eorum qui demonstratam veritatem, conuellere nituntur,quantumuis fuerint magni nominis,sed potius eos blasphemos in Deum & hostes veritatis iudicemus.

Etsi autem posita demonstratione piis auditoribus satisfactum arbitror,tamen propter eos, qui vacillant, leuibus conclusiunculis Sophistarum impulsi, quasdam obiectiones ponemus & refutabimus.

Sunt qui ex Scripturis in hunc modum ratiocinantur,

Principium hoc firmissimum demonstratæ veritati obiicientes,sed non recte errorem suum inde confirmantes.

Sine Deo(inquiunt)nihil potest creatura, in ipso enim viuimus,mouemur & sumus. Ergo etiam ab ipso mouentur ad peccatum.Quare peccati author est Deus. Respondeo.

Antecedens verissimum esse fateor, sed consequentia mala est,id quod obseruara vna regula & vna distinctione intelligetur,Regula ex prouidẽtiæ diuinæ lege extructa hæc est,

Deus naturam & modum agendi, quem indidit naturæ, cum primum illam crearet, sua prouidentia volens sustentat, & conseruat: alioqui omnia ictu oculi citius collaberentur. Distinctio ex rerum conditarum conditione sumpta hæc est. Deus alia condidit, vt natura & necessitate quadam Physica, semper eodem modo agant, vt ignis semper calefacit, nisi diuinitus eius actio impediatur. Alia ita condidit, vt non naturæ necessitate semper eodem modo agant, sed vt libere ferantur, prout inclinat appetitus & voluntas. Vtrunque hunc agendi modum Deus sustentat & conseruat, & vterque sub diuinam prouidentiam cadit. Hac regula & hac distinctione posita, sic respondeo: Creatura nihil potest sine Deo, scilicet, sustentante naturam & modum agendi, a principio, naturæ inditum. Deinde, natura rationalis ornata dono libere agendi, optimo Dei dono abusa, ruit contra mandatum Dei, in peccatum, quod Deus reuera non vult, sed odit potius, vt noster propheta hic ex spiritu Dei loquitur. Sustentatio itaque naturæ, & modi agendi in natura, non est causa præuaricationis in natura, nec angelorum, nec hominum, sed abusus libertatis voluntatis, quæ sane excellẽtissimum Dei donum, quo angeli & homines proxime ad Deum accedebant, erat. Sed *Vnde*, inquies, *venit inclinatio voluntatis hominis ad malum?* Ab extrinseco venit, videlicet ab obiecto monstrato Euæ a serpente, quod vt bonum, pulcrum & suaue libere elegit Eua, & non coacte. Hac distinctione obseruata, facile euertitur argumentum Sophistarum, qui in hunc modum argumentantur.

Causa causæ, est causa causati.
Sustentatio naturæ, & modi agendi in natura, quæ Dei est, est causa libertatis voluntatis. libertas voluntatis est causa peccati. Igitur Deus sustentator naturæ est causa peccati.

Respondeo.

Propositio est vera in subordinatis causis, agentibus per se & propter finem, & non per accidens, & agentibus propter aliud. Nunc autem Deus non sustentat libertatem voluntatis vt homo ea abutatur in malum, sed vt vtatur ea in bonũ, iuxta voluntatem Dei, qui cum bonus sit, nihil nisi bonum ordinauit. Si rursus interrogas:

Cur Deus non prohibuit peccatum?

Respondeo. Quia noluit suum opus, quod optimum condiderat

condiderat destruere. Vt enim modum agendi in igne conseruat, & non destruit, etiam quum incendiis excitandis applicatur, quorum tamen incẽdiorum Deus causa non est, sed incendiarius nequam. Ita modum agendi in homine conseruat & non destruit, etiam cum homo contra præcepta Dei fertur. Vt Dauid cum adulterium committeret. Vt ergo nondum ignis naturalem conseruat agendi. Ita modum agendi in homine liberum conseruat, vt testetur se opificium suum non deseruisse. Si quis autem somniet Deum authorem peccati esse, propterea quod potuit impedire peccatum, & non fecit, ei Clementis dictum verissimum obiicio: τὸ μὴ κωλῦον οὐκ ἐστὶν αἴτιον, nam αἴτιον semper aliquid agit ad producendum effectum, cuius est αἴτιον, sed τὸ μὴ κωλῦον otiosum est, etsi quod fit sæpe improbet.

Si quæris rursus.

Quare Deus dedit homini liberum arbitrium quo abuti poterat?

Respondeo.

Quia poterat etiam eo recte vti in eum finem, propter quem ei donatum erat: Dedit enim homini liberum arbitrium, vt virtuti locus esset, & vt probaretur nobilissimæ creaturæ obedientia, erga Deum creatorem suum. Deus siquidem contulit Adamo liberum arbitrium, quia statuit erga ipsum suam bonitatem & iustitiam declarare. Ostensurus autem fuit erga eum suam bonitatem, si recte fecisset, quod certe, nisi fuisset liber, præstare non potuisset. Sin autem ille turpiter & malè gessisset, quod sane ex eodem libertatis fonte poterat, Deus erga ipsum vsurus erat seueritate iustitiæ.

Si quis obiecerit ex causarum & effectuũ consecutione.

Libertas voluntatis bona est, non potuit ergo esse mali causa, id est, peccati. Respondeo.

Et ante lapsum libertas ipsa bona fuit, & est. Quare non ratione bonitatis fuit causa peccati, sed ratione abusus, quo voluntas mala est facta. Quare Augustinus ait, Malæ voluntatis in Adamo non quærenda est causa efficiens, sed deficiens. Defecit enim decepta a Diabolo. Ad eundem modum hoc die libertas voluntatis est res bona, sed ipsa voluntas abusu libertatis fit mala. Non naturæ mutatione, sed habitus seu qualitatis.

Quidam obiiciunt in hunc modum;

Deus peccata peccatis punit, ergo eorum saltem peccatorum author est, quibus peccata punit?

Antecedens ex 1.cap.ad Romanos probant. Tradidit eos Deus in affectus ignominiæ, vt facerent quod non conueniret. Respondeo.

Antecedens est ambiguum. Tradere enim cum Deo tribuitur, alias effectiue, alias permissiue accipitur. Effectiue si hoc loco accipitur, soluitur scriptura: quare permissiue omnino accipiendum est. Quod autem soluatur scriptura si effectiue sumatur dictum Pauli, manifestum est ex demonstratione quam supra attulimus, & ex verbis Dauidis, qui affirmat Deum nec velle peccatum, nec ferre vt commorentur secum peccatores, sed odisse & abominari peccatum. Huc pertinet dictum prophetæ *Oseæ* 13. Perditio tua Israël, in me tantummodo auxilium tuum. Iam si perditio est ab Israële, profecto peccatum omne perditionis causa, etiam ab Israele erit. Et ne quis partiri audeat causas perditionis, vt Israel sit vna, Deus altera causa, anteuertit dicens: In me tantummodo auxilium tuum. Si iam aduersaretur Paulus Prophetæ, solueretur omnino scriptura id est, negaretur eius constans & perpetua veritas, dum contradictoriæ simul vel veræ vel falsę esse concederentur. Quare cum Prophetæ dictum proprie acceptum, manifeste congruit cum fundamento, videndum est quomodo Pauli dictum, cum eodem fundamento congruat. Nam necesse est vt congruat cum vterque eodem spiritu actus locutus sit. Vt ergo stet Pauli dictum cum Prophetæ dicto, ad fundamentum reuocandum est, & Figura aliqua molliendum, vt scripturę consensus cernatur. Quod fiet commodissime, si hic sensus verborum Pauli statuatur. Tradidit eos, id est, non retraxit sponte sua ruentes, sed permisit eos ferri in quæuis scelera pro sua libidine, idq; iusto suo iudicio. Eadem figura Deus scribitur indurasse cor Pharaonis *Exod.* 9. hoc est, non effectiue, vt statuatur peccati author, sed permissiue vt eius ira aduersus contumacem regem declaretur, in hunc sensum: Deus indurauit, id est non molliuit cor Pharaonis, nec retraxit violenter ab impio proposito, sed permisit vt pro libidine rueret, idque suo iusto iudicio. Manifestum est igitur Paulum figurate locutum esse, alioqui spiritui sancto fuisset contrarius & sibi ipsi, qui Deo omnia bona, & nobis mala

mala tribuere solet. Teneatur proinde hęc Regula, a patribus in scripturis exercitatissimis commendata. Omnis locutio scripturæ, ex qua proprie accepta, sequitur aliquid, quod manifeste pugnat cum fundamento, figurata est. Nam qui tollit figuras de Scripturis, clauem intelligentiæ scripturarum tollit, & hæreticis aperit viam ad quiduis comminiscendum.

Adhuc inquieti in hunc modum insurgunt aduersus demonstratam veritatem & dicunt,

Scriptura sæpe claris verbis affirmat, Deum excitare Tyrannos, ad mouenda bella quibus peccata hominum puniantur.

Respondeo.

Deus potest malis bene vti, quorum tamen malorum author non est, atque ideo leguntur Tyranni etiam Deo seruire, quando armis inuadunt contumaces homines & eos affligunt. Dicuntur autem seruire Deo, non ob factum eorum per se, sed propter pœnam in populũ contumacẽ. Nam reuera nihil minus cogitant Tyranni, quam vt Deo obediant, dum ista faciunt: sed potius in hoc toti sunt, vt suis affectibus vel inuito Deo indulgeant. Sic sapientissimus Deus potest in suam gloriam conuertere mala, quorum tamen author non est. Porro iis qui in adytum maiestatis diuinæ sacrilege irrumpunt, ac ex eius præscientia necessitatem ineuitabilem omnium euentuum bonorum & malorum concludunt, nihil respondeo, nisi quod scrutator maiestatis, confundetur a gloria *Prou.*27. Nos autem qui discipuli Spiritus sancti esse cupimus, contenti simus demonstrata veritate, etiamsi non omnes nodos Sophistarum dissoluere poterimus. Quare sit nobis demonstrata veritas tanquam gladius acutissimus, quo omnes errores cum demonstrata veritate pugnantes, tanquam nodum Gordianum dissecemus.

Porro postquam euidenter demonstratum est Deum qui est essentialis quædam bonitas, non velle peccatum, atque ideo nõ esse peccati authorẽ vllo modo: Sciendum est, quod homo ipse, suapte voluntate, & peccet, & sibi ipse pœnam accersat, qui posset non peccare si vellet. Loquor autem

de peccato personæ cuiusuis, quod est voluntarium, non de peccato naturæ, & concupiscentiis quæ inde pullulant, etiam nobis inuitis. Hoc enim peccatum, videlicet naturæ, necessarium est ex hypothesi id est, ratione status hominis post lapsum primorum parentum, quod tamen voluntariũ dicitur ratione radicis ipsius, quę erat contumacia in primo homine aduersus Deum, atque ea de causa totam naturam reatu & perpetuis pœnis inuoluit, in omnibus qui non sunt participes fœderis, aut non conuertuntur. Quod autem homo suapte voluntate & peccet & bene faciat (loquor autem de Personæ conditione) ostendit præceptum Dei. Nunquam enim præciperet Deus aliquid homini, nisi relinqueret homini liberam προαίρεσιν obediendi & non obediendi. In Deuteronomio dicitur: Proposui vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem: Elige ergo vitam, vt & tu viuas, & semen tuum. Et in *Psal.* 34. dicitur: Declina a malo & fac bonum.

Tametsi autem non sufficit voluntas hominis nec ad declinandum malum, nec ad faciendum bonum, opus est enim ad vtrunque, & verbo dirigente voluntatem, & spiritu sancto adiuuante, quem Pater dat petentibus. Tamen neutrum fit sine voluntate hominis propria.

Qui dicunt hominis voluntatẽ ad bene agendũ, habere se vt statuam aut saxum, inconsiderate admodum, ne dicam impie loquuntur: nam ista ratione, infra bestias abiiceretur homo cui tamen dictum est in *Psalmo* 32. Nolite fieri sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus: Qui sane intellectus otiosus esset, nisi voluntas eius consilium sequi posset. Breuiter. Si voluntas haberet se vt statua, multa absurda sequerentur, inter quæ sunt hæc. 1. Nulla lucta esset spiritus & Carnis in sanctis quam tamen grauissimam sentiunt omnes pij: Hanc esse sine voluntate pugnantis, absurdissimum est dicere. 2. Nullum discrimen esset inter pios & impios, quod sane sola voluntaria obedientia & contumacia facit. 3. Nullus virtuti, nullus vitiis locus esset. Nam si voluntatis non esset, & peccare, & bene facere, nec præmia iuste deberentur bene factis, nec pœnæ malefactis iuste soluerentur. Cum tamen vtrumque fit, teste scriptura, & propria cuiusque conscientia testatur. 4. Deus fieret acceptor personarum, cum vnum violenter raperet, altero

præte-

præterito. 5. Fierent in Deo contradictoriæ voluntates, videlicet, quod & vellet, & nollet idem. 6. Deus constitueretur author peccati & contumaciæ in impiis. 7. Summa laus Dei, videlicet, quod sit æqualis omnibus, iuxta suum decretum, euerteretur. 8. Promissiones & comminationes Dei essent inanes voces & temere propositæ. In hæc & in huiusmodi alia absurda incurrunt, qui voluntatem hominis in statuam seu saxum conuertunt.

Non commorabitur coram te malus. Altera ratio petitionis, à more seu consuetudine Dei sumpta, quæ fluit a prima, tanquam effectus de sua causa. Cuius hic sensus, si explicate dixeris, erit: Mos tuus est o Deus, non ferre apud te malos, sed a conspectu tuo procul arcere, arrogantes repellere, odisse operarios iniquitatis, perdere loquentes mendacium, abominari sanguinarios & fraudulentos. Tales sunt, contra quos ego afflictus, abs te opem peto o Deus. Ergo pro tua bonitate, & iustitia me exaudi, ac me libera ab eorum dolo, mendacio, & tyrannide.

Hæc ratio docet quod precaturus Deum, ante omnia perpendere debeat, cedat ne in gloriam Dei, & in petentis bonum? non impedita eius salute, si impetretur quod petitur. Ante omnia enim ratio gloriæ Dei habenda est, propter quam propagandam & creati & redempti sumus. Deinde salutis propriæ, quæ etiam eundem finem vltimum, nempe gloriam Dei habet propositum. Nihil proinde contra voluntatem Dei petendum est. Nam si quid contra ipsius voluntatem petierimus, nos non audit. 1. *Ioan.* 5. Hæc est fiducia quam habemus apud Deum, quod si quid petierimus secundum voluntatem eius, nos audit. Atque ad hoc Ioannis dictum restringẽda est Vniuersalis promissio Christi. *Ioh.* 15. Quicquid petieritis Patrẽ in nomine meo dabit vobis. Verum ne quis de hac voluntate Dei dubitet. Dominus præscripsit nobis precandi formulam, in qua continetur sapientissimo ordine quicquid vel precari vel deprecari, iuxta voluntatem ipsius, liceat. Est enim ista precandi formula, tanquam tabula seu index rerum petendarum. Postquam autem sententiam secundæ rationis, a more Dei sumptæ breuiter declarauimus, verba ipsa sigillatim perpendamus. Continentur autem omnia quæ recitat, sub vno eodemque genere, videlicet malitiæ seu iniquitatis,

Non commorabitur(inquit) *tecum malus*:græce πονηρευόμενος, id eſt,qui ſemper fraudes meditatur, quo aliis noceat quouis modo, in fama, in facultatibus, in vita, quales multi fuerunt & ſemper ſunt in mundo. Sed quomodo dicit? Non habitabit tecum malus, cum Deus vbique ſit, adeo vt vel impiiſsimi quique in eo ſint, viuant & moueantur?

Reſpondeo.

Deus quidẽ eſt vbique, & omnia in eo conſiſtũt; ſed eſt peculiari quodam modo in propria familia,ſeu regno gratiæ,id eſt,Eccleſiâ:in hac non fert niſi agentes pœnitentiã, viuentes in timore Dei,facientes pie opera vocationis. Breuiter:Solos eos qui Chriſti ſunt patitur in hac familia, hos fouet,hos complectitur,hos tuetur,hi ſoli habent acceſſum ad Deum,per fidem in Ieſum Chriſtum.*Rom.*5. Quoniam igitur Deus non ſinit malos, & alienos a ſua familia ſecum commorari, cogitemus nihil eſſe nobis conſultius, nihil magis expetendum, quam vt nos adiungamus familiæ Dei, per fidem in Ieſum Chriſtum, eique ſincere obediamus.

Non aſtabunt gloriabundi coram oculis tuis, id eſt, non feres apud te arrogantes, & qui Thraſonico more, ſeipſos impudenter efferunt, vt alios deprimant. Quidam vertunt, inſipientes,eodem ſenſu.græce παράνομοι,id eſt,ſcelerati & nefarii,qui nullis legibus ſe regi patiuntur.

Odiſti omnes operantes iniquitatem. Operarios iniquitatis vocat eos, qui toti in hoc incumbunt,vt inique agant, & bonis noceant. Etſi autem ſepties in die cadit iuſtus, tamen non poteſt dici propterea operarius iniquitatis. Contrario enim tenetur ſtudio. Pius enim omnibus prodeſſe cupit, nemini nocere cogitat, non delectatur peccato,nec ſuo,nec alieno:Sed illud accuſat primus, ſemperque conatur vt in pietatis curſu magis magiſque proficiat, quo tandem ad metam perueniat.

Cum hic Deo tribuitur odium operariorum iniquitatis,

Quæritur an nobis exemplo Dei liceat odiſſe iniquitatis operarios?

Reſpondeo.

Deus odit, id eſt reprobat & punit vt iuſtus iudex. Non enim hic ponitur odium pro affectu, ſed pro effectu. Sed, inquies,

*Dauid dicit:odio perfecto oderam illos.Pſalm.*139. Reſpondeo

Odium

Odium perfectum eſt odiſſe vitia hominũ, & nõ naturam, non diligere vitia propter homines, dolere de iniquitate malorum, & ſitire illorum emendationem. Cuiuſmodi odiũ poteſt ſtare cum dilectione inimicorũ, imo ab ea fluit.

Perdes loquentes mendacium.

Loquentes mendacium vocat obtrectatores, calumniatores, corruptores doctrinæ cœleſtis, & qui doctrinam accommodant ad affectus principum, vt applauſum, opes, & honores conſequantur, piis doctoribus oppreſsis.

Virum ſanguinum & doli abominabitur Dominus. Virum ſanguineum vocat ſanguinarium, id eſt, eum qui ſemper paratus, prõptus & facilis eſt ad effundendũ ſanguinẽ & adprimendos pauperes atq; afflictos. Virũ doli vocat, qui aliud agit, aliud ſimulat, non vt proſit, ſed vt noceat,

An non Dauid & ſanguinis & doli vir fuit, quando Vriam occidi curauit?

Nemo hoc negauerit. Sed diſtingue inter duplicem ſtatum Dauidis, videlicet, peccantis, & reſipiſcentis. Peccantem obiurgauit Propheta, tanquam ſanguinarium & doloſum. Reſipiſcentem recepit in gratiam Dominus, atque eius peccatum abſterſit hyſſopo, id eſt, ſanguine Chriſti. Sic Paulus, 1. *Cor.* 6. de duplici Corinthiorum ſtatu loquitur: Hæc fuiſtis, inquit, aliquando, ſed abluti eſtis, & ſanctificati, & iuſtificati eſtis in nomine Domini Ieſu, & per ſpiritum Dei noſtri.

Ego autem in multitudine miſericordiæ tuæ introibo in domum tuam, adorabo in templo ſancto tuo, in timore tui. Hæc oratio Dauidis, oppoſita deſcriptioni ſceleratorum, contra quos precatur, dulciſsimam doctrinam & neceſſariam continet. Sed nos priuſquam illam doctrinam excutiemus, argumentum Dauidis notabimus: cuius hæc forma eſſe poterit. Inuocantes ex fiducia miſericordiæ tuæ, o Deus exaudire ſoles, idq; maxime cum tua gloria agitur & ſalus eorum qui in te confidunt: Ego ex fiducia miſericordiæ tuæ o Deus te inuoco, iam cum gloria tua agitur & ſalus Eccleſiæ tuæ: Igitur me exaudi & reprime hoſtes meos, tuos & Eccleſiæ. Hoc Dauidis exemplum pium quemlibet imitari decet, cum affligitur, ab hoſtibus Eccleſiæ. Quidam ex Patribus, pulcram hic collationem facit:

inter miſericordiam Dei, & iuſtitiam hominis: Ego, inquit, confidens in multitudine, non meæ iuſtitiæ, quæ nulla eſt, ſed miſericordiæ tuæ quæ infinita eſt.

Iam doctrinam contentam in hoc verſu diſtincte conſideremus:

Primo loco commendatur nobis fundamentum piæ inuocationis, videlicet, multitudo miſericordiæ Dei. Vt enim non eſt vna miſeria hominis tantum, ſed multiplex. Ita non eſt vna miſericordia Dei, ſed ingens multitudo miſericordiarum, vt alibi Dauid teſtatur, cum ait: Secundum multitudinem dolorum in corde meo conſolationes tuæ lætificarunt animam meam. *Pſalm.* 94. Idem prorſus vult Paulus cum ait: Gratia ſuperat peccatum. *Rom.* 5.

Secundo, cum dicit: *Introibo in domum tuam* ſignificatur fiducia inuocantis, quæ ex cogitatione miſericordiæ Dei naſcitur. Sic Ieremias ſe erigit ad precandum: Hoc recolens, inquit, in corde meo, ideo ſperabo. Miſericordiæ Iehouah quod non conſumpti ſumus, quia non defecerunt miſerationes eius, *Lamen.* 3. Et quia nemini patet acceſſus ad Deum, niſi per Mediatorem Chriſtum, ſimul illum complectitur miſericordiæ vocabulo, & introeundi. *Hæc* enim *Regula perpetuo tenenda eſt*, quod Quoties ſcriptura meminit miſericordiæ Dei, toties mittat nos ad primam promiſſionem ſeminis, propter quod ſolum miſericordia & promiſſa eſt, & exhibetur credentibus. Notetur hoc loco, quod Dauid non opponit iniquitati hoſtium ſuam iuſtitiam, ſed fiduciam miſericordiæ Dei, qua & agnoſcitur peccatum, & ſentitur miſeria, & petitur crediturque cõdonatio, & vitatur in poſterum offenſa Dei.

Tertio ſequitur ipſa inuocatio. *Et adorabo in templo ſancto tuo.* Etſi autem & magnificum illud templum Solomonis, nondum erat ædificatum, tamẽ templi nomine ornat tabernaculũ in quo erat arca fœderis, in quo maieſtas diuina & potentia relucebat, & quo conuenerunt pii ad publicas preces fundendas: Non quod Deus in quouis loco non exaudiat pie inuocantes: Sed quia ſingulare ſolatiũ percipiunt pii, dum in ſanctorum ſocietate ſimul cum multis Deum inuocant, eique gratias agunt pro immenſis ſuis

beneficiis erga Ecclesiam.

Postremo additur *in timore tuo.* Hac additione & inter veram fidem & mortuam distinguit, & separat se ab iis peccatoribus, quos Deus non exaudit. *Viua* & vera fides, habet comitem verum timorem Dei, quo credentes, vt se optimo Patri sistunt, ad pręstandam debitam obedientiam: Ita summa diligentia, omnem offensam Patris optimi cauent. *Mortua* fides qualis est hypocritarum, & nomine tenus Christianorum, vacat puro timore Dei: Hi enim si timent, non vt patrē timent, sed vt crudelem iudicem aut Tyrannum. Separat proinde se Dauid, hoc puro timore Dei, qui ex fide proficiscitur, a peccatoribus seu operariis iniquitatis; quos Deus non exaudit, vt dicitur *Ioan. 9.* Deus peccatores non exaudit.

Cęterum quoniam in secundo Psalmo, iusto methodo de timore Dei dictum est, huc tantum adiiciam tria, videlicet

1. Vniuersale præceptum.
2. Qualis sit verus timor Dei.
3. Quidque in genere efficiat.

Vniuersale præceptum est *Psalm.* 34. Timete Iehouah omnes sancti eius. Hic Dauid alloquitur nō prophanū mundū, sed eos solummodo, qui a prophanitate mundi, mente, affectu, voluntate, professione & studio separati sunt.

Qualis requiritur timor? Non impurus, sed purus, qualis est sanctorum, de quo *Psalm.* 19. loquitur. Timor Domini purus permanet in seculum seculi. Constat autem hic timor Dei purus vera reuerentia erga Deum, vero Dei cultu & sincero, vitaque legum diuinarum amante & studiosa. Sic enim definit scriptura timorem Dei *Iosuæ* 24. Timete Iehouah & seruite ei in integritate & veritate. Et in *Psalmo* 112. dicitur. Beatus vir qui timet Iehouah, in mandatis eius delectatur valde.

Quid efficit hic timor Dei? Regit omnia consilia, & omnes actiones hominis pij, idque in secundis & aduersis rebus, retinetque in officio, vt recta pergat in pietatis studio, donec ad metam peruenerit. Hinc intelligi potest, cur Solomō filius post Dauidē patrem dicat: Timor Domini, initiū sapiētię. Nam cum sapientis sit, recte consulere, prudenter agere, & finem antea prospicere, merito timor Dei sapientia dicitur, quia hæc omnia sedulo facit.

SECVNDA PARS.

8. Iehouah deduc me in iusticia tua, propter inimicos meos, dirige corā me viā tuā

9. Quoniam non est in ore eius rectum, intimum eorum prauitates, sepulcrū patens guttur eorum, lingua sua blandiuntur.

10. Deuasta eos Deus, excidant a cōsilijs suis: propter multitudinem praeuaricationum suarum expelle eos, quoniam irritauerūt te.

REpetitio est precationis seu ὑπόθεσις sub generali petitione quæ præcessit, contenta, in qua tria sunt. Primo petit se diuinitus regi & defendi aduersus inimicos suos. Secundo addit rationem a persona hostium. Tertio, supplicat Deo, vt istos suos hostes, qui & Dei & Ecclesiæ hostes sunt confundat & perdat.

Iehouah, inquit, *deduc me in iustitia tua.* Compellatio Iehouah nota est, continens argumentum voluntatis & facultatis *Duc me*, inquit, *in iusticia tua:* Hic Dauid se oui, Deum vero pastori confert. Est enim vocabulum Hebraicum, proprie, ducere vt pastor ouem ducit, vt sit secura a luporum insultibus. *Psalm.77.* vtitur hoc ipso verbo cum ait: Duxisti velut oues populum tuum. Et *Psalm.23.* Ducet me in semitis iusticiæ, propter nomen suum. Cum ergo Dauid se duci a Deo, tanquam ouem a pastore petit, se sub ipsius tutela esse, vt ouis est sub pastoris tutela, fatetur. Quod sane non aliud est, quam se populo Dei adiungere, & ex eius legibus viuere: id quod finis hominis proprius est in hac vita, iuxta illud *Ps.* 100. Scitote quoniā Iehouah est Deus, ipse fecit nos, & non ipsi nos vt simus populus eius, & oues pascuæ eius. Si ergo oues sumus, pastoris fidei nos committamus.

Sed quomodo ducit hic pastor oues suas? Deduc, inquit, me in iusticia tua. Iusticia Dei hoc loco via Dei est, vt mox sequens interpretatio ostendit. Dirige coram me viam tuam. Via autem Dei, quam modo iusticiam Dei appellauit est ea viuendi ratio, quam Deus requirit a suis, quāq; ille suo sācto verbo præscribit: Quę iustitia ideo via Dei dicitur, quia eam amat, probat, docet, requirit, vt quæ

fluat

fluat ab ea iusticia, qua ipse præditus est. Et quia dicit, *Duc me in iusticia tua propter inimicos meos*, significat tutissimum refugium esse in quouis persecutionum genere, Deum ex fide inuocare, & ambulare in iusticia Dei, retinendo fidem & bonam conscientiam. Et eandem sententiam repetit Dauid in multis locis *Psalm.* 37. Spera in Domino, & fac bonitatem, inhabita terram & pascere veritate. *Psalm.* 32. Tu es refugium meum, a tribulatione defende me, canticis liberationis circundabis me. Et *Psalm.* 59. Ego cantabo fortitudinem tuã, & laudabo mane misericordiam tuam: quoniã tu protectio mea, & refugium in die tribulationis. Pia proinde inuocatio, & integra vita optimũ & tutissimũ est ἄσυλον, & aduersus inimicos propugnaculum. Nam Deus vel conuertit hostes tuos, vt ex hostibus fiant amici, iuxta illud Solomonis, *Prouerb.* 16. Cum placent Domino viæ hominis, etiam inimici redeunt cum eo in gratiam: Vel hostes tuos potenter reprimit, vt Pharaonem & Sennacherib: Vel si vult omnino suos exerceri cruce, adest tamen ipsis spiritu suo, vt magno & inuicto animo ferant ærumnas, vt Stephanus - Ibat ouans animis, & spe sua damna lenabat.

Ratio petitionis a persona hostium sumpta sequitur. *Quoniam non est in ore eius rectum. Intimum eorum prauitates. Sepulcrum patens guttur eorum. Lingua sua blandiuntur.* Hæc descriptio non est solummodo hostium Dauidis, quales fuerunt in aula Saulis, postea Absolonis: Verum etiam hostium Christi, & Ecclesiæ eius, omnium temporum, qui non solum in aulis Tyrannorum viuunt, in summis honoribus, verum etiam extra aulas sunt, qui perpetuo, Sophistica, blanditiis, mendaciis, & crudelissimis consiliis conantur extinguere lucem Ecclesiæ, & eius sinceros doctores penitus perdere. Idque ideo, vt consulant suis honoribus, opibus, voluptatibus, & opinioni sapientiæ, quæ facit vt in locum veræ doctrinæ suas opiniones pingant, & in locum Euangelii substituant. Recitat autem hic quatuor attributa falsorum Doctorum.

Primum, inquit: *Non est in ore eorum rectum*, id est, veritas. Hoc est, vt Paulus interpretatur *Rom.* 3. Os eorum maledictione & amaritudine plenũ est, & venenum aspidis sub labiis eorum. Est enim adeo lethifera & perniciosa Hæretico-

rum doctrina, plena maledictione & amaritudine, id est, blasphemia & crudelitate, vt non secus interficiat animas hominum, quam venenum aspidis corpora interimat. Horrenda sane ordinis diuini peruersio. Deus homini os dedit, præter necessitatem victus, vt sit nuntius mentis recte sentientis & iudicantis, quo aliis communicemus doctrinam cœlestem, & alia salutaria, in bonum hominum. Nunc autem adeo degenerat & mens & os, vt vtrunque in falsis Doctoribus sit organum Diaboli, hostis Dei, ad spargendas blasphemias &c. *Secundum medium eorum prauitates.* Hieronymus: interiora eorum insidiæ: Græcus: Cor eorum vanum. Per *medium* intelligit malos affectus hostium eius & Ecclesiæ, quibus inflammati, nihil aliud meditantur, quam malum & vastitatem Ecclesiæ. *Tertium. Sepulcrum patens est guttur eorum*, id est, quemadmodum cadauere putrido, aperto sepulcro, fœtores pestilentes exhalant: Ita ex corde impiorum, per guttur, quasi per apertum ostium, blasphemiæ effunduntur. Et: vt sepulcrum apertum expectat cadauer, quod conficiat & exedat, ita hostes Ecclesiæ, sua blandiloquentia eo tendunt, vt Ecclesiam ad se pellectam, perdant & subuertant, vt a Deo deficiat. *Quartum, Lingua sua blandiuntur*, alii vertunt, linguam suam diuidunt, eadem prorsus sententia. Falsi enim doctores suos sermones moderantur non secus atque meretrices, quæ blande loquuntur, vt amatores decipiant: *Prouerb.* 2. Has hypocritæ imitantur, veniunt enim tanquam simplicissimi, fuco veritatis ornati, volunt videri veritatis patroni esse, præ se ferentes singularem pietatem: Foris oues, sed intus lupi rapaces sunt, a quibus vt nobis caueamus, hortatur veritatis magister Iesus Christus. *Matth.* 7. Si sequimur eos qui vertunt: linguam suam diuidunt: sensus erit. Sermones suos ita artificiose componunt & distinguunt, vt vulgo vere sapere videantur, propter acumen & subtilitatem. Hoc Hypocritarum & Sophistarum proprium est. Nihil enim est quod non aliqua subtili distinctione molliant, qua suos errores pingunt, & verisimiles efficiunt.

Hactenus descripsit Dauid, & suos hostes, quos tum habuit, quum ageret in exilio, & hostes Ecclesiæ omnium temporum. Nam semper Diabolus in suis membris sibi similis est,

est,nec vnquam desinit Ecclesiam Dei inuadere iisdem technis & fraudibus.Quare nostrũ erit vigilare & orare, cũ Dauide,aduersus insultus & furores diabolorũ & hominum,qui Ecclesiam fraudibus & mendaciis, & sanguine multorum vastare conantur.Sit verbum Dei recte intellectum ex collatione Scripturarum & perpetuo piorum consensu,regula erit & doctrinæ & vitæ nostræ.Et assidue precemur cum Dauide.Tu domine doce nos,tu Domine erige nos in tua veritate.*Psalm.*86. Sequitur oratio supplicantis Deo,vt istas pestes tollat e medio & perdat.

Deuasta,inquit,*eos Deus*. Hæc supplicatio tria habet,videlicet,compellationem,petitionem, & rationem geminam.

Compellatio est hæc vox DEVS, Hebraice Elohim,qua significatur non solum personarum pluralitas in vna diuina essentia, verum etiam idque potissimum, pluralitas virtutum Dei,videlicet,sapientiæ,potentiæ, iusticiæ, & bonitatis,quibus omnia nouit,omnia potest,omnia iuste vult omniaque bene facit.Quod cum ita sit facile & nouit &potest, non solum suos hostes iuste coercere & perdere atque in nihilum redigere.Verũ etiam pro sua bonitate suos iuuare,& ab omni periculo eripere.Quoties ergo Dauid in suis precationibus hac vtitur cõpellatione,sciamus eũ includere argumentũ virtutũ enumeratarũ, quas cogitare perutile fuerit, quoties Deum inuocabimus,quæ virtutes illustrissime vt & singularissime conspiciuntur in Filio exhibito & facto λύτρον pro peccatis totius mundi.

Petitio est. Deuasta eos, seu fac eos delinquere, ne scilicet, quod aduersus me cogitant perficiant. Hanc interpretationem sequens oratio confirmare videtur: *Cadant*, inquit, *a consiliis suis*. Item. *Expelle eos*, seu fac eos impingere. Congruit autem hæc Dauidis petitio cum imprecatione Pauli, *Galat.* 3. Qui docuerit aliud Euangelium sit anathema. Vt autem petitio Dauidis, ita & imprecatio Pauli proficiscitur ex bona causa, & tendit in bonum finem. Quare vtraque pia & iusta est. Vt enim Dauid ex pio affectu erga Deum, & ipsius Ecclesiam in eum finem,vt Dei gloria illustrior euadat: Et ecclesia ipsius melius habeat, precatur contra hostes suos. Ita Paulus ex amore Christi,in Dei gloriam & hominum salutem,anathemati subiicit,quicunque aliud Euãgelium docuerit, etiamsi vel

angelus de cælo fuerit. *Gal* 1. Ne quis autem existimet non sufficere causam bonam & finem bonum nisi accedat mandatum de facto: dico vtriusque factum & Dauidis & Pauli, cadere sub præceptum dilectionis Dei, vt paulo post clarius ostendetur. Sed prius obiectionẽ quam haud dubie multi cogitant, diluam. Dicat enim forte apud se aliquis, Et Dauidis petitioni, & Pauli imprecationi manifeste repugnat mandatum Christi *Matth* 5. vbi diserte Dominus ait, Ego dico vobis, diligite inimicos vestros, Benefacite iis qui deuouent vos, Benefacite iis qui oderunt vos, & orate pro iis qui vos infestant, & persequuntur vos, vt sitis filii Patris vestri, qui est in cœlis. Vt autem has ἀντιλογίας conciliemus in primis tres regulæ tenendæ sunt.

Prima. Dilectionem Dei, & gloriam Dei, omnibus rebus mundi & commodis anteponere Christiani pectoris est. *Secunda.* Malos quosuis siue nostros siue Dei & Ecclesiæ hostes, redire ad sanam mentẽ ne pereant, ex animo cupere, similiter omniũ piorum est. *Tertia.* Aduersari hostibus Dei & auersari omnia quæ gloriam Dei & salutem hominum impediunt, omnes pios decet. Nam alioqui voluntas eorum Dei voluntati conformis non esset. Has regulas si secutus fueris, non facis contra mandatum Christi, siue precaris Christi hostibus interitum cum Dauide, siue imprecaris corruptoribus Euangelii extremum exitium cum Paulo *Gal.* 5. Nam hæc tua precatio & imprecatio, vt concluditur ex prima regula, ita ex secunda conditionem mutuatur, quam conditionem Dauid expresse ponit *Psa.* 83. Atque ita tua precatio & imprecatio proficiscuntur ex bona causa, & tendunt in bonũ finẽ. Quare nequaquã cũ dilectione proximi iusta, quã Christus requirit, quæque semper debet subiici dilectioni Dei, & cũ voluntate Dei) quia odit operarios iniquitatis, supra versu 5. (congruere, pugnat. Nam Christus (vt textus clarissime indicat) solummodo vetat, ne quis priuato dolori indulgens, odio prosequatur homines propter priuatam offensam, quod nec Dauid, nec Paulus fecit. Cum hac solutione optime congruit ratio vtraque quæ subiungitur, quarum prior est *Propter multitudinem præuaricationum seu scelerum eorum, quibus deformatur nomen tuum.*

Posterior, *Quia irritauerunt seu prouocauerunt te.* Scelera enim hominum, vt ordinem diuinum turbãt, ita Deũ ad vindictã prouo-

prouocant. Videtur proinde pertinere ad iusticiam Dei, vt ta les coerceat Deus, ne pro libidine sua affligant Ecclesiam, & déforment nomen Domini inter homines. Sed hic forte aliquis obiiciet, consiliorum Dei ignarus. *Si iustum est vt Dominus impios & se prouocantes perdat, iniustus videtur, quod pœnā differat, ex quo fit, vt magis mala in mundo crescant, & magis Ecclesia affligatur.* Respondeo. Iusticia Dei semper temperatur duabus rebus, videlicet, tolerantia & Eustorgia. Tolerantia quidem differt Deus pœnam, vt peccatoribus pœnitentiæ locum relinquat. Sic enim Paulus ait *Rom.2.* An diuitias bonitatis illius ac tolerantiæ benignitatisque contemnis, ignorans quod benignitas Dei te ad pœnitentiam inuitat? Eustorgia vero sinit suos cruce exerceri per hostes Ecclesiæ, ne ferociant in rebus secundis. Interim sciant impii & impœnitentes, quod thesaurisent sibi iram in diem iræ, & reuelationis iusti iudicii Dei, *Rom.2.*

TERTIA PARS.

11. *Et lætetur omnes qui sperant in te, in æternum cātabunt, & protegas eos, exultent in te, qui diligunt nomen tuum.*

12. *Quoniam tu benedices iusto, Iehouah, veluti scuto beneuolentiæ coronabis eum.*

Votū est & oratio pro vniuersa Ecclesia, vt Deus illam suo complecta tur fauore, eam protegat, ac tandem sua bonitate fœlicem beatāque reddat. Atque hęc voti & præsentis orationis summa est. De lætitia dictum est *Psa. 4. vers.7.* De fide & spe quā in Deo collocant pii. Item de fœlici sperantium exitu diximus in fine Psalmi primi: Quare eo remitto auditores.

Pars voti seu precationis seu promissionis quæ sequitur, *Et protegas eos. seu proteges.* Hunc habet sensum. Proteges eos, tanquam auis sub alis suis, pullos suos protegit. *Psalm.91.* Seu proteges eos, tanquam galea imposita capiti eorum. *Psalm. 140.* Vt, scilicet, sint immunes a telis hostium. Quomodo autem Deus protegat suos, quibusque modis, supra ostendimus 8. versu præsentis Psalmi.

Exultent in te qui diligunt nomen tuum.

Hic tria ordine videamus.

1. Quid sit nomen Dei.
2. Deinde quid sit diligere nomen Dei.
3. Tum quid sit exultare in Deo.

Quid est nomen Dei?

Nomen Dei, est cum ipse Deus, tum quicquid digne Deo attribuitur, vndecunque sumatur, siue a natura, siue a dictis, siue a factis, siue testimoniis. *Naturæ* nomine intelligo & essentiam Dei, & personas, quæ sunt eiusdem diuinæ essentiæ, distinctas, videlicet, quod vt vnus Deus est essentia, ita tres sunt personæ in vnitate essentiæ: Pater, Filius, & Spiritus sanctus iuxta verbum & testimonium. *Dictorum* appellatione intelligo Epitheta, quæ Deo in scripturis tribuuntur, a variis suis virtutibus & operationibus, de quibus *Exod.* 34. Transiés Iehouah ante Mosen, clamauit, Iehouah, Iehouah, fortis, misericors & miserator, tardus ad iram, & multus misericordia & veritate, seruans misericordiam millibus, auferens iniquitatem, & præuaricationem, & peccatum, qui nocentem non iudicat innocentem, visitās iniquitatem patrum super filios, & super filios filiorum, super tertiam & quartam generationem. *Factis*, intelligo opera creationis, gubernationis, saluationis & damnationis. His accedunt exempla quæ sunt testimonia virtutum & operum Dei. Nam in exemplis tanquam in tabulis clarissime cernuntur, iusticia, bonitas, misericordia & aliæ virtutes Dei. Cum audio scripturam de Deo dicere: Ego sum Deus misericors & miserator, tollens iniquitatem, Sententia hæc quidem mihi chara & auditu iocunda est, animumque meum non parum flectit ad bene sperandū. Sed quum video Deum hoc declarare in Dauide, Manasse, & similibus peccatoribus, rem tanquam pictam video: vnde in maiorem spē erigor, quam ex nuda promissione, vt & mei misereatur confugientis ad gratiam. Quid est clarius dicto Christi? *Matth.* 11. Venite ad me omnes qui laboratis & fatigati estis. Cum hanc dulcissimam inuitationem audio, spem concipio in Christum. Sed cum lego Magdalenam, Matthæum, latronem &c. recipi in gratiam, dictum Christi quasi pictum video: vnde multò maior in mē fiducia oritur. Præsertim cum Christus sit æqualis omnibus. His adde *Signa* duplicia, videlicet, iræ, & gratiæ. Signa *Iræ*, id est, quæ testantur

de ira

de ira Dei, ſunt triplicia. Aut enim accuſant peccata & minantur pœnas, vt Cometæ, paludes rubentes, tempeſtates inuſitatæ. Aut accuſant & puniunt ſimul, vt ſerpentes vrentes in deſerto, plagæ Ægyptiæ, peſtis publice graſſans, fames, corruptio frugum. Aut ſunt peccata graſſantia paſſim impune, vt hodie apud nos heluationes, libidines, vſuræ opprimentes pauperes. Cuiuſmodi ſigna, ſunt & plagæ & peccata, quæ Deus iratus permittit, in teſtimonium horrendi ſui iudicii in eos qui non reſipiſcunt. Hæc tria ſignorum genera iræ Dei, ſubiiciuntur comminationibus diuinis, & veluti eas confirmant. *Gratiæ* ſigna in nouo teſtamento, ſunt Baptiſmus & Cœna Domini, quæ ideo inſtituta ſunt diuinitus, vt confirment gratiæ promiſſionem, iis qui ad Deum conuertuntur & retinent fidem & bonam conſcientiam. Non autem in pœnitentibus qui Sacramentis ſibi vtuntur in iudicium ſuapte culpa.

Hactenus expoſui, quid per nomen Dei ſignificetur in Scripturis. Quid autem boni huius nominis notitia adferat, noſter Dauid docet, *Pſal.9.* cum ait, Sperabunt in te qui nouerunt nomen tuum: Quoniam non derelinques quærentes te Domine. Iam tribus verbis iudicabimus vſum eorum quæ dicta ſunt de nomine Dei. Quoties igitur occurrit nomen Dei, vt in his dictis & ſimilibus. Sit nomen Domini benedictum. Item. Benedictum nomen Maieſtatis eius. Item Propter nomen tuum propitiare peccato meo: Duo cogitāda ſunt: primum ipſe Deus, deinde attributum aliquod, præſenti dicto conueniens. Vt cum dicitur, Benedictum nomen maieſtatis eius. Senſus eſt, Benedictus ſeu laudandus ſit Deus ipſe, cuius ampliſſimum eſt imperium, ſumma potentia, ſumma ſapientia, & ſumma bonitas, & maxima beneficia erga genus humanum. In his enim maieſtas Dei relucet. Cum dicitur: Propter nomen tuum propitiare peccato meo. Senſus eſt, Propter te o Deus, (vt eſt apud Eſaiam, Ego ipſe ſum, qui deleo iniquitates tuas propter me) Deinde per Nomen hic intelliguntur plures cauſæ propitiationis, videlicet, bonitas & miſericordia, promiſſio, meritum filij, gloria & predicatio Dei. Item. Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, id eſt, propter me, qui vobis a Patre datus ſum, qui Patrem placaui, qui vos reconciliaui Patri, ſoluto pro peccatis veſtris λυτρῳ, & nunc in-

tercedo pro vobis apud Patrem.

Quid est diligere nomen Dei? Est Deum diligere iuxta nomen suum. Nomen Dei, rationem delectionis Dei in se cõcludit. Sed quia de nomine diximus, hic partes dilectionis connexas recitabimus. Est autem diligere Deũ, Deum nosse ex eius verbo & testimonio, est Dei verbo credere, est Deo se committere, est Deo adhærere, est Deum omnibus aliis rebus anteponere, & timere, est imperata a Deo facere, est prohibita a Deo vitare, est omnibus hostibus Dei aduersari, mente, affectu, voluntate, actione: est denique quæ Dei sunt, omnibus viribus promouere & propagare, idque per totam vitam. Hæ partes dilectionis Dei, ita sunt connexæ & ita cohærent, vt quicunque illas pariter non coniungit, Deum diligere minime censendus sit. Nam vt Deus hæc simul iuste vt debita requirit: ita qui partem aliquam eorum omittit, omnes amittit, nec sincerus Dei cultor haberi potest. *Primum* enim, qui Deum non nouit, non potest Deum diligere: Notitia enim semper præcedit amorem. Qui Dei verbo non credit, is sane dubitat de verbo Dei, quod non est diligentis. Qui Deo se non committit, inobediens est, quod a dilectione Dei est alienissimum. Qui Deo non adhæret, nequaquam Deum diligere potest: nam dilectio est virtus, qua diligens, copulatur dilecto. Qui Deum omnibus rebus mundi, non anteponit, habet Deo aliquid charius, quod vtique cum vera dilectione Dei pugnat. Qui imperata non facit, & prohibita non vitat, amicitiæ leges violat, nam amicitiæ est, vere eadem amare & odisse: Et Saluator noster dicit *Ioh.*14. Qui diligit me mandata mea seruabit. Contra vero, qui inobedientia sua se Deo opponit, satis declarat, quod ne scintillam quidem veræ dilectionis habeat. Qui hostibus Dei non aduersatur, hypocrita est & proditor, vt qui non strenue, vt deceret, pro suo duce militat: Quare nihil minus quam Deum diligere putandus est. Postremò, qui quæ Dei sunt non omnibus viribus animi & corporis promouere & propagare studet, dilectionis Dei expers est. Sunt ergo affectiones illæ & actiones quas recensui, essentiales differentiæ dilectionis Dei. Quare caueat vnusquisque ne seipsum fallat, & putet se Deum diligere, cum id minime faciat. Nemo siquidem vere & integre credit in Deum, nisi simul vere & integre

tegre diligat. Nam dilectio integra, ex integra fide manat. At si quis hic obiecerit,

Nemo potest diligere vt debet. Resp. Fateor id verũ esse, quantũ quidẽ ad gradus dilectionis attinet, sed quantũ ad partes attinet, quilibet Christianus, integre Deũ diligere debet. Hęc dilectio Dei vt cõcipitur ex notitia paterni affectus in Deo erga nos, nascitur ex fiducia Christi, crescit per spiritũ fidei, roboratur cogitatione cumuli beneficiorũ corporalium & spiritualium, confirmatur magis magisque in ardenti inuocatione Dei, & meditatione nominis diuini. Ita cernitur in obedientia sub cruce, in mortificatione carnis, & in morum innocentia.

Quid est exultare in Deo? Hic primum videndum est, Quinam merito possint & sine errore exultare in Deo. Deinde quid sit in Deo exultare.

Quinam possint in Deo merito & sine errore exultare, ipse Dauid nos docet, & suo exemplo, & testimonio. *Exemplum* illustre est Dauid ipse, qui seiunctus a prophanitate mundi, doctrinam Dei amplectitur, in Deum collocat fiduciam, patienter expectat opem diuinam, facit officium vocationis, & seruat bonam conscientiam. Idem testimonio docet noster Dauid, cum ait in hoc ipso versu: *Lætentur in te qui sperant in te.* Item. *Psalm. 64.* Lætabitur iustus in Domino, *Psalm 32.* Lætamini in Domino, & exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde. Sunt autem recti corde, quorum cor fide purificatum, & innouatum per spiritum sanctum acquiescit in Deo, delectatur lege Dei, & in ea ambulat, retinens fidem & bonam conscientiam. Hinc sequitur quod impœnitentes, quod scelerati, quod hypocritæ, non possint in Deo lætari & exultare: Sed tantum illi qui sperant in Domino, qui sunt iusti & recti corde, hoc est, qui agunt pœnitentiam, iuste viuunt, seu (vt ex Pauli sententia 1 *Tim.* 1. loquamur) qui honeste militant, scilicet, aduersus Diabolum, carnem, & mundum, hostes Dei, retinent fidem & seruant conscientiam illæsam.

Quid est exultare in Deo? Est abiecta omni fiducia carnis, gloriari in Dei misericordia & bonitate propter Christum, & Deum sincere colere, & expectare vt ipse tandẽ compleat sua promissa, quo iustificetur in sermonibus suis. Huc perti

net dictum Dei apud *Ieremiam capit.9.* Non glorietur sapiens in sapientia sua, non glorietur fortis in potentia sua, non glorietur diues in diuitiis suis: sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire & nosse me, quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam & iudicium & iustitiam in terra. Breuiter: In Deo iure exultat, qui exutus omni propria sua dignitate, se nudum prosternit coram Deo, in Deum confidit, & in misericordia ipsius propter meritum Christi acquiescit.

Quoniam tu benedices iusto Iehouah, veluti scuto, beneuolentia coronabis eum.

Hæc dulcissima est promissio pertinens ad solam Ecclesiam, & ad eius singula membra. Quicquid enim Deus Ecclesiæ promittit, id totum singulis Ecclesiæ membris promittit. Nam ita largus est benedictionis diuinæ fons, vt vnus omnibus & singulis sufficiat. Promittitur autem hæc benedictio (debent enim hæc Dauidis verba, de benedictione spirituali accipi potissimum) non cuiuis, sed Iusto solummodo. Sic enim ait: Tu benedices iusto, Iehouah. Studeat proinde quilibet vt sit iustus, quo ipsi liceat de hoc benedictionis fonte haurire.

Hic tria tenenda sunt. Quisnam sit iustus: Quid sit, Deum iusto benedicere: Et Quòd vicissim Deum benedicere debeat, benedictionem consecutus.

Quis hic nominatur iustus? Iustus hic non dicitur, qui absolute & perfecte iuxta legis normam iustus est. Nam nemo mortalium (præter vnum Christum) ita iustus est, quemadmodum tota scriptura, & Paulus iusta disputatione conuincit, ad *Rom.*1.2. & 3. Et noster Dauid ait *Psalm.* 130. Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Item *Psalmo* 143. Ne intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Non ergo iustus hoc loco intelligitur iuxta legis rigorem. Nam promissio hæc benedictionis tunc plane inanis sonus esset. Nemo enim eius fieret particeps. Necesse est igitur vt iustus hic aliter accipiatur sicuti alibi in scripturis, vbicunque iustis promittitur benedictio diuina. Quomodo ergo accipitur? *Psalmo* 1. *vers.*5. ostendimus in scripturis impium & iustum opponi & ex descriptione impij collegi iustum dici quemuis hominem qui veram relligionem habet, a-

matque, qui se a consortio impiorum hominum seiungit, qui moribus est ad verbi Dei normam compositis, qui concupiscentiis carnis repugnat spiritu, & qui proæresi bonus probusque est: Qui si interdum ex infirmitate & incogitantia labitur, non sinit se peccati cœno inuolui, sed mox vbi senserit se deliquisse, appræhensa dextera Dei fide, se in rectum viæ cursum erigit, & firma fiducia peccati veniam petit & impetrat. Breuiter, Iustus hic dicitur, qui credit, qui militat honestam militiam, & retinet fidem & bonam conscientiam. Quicunque ergo benedictionis diuinæ cupit esse particeps, det operam, vt hoc modo sit iustus, quod non aliunde rectius quisquam sciuerit, quam si propriam conscientiam interroget.

Quid est Deum benedicere iusto? Respondet ipse Dauid proxime sequenti hemistichio, cum ait, *Tanquam clypeo beneuolentia coronabis eum.* Est ergo Deum benedicere iusto, ipsum, tanquam clypeo, beneuolentia sua & fauore coronare & circundare. Vt enim clypeus fidentem & securum reddit & defendit eum qui eo tegitur, a iaculis: Ita Deus suo fauore & beneuolentia pios fidentes afficit, & defendit, vt sint immunes ab ignitis Diaboli telis. Hinc petant pij consolationem, & fiduciam concipiant sub cruce. Est enim Deus, eorum clypeus, *Genes.* 15. Ne metuas Abraham, ego clypeus tuus sum. Hæc promissio pertinens ad totam Ecclesiam, fidem requirit. Postquam autem sensum verborum Dauidis tenemus, generalius explicemus benedictionis diuinæ modum.

Dicitur autem Deus benedicere homini in genere, cum ex sua bonitate benefacit homini, seu confert in eum sua beneficia. Verum sciendum est, duplicem esse benedictionem, qua Deus homini benedicit, videlicet, corporalem & spiritualem.

Corporalis benedictio Dei est, beneficiorum Dei variorum & multiplicium in homines liberalissima effusio, de qua scriptura multis in locis agit. Quid est aliud quæso, quod viuimus, mouemur & sumus, quam benedictio Dei? *Genes.* 1. Benedixit eis Deus, dicens. Crescite & multiplicamini. *Iob.* 1. Operi manuum eius benedixisti, & possessio eius creuit in terra. *Deut.* 28. Venient super te vniuersæ benedictiones istæ. Benedictus eris in ciuitate, benedictus in agro, benedictus fructus ventris tui, benedicta horrea tua &c.

Quanta autem hæc benedictio Dei sit, & quam late pateat Syracides *cap.39.* ostendit, cum ait: Benedictio Dei, quasi fluuius operit terram, & veluti inundatio eam fœcundat. Etsi autem hęc benedictio Dei corporalis, est communis cũ piis tum impiis, adeo vt etiam impiorum benedictio, sæpe maior esse videatur, quã piorum: Tamen si eius vsum & finem spectes, maximum est discrimen. Impii enim hac benedictione Dei vtuntur, sine timore Dei, sine agnitione benefactoris, sine gratiarum actione: Idque in contumeliam Dei, & in oppressionem piorum. Pii autem eadem vtuntur benedictione in timore Dei, agnoscunt benedictionem Dei esse, quicquid habent, gratias Deo agunt, & quæ acceperũt ex benedictione Dei cõuertunt in Dei gloriã, & ad piorũ subleuamẽ, & Ecclesię ędificationem. Quia igitur impii hac benedictione abutũtur, accersũt sibi iustã maledictionẽ: Audituri sunt enim in extremo die: Ite vos maledicti in ignẽ ęternũ.

Spiritualis benedictio Dei, & Euangelica, solummodo iustorum est, & filiorũ Dei. Huius benedictionis spiritualis, spectẽtur ordine promissio, exhibitio, applicatio, partes, obsignatio, cõsummatio, & finis. *Promißio* huius benedictionis sępe proponitur in Mose & Prophetis quę opponitur maledictioni, in quã incurrit homo proditorie deficiẽs a Deo, & in peccatum lapsus. *Genes* 3. extat prima benedictionis promissio. His verbis, Semen mulieris conteret caput serpentis. id est auferet maledictionem, & adferet benedictionẽ ęternã. Hęc promissio benedictionis repetitur *Genes* 26. Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. Est autem causa huius promissæ benedictionis, misericordia Dei, nolentis mortem peccatoris, sed volentis eum, per & propter semen mulieris benedictũ, viuere. *Exhibitio* huius benedictionis, est promissi seminis donatio, & eiusdem pro nobis in cruce oblatio, de qua sic scribitur *Galat.* 3. Christus nos redemit de maledictione legis, factus pro nobis maledictum, vt in gẽtibus benedictio fieret in Iesu Christo. *Applicatio* fit fide, vt Paulus docet ibidem: Vt promissionem spiritus accipiamus per fidem. Fides autem est ex auditu, & auditus per verbum Dei. Iam cum fides sit opus spiritus sancti: Nam spiritus sanctus ad prædicationem Euangelii operatur fidem in auditoribus, quorum obedientiam requirit: quatuor causas applicationis coniungi necesse est,

eſt, videlicet: Verbum, ſpiritum ſanctum, voluntatem hominis obedientis verbo, & fidem. Nemo enim credit niſi volens, nec poteſt velle, niſi doceatur verbo, & moueatur a ſpiritu ſancto. Has quatuor cauſas applicationis hic Paulus non obſcure indicat. Nam ſemper hæc regula tenenda eſt, in neceſſario coniunctis: Cum vnum dicitur ſingula intelliguntur. *Partes* huius benedictionis ſunt, liberatio a maledictione legis, a iure peccati, remiſsio peccatorum, iuſtificatio gratuita, adoptio, donatio ſpiritus gratiæ, precum dilectionis, timoris, pietatis, humilitatis, & aliarum virtutum Chriſtianarũ. Cum hę partes benedictionis ſpiritualis conferuntur, ad triſtiſimæ maledictionis partes apparebit quantũ bonum ſit hæc ſpiritualis & Euangelica benedictio, & quam ſint beati eius veri poſſeſſores. *Obſignatio* huius benedictionis eſt duplex. Inuiſibilis vna, altera viſibilis. *Inuiſibilis* obſignatio, interna eſt, & fit per ſpiritum ſanctum: & dicitur a Paulo, Arrabo hæreditatis: 2. *Cor.* 1. Qui confirmat nos vobiſcum in Chriſtum, & qui vnxit nos Deus eſt, deditque arrabonem ſpiritus in cordibus noſtris. Ad *Epheſ.* 1. Obſignati eſtis ſpiritu promiſsionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ. Ad *Rom.* 8. Quicunque ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei. Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timorem, ſed ſpiritum adoptionis in quo clamamus: Abba pater. Ipſe autem ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſimus filii Dei: Si autem filii, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti. Huius autem ſpiritus præſentia, vt ex adductis teſtimoniis patet, ſentitur ex ipſius propriis motibus & actionibus. *Viſibilis* obſignatio, ſpiritualis & Euangelicæ benedictionis fit per Sacramenta noui teſtamenti, quę ſunt: Baptiſmus, & vſus cœnæ Dominicæ iuxta inſtitutionem Chriſti. *Conſummatio* benedictionis ſpiritualis, erit conformitas hominis cum Deo, cui coniunctus erit perfecto amore in vita ęterna, & plena fruitio ſummi boni, hoc eſt, Dei, in omnem æternitatem, atque hic erit ſtatus hominis proprius, perfectiſsimus atque optimus. In hoc ſiquidẽ ſtatu corpora noſtra erunt conformia glorioſo corpori Chriſti, iuxta hoc Pauli dictum, ad *Philip.* 3. Noſtrum πολίτευμα eſt in cœlis, vnde expectamus ſaluatorem, domi-

num nostrum Iesum Christum, qui transformabit humilia nostra corpora, vt sint futura conformia ipsius glorioso corpori, idque ea potentia, qua potest sibi omnia subiicere: Et animæ nostrę reuersæ in corpora, participes erunt diuinæ naturæ. Ita enim Petrus ait: 2. *Pet.* 1. Prætiosa nobis promissa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ. 1. *Ioan* 3. Charissimi, nunc filii Dei sumus, & nondum apparuit id quod erimus: Scimus autem quod cum ille apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est, & omnis qui habet hanc spem in eo, purificat semetipsum, sicut ille purus est. *Finis* benedictionis spiritualis & consummatæ in æterna vita, erit communis angelis sanctis, & hominibus, qui ex hac vita in vera fide emigrauerint. Hic finis, erit perfecta dilectio Dei, & perfecta prædicatio bonitatis Dei in omnem æternitatem, propter summam ipsius sapientiam, potentiam, iusticiam, & misericordiam. Tunc enim cum angelis cantabimus: Gloria in excelsis Deo, tunc pleni perfecta sapientia admirabimur opera Dei: Non enim amplius in ænigmate sed perfecte cognoscemus. Sic enim Paulus 1. *Cor.* 13. ait: Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, vt cognitus sum.

Quid est, hominem benedicere Deo?

Hoc pulcre noster Dauid *Psalm.* 34. definit, cum ait: Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo: In Domino gloriabitur anima mea: Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius pariter. Est proinde benedicere Deum, ipsum laudare & glorificare. Laudat autem & glorificat Deum, qui Dei beneficia agnoscit, qui in Deo gloriatur, qui ex sincera fide Deum colit, quique alios suo exemplo inuitat, vt vna cum ipso Deum celebrent, mente, corde, lingua, & tota vita.

Nos igitur qui ad tantam gloriam vocati sumus, vt simus filii Dei & hæredes, obtemperemus consilio senis Tobiæ, qui suum filium in hunc modum hortatur ad officium. *Tobi.* 4. Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo, vt vias tuas dirigat. Precemur proinde cum Dauide *Psalm.* 25.

Vias tuas Domine demonſtra mihi,& ſemitas tuas doce me: Dirige me in veritate tua,& doce me,quia tu es Deus ſaluator meus.

Vſus Pſalmi Quinti.

Quando recitamus hunc Pſalmũ,animum circumferamus ad hiſtoriam Eccleſiæ omnium tẽporum,& conferamus hiſtoriam Eccleſię ad dictum Dei,dicentis ad ſerpentem Geneſ. 3. Inimicitias ponam inter te & mulierem, & inter ſemen tuum & ſemen eius, ipſum conteret tibi caput, & tu conteres ei calcaneum. Hoc dictum ſignificat fore bellũ irreconciliabile inter Diabolum & Eccleſiam in hac vita: Sed tandem Eccleſiam habituram eſſe lętam victoriam in Chriſto Ieſu ſemine mulieris. Huius belli exemplum conſpicitur in hoc 5. Pſalmo, in noſtro Dauide, qui & ciuis & typus Eccleſię fuit. Hic Dauid habuit hoſtes, ſatellites Satanæ, Tyrannos crudeles, Sophiſtas mendaces, Hypocritas ſuperſtitioſos, contra quos fortiter pugnat fide & inuocatione.Huius ergo exemplo & nos armemur, & pugnemus contra hoſtes Eccleſiæ, qui hodie ſanguinem ſanctorum ſitiunt,& conantur cadaueribus ſanctorum, curſum Euangelii impedire,exercent iniuſtam tyrannidem in pios, mendaciis deformant Eccleſiæ doctrinam, hypocriſi ſimplices abducunt a fonte ſalutis, verbo Dei puro. Precemur igitur Deum, vt noſtri miſereatur, peccata condonet, mitiget pœnas quas meriti ſumus, det nomini ſuo gloriam,

faciat nobiscum secundum misericordiam suã: infatuet consilia Pontificiorum, & aliorum hostium, perdat loquentes mendacium, & confundat tyrannorum conatus, suumque pusillum gregem Ecclesiam, sua beneuolentia tanquam clypeo circundet, vt ipsum & in hac vita prædicet, & in futura & in omnem æternitatem eum celebret, cum castissimis spiritibus.

PSALMVS SEXTVS.

Summa Psalmi Sexti.

HIC Psalmus est Dauidis pœnitẽtis, hoc est, & agnoscentis suum peccatũ, exhorrescentisque iustam iram Dei atque vindictam, & deprecanti culpam propter misericordiam. In hac peccati confessione & culpæ deprecatione, diuinum in anima responsum percepit Dauid, de impetrata gratia & remissione peccatorũ. Vnde in hæc verba erũpit: Discedite a me &c. quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei. Huc insultationem addit, qua hostibus suis insultat, quod de ipsius aduersis gaudebant. Hinc colligi potest, quod Dauid iuxta sensum huius Psalmi precatus sit in aliqua magna angustia constitutus, forte vel morbo graui correptus, vel stimulo consciẽtiæ, propter aliquod peccatum agitatus, vel forte in exilium actus. Sed satis nobis est genus tenere, videlicet, quod Dauid Psalmo hoc in publicum edito ostendat, quomodo affectus fuerit, orauerit, exauditus sit in sua angustia, quæcunque illa tandem fuerit, idque in hunc finem, vt alii in simili angustia constituti

eius

eius exemplum imitentur. Nam hoc de omnibus precatoriis Psalmis Dauidis tenendum est, quod Dauid post afflictionem & orationem ad Deum factam, tranquilliori vitæ statu vsus, precationes suas & gratiarum actiones in Psalmos redegerit, vt ipsius certamina sub cruce, & preces & exauditiones, & fidei victoria, aliis innotescerent in gloriam Dei, & in totius Ecclesiæ & singulorum piorum instructionem. Voluit siquidem vir sanctus suum factum tanquam exemplar illustre proponi ad imitandum piis, in quouis periculo constitutis.

Ordo & dispositio Psalmi sexti.

Etsi hic Psalmus, si summam rerum spectes in duas partes recte distinguitur, videlicet, in precationem remißionis peccatorum, quæ absoluitur septem primis versib. Et in fidei testificationem triumphantis & exultantis, responso diuinitus accepto de gratia & remißione peccatorũ, quæ pars tribus postremis versibus continetur: tamen, vt melius hunc Psalmum in nostros vsus transferamus, eum in quatuor partes distinguam, in hunc videlicet modum.

Prima Contenta 1.2.3 4.& 5.versibus est confeßio peccati, deprecatio culpæ & pœnæ cum suis rationib.

Secunda Quærela est quæ 6. & 7.versu absoluitur.

Tertia, Quæ 8.& 9.versu continetur, consolationẽ ex fiducia impetratæ gratiæ & remissionis peccatorum conceptam continet.

Quarta, postremo versu absoluitur, & est gratulatio qua & triumphat aduersus hostes & insultat hostibus.

Hinc apparet, quod hic Psalmus partim sit petitorius, partim consolatorius.

EXEGESIS PSALMI SEXTI CVM INDICATIONE doctrinarum.

DE titulo quem Hieronymus vertit: Victori in Psalmis super octauam, non est quod laboremus: parum enim confert ad rerum intelligentiam. Doctiores apud Hebræos dicunt hunc Psalmum traditum esse præfecto Symphoniacorũ, vt ad Neginoth decantaretur intentissima voce, videlicet, octauo sono in Musica, quem vocant Dis Diapason, Hebræi alscheminith.

PRIMA PARS.

1. *IEhouah ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.*

2. *Miserere mei Iehouah, quoniam infirmus sum, sana me Iehouah, quoniam conturbata sunt ossa mea.*

3. *Et anima mea turbata est valde, & tu Iehouah vsque quo?*

4. *Conuertere Iehouah, eripe animã meã, salua me propter misericordiã tuam.*

HÆc confessio peccati est & petitio remissionis propter misericordiam Dei. De compellatione Iehouah supra dictũ est. Similiter etiã de misericordia Dei, quæ in merito Messiæ fundatur. Verũ vt hãc confessionẽ & precationẽ ad nostros vsus trãsferamus cõmodius, ordine singulos versus explicabimus.

Iehouah, inquit, *ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.*

Propositio est geminata ad

5. *Quoniam non est in morte memoria tui, in inferno quis confitebitur tibi?* | ta ad exprimendum precantis ardentissimum affectũ. Hic Dauid & se peccasse & meruisse pœnã, & iustã esse irã iudicis Dei aduersus se testatur. Nam qui deprecatur pœnã, & se peccasse & meruisse pœnam, & Deum iustũ esse iudicem agnoscit. Prostratus igitur Dauid coram Deo sub onere peccati, & iustæ iræ supplex veniam petit. Neque tamen simpliciter petit ne arguatur sed ne cũ furore arguatur, neque petit ne corripiatur, sed ne cum ira corripiatur. Paterne inquit corripias, non iudicis ritu, medici more, non tortoris, ne metiaris vindictã peccato, sed benignitate iusticiã tempera. Cũ furor & ira Deo tribuuntur, anthropopathia est, qua significatur iudicium Dei aduersus peccatores, non aliqua perturbatio in Deo. *Furoris & iræ discrimen hoc est.* Ira est cupiditas vlciscendi, motusque animi, ad coercenda peccata insurgẽtis. Furor est inflammata ira, ac veluti iræ fastigium. Cum ergo hæc tribuũtur Deo, sciamus Deũ vere odisse peccatum, & meditari vindictam, nisi matura pœnitẽtia illum anteuertamus. Sed hic cæcitas, impunitas, & consuetudo multos præcipitant in æternum exitium. *Cæcitas* enim facit vt magnitudinem peccatorum suorũ non videant homines, nec iusta mẽsura metiãtur. *Impunitas* facit vt perpetrata peccata iterent. *Consuetudo* facit vt a cœno peccati surgere nequeãt: Sed recta pergant ad exitũ sempiternum. Verum ne nos cum illis seducamur, sedulo caueamus, & mature resipiscamus, non solum hoc Dauidis exemplum pœnitentis nobis proponentes: Verum etiam omnium sanctorum, quos legimus serio sua peccata agnouisse & confugisse ad misericordiam. Sic Ieremias, vt est *Ierem. cap.* 10. fecit. Corripe, inquit, me Domine, non in furore tuo, ne in nihilũ redigas me, effunde indignationem tuã super gentes, quæ te non nouerunt. Et *Abac.* 3. Cum irasceris, misericordiæ tuæ non recorderis. Et *Esai.* 64. Et nũc Domine pater noster es tu, nos autem lutũ, & opera manuum tuarum omnes nos. Ne irascaris Domine valde. In hanc sententiam etiam omnes Sancti precantur. Subiiciunt se quidem pœnis sed petunt mitigationem, & deprecantur æternum interitũ. Hoc Dauidis & Sanctorũ omniũ temporũ exempla intueamur, & inde discamus vtrũque, videlicet, & serio agnoscere pecca-

ta, deplorareque veris gemitibus cordis nostros lapsus: Et cõ fugere ad thronum gratiæ, fiducia mediatoris nostri Iesu Christi, vt nos tanquã filios corripiat, & non abiiciat cũ impœnitẽtibus & cõtumacibus. Quoties autẽ corripimur, quo uis flagello Dei, consiliũ Dei cogitemus, de quo *Sapient.* 12. scribitur: Eos qui sunt lapsi, paulatim coarguis in memoriãque reducẽs peccatorũ admones, vt relicta prauitate in te credant Domine. Et Hieronymus ait: Vide benignũ Dominũ, misericordiã cum seueritate miscentẽ. Ex hoc loco, nõ solũ doctrina veræ contritionis confirmatur, verũ etiã in illustri exẽplo, tanquã in tabula nobis spectanda proponitur. Dauid hic agnoscit peccati sui enormitatẽ; sentit iustissimam irã Dei aduersus se accensam, metuit abiectionẽ, ex quo fit, vt ingenti dolore animi fere absorbeatur. Ergo vera contritio hominis est ingens cordis dolor, ex agnitione peccati, ex sensu iustæ iræ Dei, & ex metu æternæ condẽnationis conceptus. Ad hũc dolorẽ nisi accesserit fides in mediatorẽ, quæ ipsum dolorẽ mitiget, homo in horrendã desperationẽ ruit, vt Cain, Saul, Iudas, & innumeri alii. Ideo Dauid nõ consistit in eo gradu, sed propere ad misericordiam confugit in vera cõuersione, inquiens, Miserere mei. Nam ex notitia misericordiæ propter Christũ, tunc promissum nunc exhibitũ, concipitur fides, per quam fit conuersio. Homo enim, vt Dauid hoc loco, agnoscens suum peccatum, & dolens ob peccatum, & ex fide petit veniam, & inter precandũ concipitur fides, vt vere statuat se in gratiam recipi, promissione diuina fretus, *Ezech.* 18. videlicet, Viuo ego, nolo mortẽ peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Hac promissione confisus Dauid, condonationem adulterii & homicidii precatur *Psalm.* 51. Tibi inquit, soli peccaui, & malum coram te feci, Sed miserere mei, agnoscentis scilicet peccatum, & serio dolentis, quod te offenderim, & confugientis ad tuam misericordiam, fiducia mediatoris, vt iustificeris in sermonib. tuis, hoc est, vt miseri peccatores te iustum prædicent, cum te constanter promissa seruare vident. Est proinde viua & vera fides, lætitia cordis ex agnitione misericordiæ Dei, & ex fiducia remissionis peccatorũ, propter meritum mortis Christi, per spiritum sanctum excitata. Hæc fides ita temperat contritionem, vt quæ antea fuit iusta pœna, nunc fit sacrificiũ Deo gratissimum, iuxta illud: Sacrificium Deo spiritus contribu-

contribulatus, cor contritum & humilitatum Deus non despicies. *Esaiæ cap.* 57. Deus habitat cum contrito & humili spiritu, vt viuificet spiritum humilium, & viuificet cor contritorum. Porro si hæc fides vera & viua est, habet comitem perpetuam nouam obedientiam erga Deum, quæ est alacritas cordis ad obediendum Deo iuxta omnia ipsius mandata, ex spiritu adoptionis accensa. Ex quo sequitur frustra gloriari de fide eos, qui viuunt sine pœnitentia & sine timore Dei, qui timor Dei merito ianitor esse dicitur, qui in animam hominis omnes alias virtutes, & pios affectus introducit, fouet, tuetur, conseruat.

Miserere mei Iehouah, quoniam infirmus sum, sana me Iehouah quoniam conturbata sunt omnia ossa mea. Deprecationi seuerioris pœnæ, subiungit petitioné gratiæ, videlicet, vt Deus clementissimus, sui afflicti misereatur. Obseruetur autem hic in primis, antithesis plena consolationis. Opponit enim Dauid misericordiam Dei, suæ miseriæ, & potentiam Dei suæ infirmitati, quemadmodum sępe alias facit, & nos ita facere docet. Continent ergo hæc verba, cum propositione, argumentum voluntatis & facultatis in Deo, acsi in hunc modum diceret: Quia misericors es, vere tangeris mea miseria: Quia Iehouah es, ideoque potentissimus facillimè potes meam infirmitatem, & contrita ossa sanare, opem igitur supplicij ferto. Hoc argumentum applicat Dauid ad totam Ecclesiam *Psalmo* 130. cum ait, Speret Israel in Iehouah, quia apud Iehouah, est misericordia, & copiosa apud eum redemptio. Hinc Esaiæ exhortatio manat ad suos contribules præuaricantes pactum diuinum, cap. 55. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, reuertaturque ad Iehouah, & miserebitur eius, & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad remittendum. Et *Iohel, cap.* 2. Scindite cor vestrum, non autem vestimenta vestra, & conuertimini ad Iehouah Deum vestrum, quia misericors & miserator est, longanimis & multæ misericordiæ, & pœnitens super malum (id est, si ex animo resipueritis, decretam pœnam, aut mitigabit, aut prorsus condonabit) Et *Ezechielis* 18. Conuertimini (ad me) & auertite vos ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas, proiicite a vobis omnes iniquitates vestras, quibus prę uaricati estis & facite vobis cor nouum & spiritum nouum.

Vt quid moriemini domus Israel? quia non volo mortem mortui, dicit Dominus Iehouah. Reuertimini igitur & viuite. Hanc Dei misericordiam prædicat *Esaias cap.*54. Montes contremiscent & colles commouebuntur, misericordia autem mea non recedet a te, & fœdus pacis meæ non mouebitur, dicit miserator tuus Iehouah. Hanc Dei misericordiam Filius Dei, homo factus, qui clamat *Matth.*11. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, ego reficiã vos, varie pingit in nouo testamento: *Matth.*18. sub imagine creditoris, qui debitori decem millium talentorum summam gratis totam condonauit. Item, sub imagine pastoris, qui ouem amissam, magna sollicitudine quæsitam & inuentam reportat in stabulum. Eodẽ pertinet parabola de filio prodigo, quem reuersum pater intime amat, & complectitur. Vt autem huic misericordiæ locus esset, idem Filius Dei in cruce mori voluit, vt peccatum mundi suo sanguine expiaret. Hic iuxta, plurima exempla veteris & noui testamenti cogitemus, & includamus nos in vniuersalem promissionem misericordiæ, & serio confugiamus in vera pœnitentia, ad Patrem misericordiarum.

Porro ex forma verborum Psalmi, quidam colligunt, Dauidem graui aliquo corporis morbo, adeo vt de vita periclitaretur, laborasse, cum in hunc modum precaretur. Quorum sententia verisimilis etiam videtur, cum simili modo legimus Ezechiam regem orasse, vt est *Esaiæ* 38. Hanc si sententiam sequimur, habemus quod inde discamus videlicet, quo modo nostris morbis corporis ordinate curam adhibere oporteat. 1. Ordiamur ergo cũ Dauide, a vera causa morbi videlicet peccato, & eam amoliri per veram pœnitentiam studeamus. Est siquidem omnis morbus corporis pœna peccati iuxta dictum Syracidæ *c.*38. Qui peccauerit in creatorem suum, incidet in manus medici. Nam cũ tu sponte tua morbum animo tuo accersis, iustum est vt Deus te nolente morbum corpori tuo infligat, quod cum facit, signum est paternæ seueritatis cum amore coniunctæ. 2. Deinde agnoscamus nos iuste morbo corporis puniri, propter morbum, quem ipsi sponte nostra animo accersiuimus. 3. Tum petamus remissionem peccati, hoc est, sanationem morbi animi. 4. Hac impetrata suppliciter petamus sanationẽ morbi corporis, sed cum conditione voluntatis Dei, & nostræ salutis.

lutis. Semper enim in petitionibus corporalium bonorum, nostra voluntas subiiciatur voluntati Dei, iuxta formam precandi, quam a Domino accepimus: Fiat voluntas tua. Postquam autem hoc sanationis iecerimus fundamentum, medicorum consilia audiamus, & quæ natura offert remediis vtamur, quibus si adiuti fuerimus, agamus Deo gratias, & medicum suo honore non spoliemus. Sin autem minus, non imputemus medico, quod nostra culpa curari non poterat. Sed cum sanctissimo Iob dicamus *c.* 13. Etiamsi Deus me occiderit in ipsum sperabo, cogitemusque morbum corporis medelam animæ esse. Atque hoc tandem modo iuxta Poëtæ dictum,

Leue fit, quod bene fertur onus. Qui autem intra hos limites non manserit, sed extra ordinem diuinum damnata remedia quæsiuerit, duplicat peccatum, & accersit sibi maiores & animi & corporis morbos, vt qui & ordinationem diuinam contemnit, & confugit ad hostem Dei diabolum. Hunc curationis morbi corporis iustum esse ordinem, docet etiam Syracides, *cap.* 38. cum ait, Fili, ne prætermittas in morbo tuo, quin Dominum ores, & ipse sanabit te: Recede a delicto, & manū dirige, atque ab omni peccato cor emunda, offer munus tuum: Deinde medico locum des, vt cuius creator Deus est, nec discedat abs te, quoniam ipsius indiges. Hic Syracides ante omnia vult nos in vera pœnitentia Deum inuocare dum ægrotamus: Deinde vti opera medici, neque huiusmodi opportunitatem aspernari. Etsi autem hanc interpretationem verborum Psalmi non aspernor, tamen magis eorum sententiam probo, qui infirmitatem corporis & cōturbationem ossium in Dauide, effectum sensus peccati, & iusti iudicij Dei intelligunt. Nam vt venenum aspidis, primum spiritum inuadit, postea paulatim totum corpus occupat: Ita sensus peccati & iræ Dei, adeo animum hominis infestat, vt eius virus in animum etiam serpat. Id quod videre est in magnis doloribus, qui tametsi animi sunt proprij, tamen sæpe corpora maxime languere faciūt, quemadmodum multi pij, qui recte de atrocitate peccati iudicant, experiuntur quotidie. Hanc nostrā interpretationem confirmat quod sequitur,

Et anima mea turbata est valde. hoc est, consternata, & perhorrescens vindictam diuinam. Hæc perturbatio animę ob

peccatum, in multis tanta est, vt doloris magnitudine victi extinguantur. Hinc est quod scriptura huiusmodi dolores, inferni dolores nominet: qui sic dicuntur cum homo adeo consternatur dolore & metu, vt mori, ex magnitudine dolorum quibus premitur, videatur. Huc illud *Ps*. 18. Dolores inferni circumdederunt me, id est, lethales, & in sepulcrum intendentes. Quid quæso impulit Achitophel, quid Iudam, vt sibi celerem mortem accerserēt, nisi perturbatio animæ, pressæ mole peccatorum, & vitę desperatione. Recte proinde Gregorius sentit cum ait, Inter multiplices humanæ animæ tribulationes & innumerabiles afflictionū molestias, nulla est maior afflictio, quā conscientia delictorum. Talis perturbatio animæ ob conscientiam scelerum non est in hypocritis & secure viuētibus, donec scilicet bene habent. Sed in agone mortis conscientia scelerum excitatur, & in desperationem abducit. Quę sane desperatio multo erit acerbior quam maximus cruciatus & mors corporis. Etsi autem malæ consciētiæ solatium est in impiis, spes impunitatis, dum secure viuitur, tamen hoc solatium tādem tollet horror imminentis mortis & sensus peccati, quod peccatū antea quidem quasi puluere quodam obliuionis aspersum, nō sentiebatur. Iam vero instante morte, reuiuiscit, id quod Plato philosophus etiam indicat, cum ait, Quando aliquis vicinus morti videtur, inuadit ipsum subito metus quidam, & cura eorū de quibus antea non cogitauit, & sermones qui feruntur de inferis, nēpe quod illi qui hic alios læserint, illic pœnas luere debeant. Hactenus quidē ridiculi & fabulosi sunt visi at tunc torquent animum ægrotantis, atque ipse siue ex senectutis infirmitate, siue aliunde inferis vicinior, magis quæ illic aguntur considerat. Suspitione itaq; atq; metu plenus, animo versat ac pensitat, si quem læserit. At si depræhēdit se multa fecisse iniuste in vita, ex somnis tanquam pueri crebro excitatus, metuit, ac mala cum spe viuit.

Et tu Iehouah vsque quo? Hæc oratio non est increpantis, sed obsecrantis, videlicet, vt Deus cito sibi in maximo dolore constituto opem ferat: Quasi diceret: Ita me sensus peccati premit, ita me conscientia terret, vt nisi cito opem mihi feras, desperatione & morte absorbear.

Sed cur Deus distulit opem? Quia omnis curatio, vt ait Gregorius, quanto difficilius acquiritur, tāto acquisita cautius

custoditur. Etsi ergo ex fide petenda est curatio, animæ quidem sine conditione, corporis vero cum conditione: Tamẽ in neutra tempus Deo est præscribendum. Sed iugiter instandum est precibus, donec responsum, præsertim de curatione animæ acceperimus: Quod absque omni dubio accipiet, quisquis sine hęsitatione petierit, in fiducia mediatoris. Nam hæc regula constantissime tenenda est, de voluntate Dei, videlicet. Quod velit omnes homines saluos fieri, nec vllũ perire eorum qui ad misericordiam in vera conuersione confugerunt. Hæc regula sit nobis veluti sacra quædam anchora, quoties oriuntur tempestates tentationum in cordibus nostris, quibus conatur Diabolus & caro propria nos a portu salutis violenter in voraginem desperationis abripere. Verum in petenda curatione corporis si nihil videmur impetrare, cogitemus Patrem nostrum clementissimum, velle nos isto freno cohercere, ne extra viam rectam, quæ ad salutem ducit excurramus & pereamus. Sciamus proinde hanc fidei nostræ probationem placere Deo, si acquieuerimus constanter in verbo ipsius, etiamsi effectus non protinus appareat, iuxta prophetæ dictum *Abacuk*. 2. Si moram fecerit expecta eum, quia veniendo veniet & non tardabit. Neque enim vllus fidei locus erit, si petimus, vt statim Deus compleat quod promisit: Tentatio enim Dei potius erit. Scribitur *Iudith* 8. quod sancta illa vidua Iudith cum audisset ciues Bethuliæ statuisse tradere ciuitatem Assyriis, exactis quinque diebus, nisi interea auxilium mitteretur, obiurgauerit ciues suos hac oratione. Quod est hoc verbum, in quo consensit Osias, vt tradat ciuitatẽ Assyriis, si intra quinque dies nõ venerit vobis adiutorium? Et, qui estis vos? qui tentatis Dominum? Non est iste sermo, qui misericordiam prouocet, sed potius qui iram excitet, & furorem accendat. Posuistis vos tẽpus miserationis Domini, & in arbitriũ vestrum diem cõstituistis &c. Subiiciamus ergo nostros affectus prouidentiæ & consilio Dei sapientissimo retinentes fidem & bonam conscientiam. Is enim tempore opportuno sua compleuit promissa.

Reuertere Iehouah, eripe animam meã, salua me propter misericordiam tuã. Repetitio est propositionis teriterata ad indicandã affectus precãtis vehemẽtiã, cui additur ratio ab affectu Dei erga miseros peccatores serio cõfugiẽtes ad gratiã, sumpta:

ac si diceret, Quoniã tu Deus, & tua natura misericors es, & promisisti te recepturum in gratiam, omnes agnoscentes peccata sua & confugientes serio ad misericordiam, propter promissum semen, me quoque miserum peccatorem respice, recipe in gratiam, & salua iuxta promissiones tuas. Cum dicit, *Reuertere*, Anthropathia est. Vt enim homo iratus auertit se ab eo cui irascitur, & rursus placatus conuertit se ad eundem, ita Deus dicitur se auertere, cum irascitur, & rursus reuerti cum in gratiam peccatorem recipit. *Esaiæ*, 54. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper a te, & in mesericordia sempiterna misertus sum tui, dicit redemptor tuus Iehouah.

Notetur autem, quod etsi Deus natura sua sit misericors & clemens: tamen vt eius misericordiæ efficiamur participes, duo requirãtur, videlicet, Gratia Dei nos præueniens, & vt in vera pœnitentia ad ipsum conuertamur, quod similiter misericordiæ Dei opus est. Sic enim scribitur *Esaiæ* 44. Reuertere ad me quoniam exaudiui te *Ierem.* 31. Conuerte me, & conuertar, quia tu Dominus Deus meus es, postquam enim conuertisti me, pœnituit me. *Threnor*. 5. Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur. Hoc ideo notandum est, ne quis temere misericordia Dei abusus, putet se Deum habere vt seruum, vt qui & ferat peccantem, donec peccator velit, & rursus peccantem recipiat, vbi lubitum fuerit ei resipiscere. Hanc stultitiam multorum pugnantem cum fide, dilectione, & timore Dei Paulus repræhendit ad *Galat*. 6 cum ait, Nolite errare, Deus non irridetur. Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet. Et *Ephes*. 5. Nemo vos seducat inanibus sermonibus: propter hæc enim venit ira Dei in filios inobedientes. Et, 1. *Iohan*. 3. Filioli, nemo vos seducat. Qui facit iustitiam, iustus est, sicut & ille iustus est. Qui facit peccatum, ex Diabolo est.

Audiamus proinde Syracidem, qui *cap*. 5. ait, Ne dixeris: Peccaui, & quid mihi acerbum accidit? Dominus patiẽs est. Non te dimittet. Item. Ne dicas: Misericordia eius plurima est, multitudinem peccatorũ mihi ignoscet. Tam enim ira, quam misericordia ab eo properabit, ac super sceleratos furor eius requiescet. Ne ergo differas conuerti ad Dominum, nec diem ex die ducas, nam subito ira Domini erumpet, & cum securus eris, profligaberis, atque in tempore

vltio-

vltionis peribis.

Quoniã non est in morte memoria tui. Alia ratio petitionis est, a fructu liberationis Dauidis a morte petita. Eripe, inquit, animam meam, id est, me, a morte. Quare? vt prædicem te inter viuos. Nam ego ereptus e præsenti mortis periculo te prædicabo, & tui memoriam conseruabo in regno Israelitico, cui me regem præfecisti, quod mortuus facere non possum. Nam mortui non possunt te inter viuos prædicare. Ad eundem modum & alibi sæpe precatur Dauid *Psalm.* 30. Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem. Nunquid confitebitur tibi puluis, aut annuntiabit veritatem tuã? Item *Ps.* 88. Nunquid mortuis facies mirabilia? num mortui resurgent & confitebuntur tibi? Cui respondet alter ille locus *Psalm.* 115. Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in infernum: sed nos qui viuimus benedicimus Dominum. Dauidis exemplum nobis etiam imitandum proponamus, & petamus vitam nobis propagari, modo gloriæ Dei propagandæ & conseruandæ nostra vita seruiat. Sequens hemistichium, *In inferno quis confitebitur tibi?* eandem sententiam repetit: id est, nullus mortuus & sepultus, potest te inter viuos prædicare. Infernus enim hoc loco mortem seu sepulcrum significat. De vocabulo inferni, plura volente Deo in *Psalm.* 16. dicam. Hic forte quæret aliquis,

Si mortui non laudant Deum, an animæ mortuorum cum corporibus extinctæ sunt, aut dormiunt, vt quidam volunt? Nam si supersunt & viuunt animæ piorum in cœlo, quemadmodum credimus, verbo Dei edocti. Matth. 22. absque omni dubio, vna cum angelis castissimis Deum prædicant.

Respondeo.

Dauid solummodo hic & in locis adductis, loquitur de laudibus Dei inter homines, vbi alij alios doctrina, cõsilio, exemplo, inuitant ad laudandum Deum. Non loquitur de cœtu angelorum & sanctarum animarum, qui absq; omni dubio Deum perpetuis hymnis celebrat. Non est enim existimandum, quod animæ sanctorum, vt Abrahami, Lazari Latronis, atq; adeo omniũ, qui in vera inuocatione Dei hinc discesserunt, otiose in cœlo quiescãt, & non occupentur diuinis laudibus. Vt ergo anima Epulonis misere agit, torquetur, & fremit, aduersus Deum: ita anima Lazari acquiescen-

tis in portu æternæ beatitudinis, fruitur dulci quiete, Deum cum tota Ecclesia triumphante celebrat, expectans auidissime reditum ad corpus, vnde exierat. Quare Augustinus dicit animæ gaudiũ esse quidẽ magnum, sed nõ perfectum (quicquid enim adhuc aliquid desiderat, aliquid requirit ad sui status perfectionem) donec ad corpus in resurrectione communi redeat, non alienũ, sed propriũ, non animale, sed spirituale, non corruptibile, sed incorruptibile, non infirmum, sed potens, 1. *Corinth.* 15. Tunc enim erit (vt idem dicit Augustinus) manifesta visio, plena cognitio, vera dilectio, firma coniunctio, societas indiuidua, similitudo perfecta, & vita beata in æternum & vltra in perpetuas æternitates.

Porro quia hic fit mentio mortis, de morte huc aliquid adiicere visum est.

Vndenam sit:

Quam sit certa & ineuitabilis: &

Cur Deus certæ mortis incertam homini horam esse voluerit.

Vnde ergo mors est?

Adam præuaricatus præceptum Dei, mox in mortem vnam incidit, & præterea factus est duplici morti obnoxius, & in totam suam posteritatem mortem induxit. *Genes.* 3 & ad *Rom.* 5. Mors in quam primum Adam incurrit propter peccatum, fuit animæ, quæ sane mors, nõ erat extinctio animæ, quæ ita ab initio condita fuit, vt mori non posset, sed separatio veræ vitæ, quæ Deus est ab anima, & amissio imaginis Dei, ad quam anima creata erat, ab initio. Quam tristis autem fuerit hæc mors Adæ, ex eo cogitare promptũ est, quod vt a summo bono per hanc mortem sit separatus, nempe Deo, ita summo malo nempe Diabolo coniunctus sit. Etsi autem huic morti animæ, quæ spiritualis dicitur, omnes qui ab Adã secundũ communẽ nascẽdi legẽ nascuntur, natura obnoxii sunt, tamẽ per gratiam liberãtur, quotquot fœderis initi cũ Abrahamo, participes efficiũtur. Quales infantes Hebræorum fuere, stãte repub. Mosaica, id est, vsque ad passum Christum, in cuius rei testimoniũ ceremonia circuncisionis instituta fuit. Hæc enim initũ fœdus cũ Abrahamo & eius semine obsignabat *Genes.* 17. *Rom.* 4. Infantes Christianorum qui cum reuera sint semen Abrahæ iuxta promisionem

promiſsionē,vere etiam in eodē fœdere cū patre ſuo Abrahamo ſunt,in cuius rei teſtimoniū cæremonia Baptiſmi diuinitus eſt ordinata. Et adulti quotquot crediderint.Atque ita quos natura obnoxios tenuit, gratia abſoluit. Vocatur autem hæc liberatio a morte animæ,reſurrectio prima,quę fit in vera conuerſione ad Deum.

Hactenus de morte prima,in quam Adam lapſus incidit, cum ſua poſteritate.

Deinde Adam lapſus, factus eſt duplici morti obnoxius, ſuo tempore & ordine ſubeundæ, videlicet, morti quam vocamus naturæ,& morti gehennæ quę æterna dicitur.

Mors naturæ ex conditione ſic dicta, cui factus eſt obnoxius Adam,fuit ſeparatio animę a corpore & extinctio corporis,de qua *Geneſ*.5. ſic ſcribitur. Et fuerunt omnes dies Adam quibus vixit,anni 930.& mortuus eſt,id eſt extinctus eſt a corpore anima recedente. Huic morti opponitur vita naturæ.Hæc moriēdi lex propter peccati propagationē,omnibus poſteris Adæ impoſita eſt,iuxta illud ad *Heb*.9 Statutum eſt hominibus ſemel mori.Id quod experientia ipſa teſtatur,adeo vt poëta dixerit: *Naſcentes morimur, finiſque ab origine pendet.* Hæc mors naturæ,etiamſi mala eſt, vt iuſta pœna, tamen bona fit piis,quia per eā tranſeūt a miſeria ad fœlicitatem in Chriſto Ieſu. Ideo Paulus ait *Philipp*. 1. Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto. *Mors gehennæ* cui factus fuit obnoxius Adam, nec erat extinctio corporis, nec extinctio animæ, nec ſeparatio animæ a corpore, ſed ſeparatio hominis ab æterno Deo, hoc eſt,ab æterna vita & beatitudine,& adiudicatio,ad æternam ignominiam & cruciatus.Huic opponitur reſurrectio ſecunda, *Apocalyp*.20.Sunt & huius mortis participes natura omnes, qui iuxta communem noſcendi legem ab Adam propagati ſunt *Rom*.5.Hinc promptum eſt colligere, quātam ruinam lapſus primorum parentum ſecum attraxerat.Porro cum in hanc triplicem mortem incidiſſet Adam, & in eandem attraxiſſet totam ſuam poſteritatem , Deus etſi peccatū vere odit & iuſte in æternum damnare Adamum , cum tota ſua poſteritate potuiſſet:tamē miſertus eſt ſuæ creaturæ,& promiſit ſemen,qui factus λύτρον pro peccato mortē aboleret, & hominem Deo reconciliaret *Geneſ*.3. Huic promiſsioni ſeminis credens Adam , liberatus eſt a prima & tertia

morte, non autem a media, quæ est naturæ. Hæc liberatio pertinet ad totam posteritatem Adæ, sed cum conditione Fidei, hoc est, quicũque ex posteris Adæ, promissioni seminis crediderit, vt Adam fecit, liberatur a morte animæ, & a morte gehennæ, vt Abel. At qui non crediderit vt Adam credidit, mortuus est quoad animam & obnoxius est morti gehennæ, quoad personam totam, vt Cain.

Sed cur, inquies, Adam credens promissioni, non etiam liberatus est a morte naturali, quæ inter tria illa mortis genera, in quæ incidit, videtur minima? Respondeo.

Deus noluit statum in Adamo, & ipsius posteris abolere mortem naturæ. *Primum*, quia voluit extare perpetuum in mundo testimonium, lapsus primorũ parentum, & reatus totius posteritatis Adæ. *Deinde* peccatum hærens in natura, non potuit prorsus extirpari, nisi per mortem corporalem. Etsi enim peccatum non imputatur credenti, tamen semper hæret in natura credẽtis, donec in hac vita mãserit. *Tertio* voluit Deus hanc naturalem mortem, ad finem vsque mundi regnare, vt ea tanquam signo incurrente in sensus nostros admoniti, cogitaremus, quantum malum sit mors animę, & mors gehẽnę. *Quarto*, vt hac imagine mortis excitati, confugiamus cum Adã patre nostro, ad promissum olim, hodie exhibitũ semen mulieris, videlicet Dominum nostrum Iesum Christum, qui in extremo die abolebit in omnibus quidem hominibus mortem corporis: In credentibus vero mortem animæ & gehennæ, simul cum morte corporis. Sic enim ipsa veritas ait, Venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, & procedent, qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii.

Sed quid ex hac mortis naturalis certitudine colliget homo?

Primum, cogitans hanc mortis certitudinem, debet retro ad præterita mentem reuocare, & serio causam mortis cogitare, quæ fuit peccatum primorum parentum, cuius peccati, mors corporis, vt pœnæ quædam pars, extat: vt inde ratiocinemur de pœnis æternis, nisi fiat remissio, vt supra dictum est.

Secundo, cogitãs certitudinem mortis debet simul de propagatione mortis cogitare, atque in hunc modũ ratiocinari

apud

apud ſeſe. Propagatur mors quæ eſt pœna peccati, igitur etiam culpa, quæ eſt mortis cauſa, propagatur. Ex quo fit, vt omnes morti obnoxii ſint, vt in *Pſalmo* 89. dicitur: Quis vir viuit & non videbit mortem? Quis vir eruet animam ſuam de manu inferni? Huc querela Dauidis *Pſalmo* 51. pertinet. Ecce in iniquitatibus conceptus ſum,& in peccatis cõcepit me mater mea.In iniquitatibus, inquit,conceptus ſum,id eſt, mox a conceptione communi naturæ vitio pollutus ſum, & in peccatis concepit me mater mea,id eſt,cum adhuc cõciperer a matre mea, fui reus peccati,idque iuſto Dei iudicio, quo poſteritas omnis,propter vnius Adę peccatum,rea eſt,quemadmodum copioſe docet Paulus ad *Roman.*5. Hic cauendum eſt ne cum monachis craſſe impingamus, qui ex verbis Dauidis petunt argumentum, quo ſanctũ coniugiũ deformare conãtur.Nequaquam enim Dauid transfert culpam ſui adulterii in matrem, nec thorum coniugalem ſanctorum pollutum pronuntiat,contra ſpiritum ſanctũ qui dicit *Heb.*13.Honorabile coniugium inter omnes,& thorus immaculatus: Sed conqueritur de contagione & reatu totius naturę humanæ, propagatæ ab vno Adam in omnes:Vnde ſe quoque pollutũ & reum in ipſo conceptu deplorat. Non igitur vel ſtatus coniugalis hic carpitur, vel thorus piorum coniugum taxatur.Eſt ſiquidem ſancta Dei ordinatio,& opus Deo acceptum in timẽtibus Deum. Proinde Dauid nequaquã eſt reus propter peccatũ Iſai patris ſui,nec Iſai propter peccatum Obed patris ſui, nec Obed propter peccatũ Boos patris ſui, ſed Dauid,Iſai,Obed,Boos,atque adeo omnes in vniuerſum propter vnius Adami peccatum,quo tota natura vitiata eſt, rei ſunt facti. Fruſtra ergo quæritur a Sophiſtis, vtrum per concupiſcentiam inordinatam, aut per carnem, aut per animam propagatur peccatum.Sed ad fontem recurrendum eſt,& ex eo de riuulis iudicandum, atque in hunc modum concludendum eſt. Ipſa anima hominis, bona Dei creatura eſt,ſimiliter caro bona Dei creatura eſt, thorus quoque coniugalis ſancta Dei eſt ordinatio. Sed homo conceptus & natus,reus eſt propter aliud, nempe propter peccatum, Adæ,cuius nos naturæ reſpectu membra ſumus, atque ideo in ipſo rei, ſicut homo aliquis, qui enormiter peccat,totus reus peragitur,& ſingula eius membra rea ſunt.

Tertio cogitans certitudinē mortis,ipſius mortis faciem ſibi ob oculos ponat, & inde ratiocinetur,quanta deformitas ſit in peccato, mortis cauſa, & ſimul ſe aliquando moriturum ſtatuat. Quod ſi fecerit,habebit in prõptu efficax aduerſus peccata pharmacū,iuxta illud Syracidę *cap.7.* Memento extremorum tuorum, & in æternum non peccabis.Debet proinde meditatio mortis nobis eſſe, quaſi iugis pœnitētię prędicatio.Cuius nos quoq; admoneat Sõnus, (quanuis & ante peccatū ei ſimpliciter obnoxii fuerimus) iuxta illud Catonis:*Stulte quid eſt ſõnus,gelidæ niſi mortis imago?*

Quarto cogitans certitudinem mortis corporis, ſimul reuocet in memoriā mortē animę,quę multo eſt morte corporis deformior & triſtior. Plerique omnes homines ad cõſpectum cadaueris mortui hominis horreſcunt, quid non facerent, ſi mors animæ in oculos incurreret?

Quinto, cogitans mortis certitudinem reuocet etiam in memoriam victoriā ſuper morte, quæ contingit per Ieſum Chriſtum *Geneſ.*3. Item,*Ioh.16.*Confidite,ego vici mūdum. Item, Ego ſum reſurrectio & vita. Et Paulus ex Propheta, 1. *Corin.* 15. Abſorpta eſt mors in victoria. Vbi eſt,inferne, victoria tua?Vbi eſt,mors,ſtimulus tuus?

Sexto cogitans certitudinem mortis,mentem ſurſum leuet,ad cogitandam vitam beatam, quę excipiet hanc corporalem mortem,in omnibus iis qui crediderint promiſſioni vitæ in Chriſto Ieſu, & in ea fide permanſerint conſtantes vſque ad finem. Verum in iis qui fide carent hæc temporalis mors, æternæ mortis præludium eſt. Sunt & alia multa de quibus certitudo mortis nos merito admonere deberet, quæ breuitatis cauſa omitto. Et omnia in hoc Hieronymi dictum ad Furiam includam. Memento mortis tuæ, & non peccabis: Qui ſe quotidie recordatur eſſe moriturum,contemnit præſentia, & ad futura feſtinat. Hoc vult Paulus cum ait ad *Philip.* 3. Noſtrum πολίτευμα eſt in cœlo.

Cur Deus voluit horam mortis homini eſſe incertam?

Deus voluit nobis incertū eſſe,& genus mortis,& tēpus & locū.Id quod Salomõ *Eccleſiaſtæ cap.* 9. cum experientia teſtatur, cum ait: Neſcit homo finem ſuum: Sed

ſicut piſces capiuntur hamo,& aues laqueo comprehenduntur,ſic capiuntur homines.Hoc autem cũ ita voluerit Deus ſapientiſſimus & optimus,haud dubie in bonum noſtrũ, vt omnia, nos huius rei cauſas, quantum fieri poteſt,colligemus, vt horæ mortis noſtræ incertitudine admoniti, in via Domini cautius ambulare diſcamus.

Prima,Latet,ait Auguſtinus,vltimus dies,vt obſeruentur omnes dies,hoc eſt omnibus incertum moriendi tempus, vt omnes expectent mortem noctesque dieſque parati.Huc Domini dictum pertinet *Matth.* 24.Eſtote parati,quia qua hora non putatis,Dominus veſter venturus eſt.

Secunda. Si hora mortis nobis certa eſſet, caro noſtra & mundus, peſſimi conſiliarij pœnitentiam ſuaderent procraſtinandam eſſe, carniſque voluptatibus, & mundi illecebris indulgendum.Atque ita homo, quæ eſt ipſius ſtulticia, magis magiſque peccata cumularet,in contumeliam Dei,in ſcandala multorum,& in propriam perniciem. Eſto,inquit Bernardus, vt magna ſint atque honeſta, quæ mundus amatoribus ſuis erogare videtur, ſed infida eſſe quis neſciat? Certa nimirum eorum breuitas & ipſius quoque breuitatis finis incertus. Sæpe viuentem deſerunt.Nam morientem nec raro comitantur. Quid vero in rebus humanis certius morte? quid hora mortis incertius inuenitur: Non miſeratur inopiam, non diuitias reueretur, non generi cuiuſlibet, non moribus, non ipſi denique parcit ætati. Niſi quod ſenibus quidem in ianuis, adoleſcentibus vero in inſidiis eſt. Infœlix proinde, qui in huius vitæ tenebris & lubrico fidens,perituram inſumit operam, nec aduertit quoniam vapor eſt ad modicum durans: & vanitas vanitatum.

Tertia. Incertitudo horæ mortis,merito in omnibus hominibus, timorem Dei ſanctum augere deberet,qui timor Dei ſolus (qui & facile omnes timores alios expellit, & omnium virtutum cuſtos eſt fideliſſimus) facit vt parati ſimus ad hinc migrandum quouis momento, ſiquidem, qui timet Deum, & hilaris mortem excipit, vt qui ſe ad illam præparauerit, & quia incertum eſt quo in loco mors illum expectet,illam ipſe quouis in loco expectat, quam ianuam vitæ,victoriam belli,& portum quietis iudicat. Qualitas ſiquidem mortis,vt plurimum ex vitæ ratione dependet.

Quarta, quoniam Deus voluit mortis momentum homini esse incertũ, monetur homo hac incertitudine, vt quamdiu viuat, studeat ne frustra vixisse videatur. Semper igitur det operam, vt aliquid se dignum memoria hominum fecisse inueniatur. Nam, vt Seneca ait: Sicut fabula sic & vita, nõ quamdiu, sed quam bene acta sit, refert.

Quinta, incertitudo temporis vitæ nostræ monebit, ne collocemus fiduciam in hominibus, qui cito mori possint. Sed potius in Deo viuente in æternum. Huc illa Dauidis exhortatio pertinet, *Psalm*.146. Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus, exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam, in illo die peribunt cogitationes eius, sed beatus cuius Deus Iacob adiutor eius, spes eius in Domino Deo ipsius.

Sexta, quoniam Deus voluit horã mortis in sua potestate esse, nemo ægre ferat siue iuuenis siue senex moriatur. Nam si quis in mortem intra primos annos delatus est, non magis queri debet (vt ait Seneca) quam qui cito nauigauit. Et qui diu vixit, gaudeat quod tandem in portum quietum, ex tot huius vitæ tempestatibus venerit, Nam,

Fœlices frustra nobis promittimus annos:
Semper enim curæ tristitiæque premunt.

Septima, quoniam Deus voluit moriendi tempus nobis esse incertum, voluit quoque, vt nos demus operam ne euentus mortis (id est, id quod nobis eueniet post mortem) nobis sit incertus. Euentus autem mortis talis erit morientibus, quales inuenerit morientes, iuxta hæc dicta *Marci*.13. Qui crediderit saluabitur, qui vero nõ crediderit damnabitur. Itẽ *Ioh*.5. Qui credit, trãsiit de morte ad vitam. Itẽ. 1. *Petr*. 1. Finis fidei, salus animarum. Item *Apoc*.14. Beati qui in Domino moriuntur. Item. *Ps*.116. Pretiosa in cõspectu Domini mors sanctorum eius. Pretiosam autem facit mortem bonus exitus, vt in Latrone; magis pretiosam vita bona & exitus bonus, vt in Iohanne Euangelista, pretiosissimam autẽ, vita bona, bonus exitus, & bona causa, vt in Petro. Breuiter, vt rem in compendium contraham. Incertitudo horæ mortis, admoneat nos, vt militemus honestam militiam, retinentes fidem, & bonam conscientiam, quo parati simus quouis momento, id quod nobis donet victor

mortis

mortis & author vitæ æternæ, dominus noster Iesus Christus. Amen.

SECVNDA PARS.

7. *Laboraui in gemitu meo, natare faciam tota nocte lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.*

8. *Caligauit præ ira oculus meus, inueteraui propter omnes inimicos meos.*

HÆc querela maxima est, & quasi paroxismus trepidationis & horroris in animo Dauidis, cuius plures sunt causæ, videlicet, conscientia peccati, sensus iræ Dei, cura pro Ecclesiæ conseruatione, horror mortis, & hostium insultatio. Insultabant enim Dauidi in suis angustiis, & gloriabantur de ipsius aduersis. Ex his causis æstimanda est præsens querela Dauidis. Quoniam autem dolor animi pingi non potest aut produci in conspectum, ex signis tamen quantus sit intelligitur vtcunque. Ponit autem hic Dauid tria signa, quibus suum maximum dolorem ostendit, videlicet, fatigationem ex crebrioribus gemitibus & suspiriis, copiam lacrymarum, & tabefactionem faciei. Gemitus enim & suspiria, lacrymæ: lacrymas copiosas & diuturnas tabefactio faciei excipere solet. Nam in magnis doloribus & consternationibus fiunt humorum in corporibus mutationes, & deprauationes, vnde faciei obscuritas & corrugatio. Quemadmodum enim risus signum latentis in animo alacritatis est, ita etiam dolor in corde delitescens per fletus & lamentationes significatur, ac vulnerum animi tanquam sanguis lacrymæ sunt. Et Salomon ait *Prou.* 17. Cordis lætantis vultus floret, animi vero tristitia affecti, vultus mœstus & dimissus est.

Laboraui, inquit, *in gemitu meo*, id est, defatigatus sum suspiriis creberrimis. *natare facio lectum meum*, Hyperbole est, quia significatur copiosum sudorem emanasse de toto corpore, ex metu iudicii diuini, & abiectionis. *Lacrymis meis stratum meum rigabo*, id est, non est modus neque finis lacrymarum, tantus animi mei dolor est. *Caligauit præ ira oculus meus*, id est, præ summa indignatione, qua indignor hostes meos & Ecclesiæ, lætari ob aduersa, quę ego & Ecclesia pati-

mur, *Facies mea deformata est*, tanquam pannus a tineis corrosus. Hæc enim vis est Hebraici sermonis. *Inueteraui propter omnes inimicos meos*, eandem sententiam repetit, id est, facies mea plane obscurata est, propter inimicos meos, insultantes mihi & Ecclesiæ, quasi actum nobiscum esset. Sperant enim se me extincto, facile doctrinam Ecclesiæ abolituros. Non dubium est Dauidem hic simul futuram dissipationem Ecclesiæ, & doctrinæ deprauationem in extremis diebus oculo prophetico præuidisse.

Habemus qualisnam fuerit prima pars pœnitentiæ in Dauide, quæ vsitate contritio vocatur, quæ in aliis maior, in aliis minor, in nullis sufficiens est: Sed illa demum vera est, etsi nunquam perfecta, cum homo serio agnoscit peccati sui turpitudinem & magnitudinem, agnoscit iustam iram Dei, & pœnam ob peccatum, dolet serio quod Deum offenderit, fugit & abominatur peccatum tanquam lethale venenum corporis & animi. Huiusmodi contritio iusta est animi afflictio, pœna & non culpa necessaria quidem omni homini qui saluabitur: idque non vt meritum, quemadmodum Monachi fingunt, sed vt remotio obstaculi & parasceue ad gratiã. Sine enim contritione quę ex sensu peccati oritur, nemo gratię capax efficitur, nemini gratia dulcis redditur. Quare nec credere poterit. Vt enim, vbi fames nõ est, cibus affert nauseam, ita vbi dolor ob peccatũ nullus, ibi insipida est gratia, & contemnitur. Sit exemplum Acolastus. *Luc.* 15. Porro hæc contritio fidem necessario præcedens, græce μεταμέλεια, *Matth.* 21. vocatur. Vos, ait Dominus videntes, οὐ μετεμελήθητε postea, vt crederetis ei. *Mat.* 21. Vetus interpres vertit, non pœnitentiam habuistis, id est, non contriti estis, non compuncti, non doluistis, vt crederetis. Præcedit ergo contritio fidem seu conuersionem necessario. Vtitur autem vetus interpres vocabulo pœnitentiæ, & pro μεταμελείᾳ quæ proprie est cõtritio ex prædicatione legis orta, & pro μετανοίᾳ quæ in Euangelicis scriptis est conuersio hominis ad Deum, quæ fit per fidem in Iesum Christum. Hæc fides a qua incipit, & per quam fit conuersio, cũ sit ex prædicatione Euãgelii, recte Euangeliũ definitur, prædicatio pœnitentiæ (græce μετανοίας) & remissionis peccatorum in nomine Christi: *Luc.* 24. Quid est quæso manifestius verbis Christi? Hic dicit *Mat.* 28. Ite prædicate

dicate Euangelium omni creaturæ: hoc quid sit, explicat cũ ait *Lucæ* 24. Oportet prædicari μετανοίαν & remissionem peccatorum, omnibus gentibus in nomine meo. *Petrus acto.* 2. arguit Iudæos, & deducit eos in cognitionem peccatorum suorum, & iudicii diuini, prædicatione legis, adeo, vt desperantes propter pœnas sibi diuinitus imminentes, & compuncti dixerint, Quid faciemus viri fratres? Hos cum videret Petrus, idoneos esse, quibus monstraretur remedium ex Euangelio, ait: μετανοήσατε, hoc est, vt vetus interpres reddidit, pœnitentiã agite & baptizetur vnusquisque vestrum. Hic cõiungitur vtrunque, videlicet prædicatio Euangelii, μετανοήσατε & externũ signũ, quo cõfirmatur prędicatio, nẽpe Baptismus Hoc proinde discrimen inter pœnitentiã, quatenus pro contritione ponitur, & pœnitentiam, Græce μετανοίαν diligẽter teneatur. Quidam mediatores putãt se concinne conciliare posse eos, qui aiunt Euangeliũ non esse prædicationẽ pœnitentiæ, sed legẽ tantũ: & eos qui docent Euangeliũ esse prædicationẽ pœnitẽtiæ tantum, & nõ legẽ: Si dixerint vtrunq; recte dici posse, videlicet, & legẽ esse prædicationẽ pœnitentiæ, & Euangeliũ esse prædicationem pœnitentiæ. Sed isti vtrosque damnant, & se non mediatores faciunt, sed correctores. Nam exclusiuam particulam *tantum*, expungunt vtrobique. Deinde non animaduertunt Homonimia (qua nomine vno res diuersæ vocantur) se decipi, hoc est, non discernũt inter pœnitentiam legalem, quæ nunc doloris, nũc contritionis, nunc compunctionis, græce μεταμελείας vocabulo significatur, & pœnitentiam quam prædicat Euangelium quæ μετάνοια dicitur, definitúrque conuersio peccatoris ad Deum, per fidem in Iesum Christum.

Sciendum est ergo quod quando pœnitentia alia dicitur legalis, alia Euangelica, non sit specierum eiusdem generis assignatio, sed enumeratio rerum diuersarum, quæ genere non conueniunt, sed nomine tantum. Proinde nequaquam recte dicitur. Lex est prædicatio pœnitentiæ, & Euangelium est prædicatio pœnitentiæ, manente vtrobique eodem vocabuli pœnitentiæ significato.

Quod autem dicuntur tres partes pœnitentiæ, id est μετανοίας videlicet, dolor seu cõtritio, fides per quã fit conuersio, & noua obedientia: hoc dicitur συνεκδοχικῶς, videlicet respectu finis, qui est seruire Deo in iusticia, ad *Roman.* 6. Nam

hæ partes ad istum finum ordine certo requiruntur. Contritio enim præcedit conuersionem. Conuersio fit per fidem, & noua obedientia conuersionis fructus sequitur. Sic enim has partes Scriptura clarissimis verbis & distinguit & ordinat. Paulus cum dicit 2. *Cor.* 7. dolor secundum Deum, operatur μετάνοιαν, id est, pœnitentiam seu conuersionem ad salutem. An non clare distinguit inter dolorem seu contritioné, & pœnitentiam seu conuersionem, cum aliud alterius occasionem statuat? Baptista cum dicit, Facite fructus μετανοίας, id est pœnitentia dignos, nonne aperte inter arborem & fructum, inter causam & effectum, hoc est, inter conuersionem & nouam obedientiam discernit? Cum igitur dolor sit occasio, & quædam impulsiua causa conuersionis, & conuersio ipsa a dolore distincta, causa sit nouæ obedientiæ: sicuti a scripturis allatis manifestum est. Nonne aperte non solum distinguuntur partes pœnitentiæ, verum etiam salutaris pœnitentia, de qua nobis est sermo, medium locum inter partes occupat? Ex quo manifeste concluditur prædicationem pœnitentiæ, id est, conuersionis, ita propriam Euangelii esse, vt nihil sit magis proprium, hoc est, vt loquuntur, quarto modo. Quare magnam vim veritati faciunt, qui prædicationem salutaris pœnitentiæ, ad legis officium referunt: cum lex peccatorem non ad pœnitentiam salutarem, sed ad pœnam iustam vocat, iuxta illud: Maledictus omnis, qui non fecerit omnia quæ scripta sunt in libro legis *Deut.* 27. Sed hic forte obiiciet aliquis in hunc modum:

> *Quando pœnitentia in istum modum* συνεκδοχικῶς *accipitur, vt ais, vt tres illas partes quas recensuisti complectatur, dicine tū recte potest legem esse prædicationem pœnitentiæ? Cum, vel te teste, lex prædicat contritionem, qua primam pœnitentiæ partem facis?*

Respondeo.

Etsi verum est, legem esse prædicationem contritionis, quæ est antecedens pars pœnitentiæ, tamen propterea lex nequaquam dici potest prædicatio pœnitentiæ. Nam si lex huius pœnitentiæ prædicatio esset, esset etiam fidei prædicatio, per quam fit conuersio, quod manifeste falsum est. Deinde appellatio rei cuiusque non sumitur a partibus vilioribus, aut accidentibus rei, sed a forma, a qua res, vt habet quod sit, ita & nomen obtinet. Cum igitur pars formalis pœnitentiæ, sit con-

sit conuersio peccatoris per fidem, dico recte, vere & proprie Euangelium definiri prædicationem pœnitentiæ. Siquidem, vt homo ratiocinalis dicitur, non a facultatibus inferioribus aut accidentibus, sed a forma, videlicet a facultate ratiocinante: Et vt domus dicitur, non a pariete qui tamē eius pars est, sed a forma: Ita pœnitentia salutaris non a contritione eius parte minima, sed ab ipsa forma, quæ est conuersio hominis ad Deum per fidem in Iesum Christum, quā Euangelistæ μετάνοιαν, Vetus interpres, quem est secutus Philippus pœnitentiam vocat.

Vsitate obiicitur demonstratæ a nobis veritati hoc argumentum.

Lex accusat peccatum : Ergo
Lex prædicat pœnitentiam.

Nego consequentiam. Nam accusare peccatum, & prædicare pœnitentiam, sunt diuersæ actiones quæ habent diuersas, imo contrarias & causas & fines. Lex accusat peccatum iuxta regulam iustitiæ diuinæ. Maledictus omnis qui non fecerit quæ scripta sunt in lege. Euangelium prædicat pœnitentiam, iuxta regulam misericordiæ diuinæ, iuxta illud ; Pœnitentiam agite, appropinquat enim regnum cœlorum. Lex accusat peccatum, vt relinquat hominem sub iure peccati, id est, sub morte & damnatione: Euangelium autem prædicat pœnitentiam, vt liberet hominem a iure peccati, id est, a morte & damnatione.

Si quis mouetur Etymologia vocabuli pœnitentiæ, is sciat non tam Etymologiam vocabulorum, quam vsum spectandum esse in Scripturis.

Sed quid tibi videtur de eorum sententia, qui dicunt totam pœnitentiam ex fide nasci & eam constare duabus partibus, videlicet, mortificatione & viuificatione?

Qui sic loquuntur, non agunt de pœnitentia initiali, qua fit peccatoris conuersio ad Deum: Sed loquuntur de perpetua pœnitentia iustificatorū retinentium fidem & bonam conscientiam. Hæc vt vere oritur a fide iustificationis, ita constat mortificatione carnis, & viuificatione spiritus, hoc est, sanctificatione, quam recte subieceris tertiæ parti pœnitentiæ, videlicet nouæ obedientiæ: *Rom. 6.*

De miseria humana.

Cæterum quoniam hoc loco Dauid de sua miseria cōque

ritur, operæpretium iudicaui generalem doctrinã huc adiicere de miseria humana. Idq; in hunc finem, vt ex eius cogitatione intelligamus, quam horrendũ malum sit peccatũ, quod fuit & est miseriæ humanæ causa: quam magna sit ira Dei aduersus peccata: quam immensa rursus sit eiusdem misericordia & φιλανθρωπία, & quantum beneficium sit mediatoris nostri Iesu Christi.

Humana ratio admiratur, qui fiat, quod homo nobilissima creaturarum sit omnium creaturarum miserrimus. Nõ enim nouit fontem miseriæ humanæ, & causam peccatum esse. Sed sola Ecclesia Dei, edocta verbo Dei, initium omnis miseriæ humanæ, ad Diabolum, ad peccatum primorum parentum, & ad eiusdem peccati, in omnem posteritatem propagationem refert: Sic enim Moses a spiritu Dei instructus docet *Genes*. 3. Historiam omitto, vt omnibus notam. De propagatione Paulus clarissime scribit ad *Romanos* 5. vbi per vnum hominem, peccatum in mundum introiisse, & in totam posteritatem Adæ, vna cum pœna propagatum esse dicit. Homo antequam loqui potest, cum primum in lucem editur, vaticinatur de sua miseria: Nam cum ploratu ingreditur in hunc mundum: plorat enim miserias sibi impendentes. Esaias quoque ad originem miseriæ humanæ respiciens ait, Cecidimus quasi folium vniuersi, & iniquitates nostræ, quasi ventus abstulerunt nos *c*. 64. Etsi autem miseriæ humanæ magnitudo condemnationis & mortis vocabulis significatur: Neque enim aliquid atrocius dici potest, quam mors & condemnatio, tamen vtile est gradus miseriæ humanæ distinctius cogitare, vt magis exhorrescamus peccati turpitudinem, excitemur ad amplectendum remedium diuinitus monstratum, aduersus miseriam humanam, & eius causas. *Iob* dicit *cap*. 14. Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miseriis, qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, nunquam in eodem statu permanet. Non est enim simplex miseria humana, siquidem nullum malum solum est, sed habet adiuncta plura mala. Sunt autem miseriæ humanę, quę est peccati pœna, gradus pręcipui septem, iique tristissimi, quos ordine recitabimus. Satis autem explicare nullius est hominis.

Primus gradus miseriæ humanæ est, deploranda separatio hominis

hominis a Deo, qui summum bonum est hominis. Homo conditus erat ad imaginem Dei, vt Deum quasi viua quadam imagine repræsentaret, ac ei perfecto amore iunctus, frueretur ipsius consortio. Sed quid fit? peccat homo, separatur a Deo, excluditur a fonte omnis boni. Sic enim Esaias conqueritur dicens, *cap.* 59 Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos, & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius a vobis. Quæ lingua poterit satis hanc miseriam deplorare? Quid tristius quæso esse poterit, quam a tanto fœlicitatis fastigio, in tantam miseriam lapsum esse, vt qui antea summo amore Deo iunctus erat, iam sit ab eodem separatus, exclususque ab omni benedictione & salute?

Secundus gradus miseriæ humanæ est tristissima hominis coniunctio cum Diabolo mendaci & homicida, & subiici ipsius legibus, quæ sunt mortis & damnationis, & imaginem Diaboli, in contumeliam Dei gestare. Ex quo fit quod donec in hoc mundo simus (extra familiam Christi) in medio laqueorum Diaboli versemur. Sed quis satis hanc miseriam deplorauerit?

Tertius gradus miseriæ humanæ est, quod homo qui antea fuit templum Dei, in quo habitabat Deus & colebatur, nunc sit factus templum Diaboli, in quo Diabolus habitat & colitur. Vt enim Deus colebatur in suo templo, veritate & sanctitate: ita Diabolus in suo templo propriis operibus, hoc est, mendacio & homicidio colitur, ex quibus maxima scelerum caterua prorumpit, quemadmodum hic dies satis testatur.

Quartus gradus miseriæ humanæ est moles calamitatum spiritualium & corporalium, qua premitur genus humanum. Huius generis sunt tentationes multiplices, morbi varij, quibus quotidie noui accedunt, & multi Tragici casus, quibus obnoxium est genus humanum. Nulla enim calamitas tanta fuit, aut esse poterit, in quam homo quilibet non possit incidere, iuxta Prouerbium, Nescis quid serus vespervehat. Et, vt Ambrosius dicitur dixisse. Aut sumus, aut fuimus aut possumus esse quod hic est. Huc facit querela *Ieremiæ cap.* 20. Quare de vtero matris egressus sum, vt viderem laborem & dolorem, & consumerentur in confusione dies mei. Seneca proinde recte monet, cum ait: Nemo confidat nimium secundis,

Sed homines (proh dolor) dum fruuntur fœlici & prospero rerum successu, cæcutiunt: & non cogitant vicissitudinem rerum humanarum. Id quod sapiens poeta conqueritur, cum ait:

Nescia mens hominum fati sortisque futuræ
Et seruare modum rebus sublata secundis.

Quintus gradus miseriæ humanæ est, conscientia sceleris, quæ multos cogit vt sibi ipsis violenta manu mortem consciscant. Nullus maior est dolor (ait Ambrosius) quam is qui peccati mucrone vulnerat conscientiam, neque vllum grauius est onus, quam peccatorum sarcina, & pondus flagitiorum. Hæc conscientia vere iudicium Dei est, hominũ mentibus impressum, & de bene factis, & de male factis, vt sint inexcusabiles, ad *Rom.2.* Seneca ait: Nihil prodest inclusam habere conscientiam, patemus Deo, nullus mendacio, nullus dissimulationi locus est. Quanta autem vis sit conscientiæ, Bernardus ostendit, cum ait: Mala conscientia, delictorum nostrorum ipsa testis est, ipsa iudex, ipsa tortor, ipsa carcer, ipsa accusat, ipsa iudicat, ipsa punit, ipsa dãnat.

Sextus gradus miseriæ humanæ est mors ipsa cum desperatione coniuncta, in omnibus iis qui ante mortem non cõuertuntur. Siquidem desperatio est vltimum malorum huius vitæ, cui nullum superest remedium. Vnde quidam ait: Desperatio est animæ euersio, & ad mortem æternam sine remedio deductio. Et alius: Perpetrare flagitium, mors est animæ, sed desperare est in infernum descendere. Porro, vt apparitores seu præcursores desperationis in hac vita sunt: Securitas carnis, Negligentia, ἀναλγησία, reproba mens vniuersalis Iniustitia, & profundus conscientiæ Somnus: Ita in morte consiliarij eiusdem sunt, Conscientia scelerum, Obliuio misericordiæ Dei, Metus iudicij diuini, deseri a Deo, & tradi Satanæ. Porro qui desperat, in diuinam maiestatem horrende peccat, vt qui neget Dei misericordiã, potentiam, sapientiam, & iustitiam, quæ sunt in Deo infinitæ. Deinde peccat in hoc grauissime cum Caino, putans suum peccatũ superare gratiam, contra Paulum, qui ait: Gratia superat peccatum.

Septimus gradus miseriæ humanæ & postremus in quo sistitur, est status damnatorum. Hic status nulli vicissitudini aut permutationi est obnoxius. Nam post mortem & post

iudicium extremum, ſuccedit miſeriæ huius vitæ, triſtiſſima καταςροφη, videlicet ſempiternum opprobrium, perpetuus cruciatus in anima, in corpore, in conſcientia: ſocietas cum immundis ſpiritibus in obſcuris flammis, & tenebris exterioribus, extra omnem lucem Dei. De opprobrio loquitur Daniel cum ait *c.12.* Alij, ſcilicet, impij, id eſt, non ad Deum conuerſi per fidem in Ieſum Chriſtum, euigilabunt ad opprobrium & abominationem ſempiternam. De cruciatu perpetuo & ſocietate cum impuris ſpiritibus, loquitur Dominus, *Matth.25.* proponens ſententiam iudiciariam extremi iudicij: Diſcedite, inquit, a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & angelis eius. De cruciatu conſcientiæ intelligo Eſaiam cum ait: Vermis eorum non morietur. *c.66.*

Neque eſt quod puluis & cinis hic obganniat & dicat iniuſtum eſſe, vt æternis pœnis puniantur, quorum peccata tempore finiuntur. Reſpondeo. Quanto maior fuerit is qui offenditur, tanto culpa maior erit. Iam autem cum Deus qui offenditur ſit infinitus, iuſtum eſt, vt qui offendit, aut in finitis pœnis puniatur, aut infiniti prætij fiat compenſatio.

Etſi autem in hanc tantam miſeriam totum humanum genus coniectum eſt propter peccatum, tamen Eccleſia Dei ſola ex his miſeriis eluctatur. Nam vt peccatum ipſius, quod cauſa eſt harũ miſeriarum, expiatum eſt morte Chriſti: Ita ſpiritus ſanctus conſolator, in cruce adeſt, & mors corporis fit domeſticis fidei aditus ad æternam fœlicitatem, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Hęc volebam hoc loco adiicere, de miſeria humana, vt inde æſtimemus, quam horrendum malum ſit peccatum coram Deo: quam magna ſit ira Dei in peccatores, & rurſus quam immenſa ſit miſericordia Dei, quantumque ſit beneficium mediatoris, cuius merito ab omni miſeria liberabimur, modo viua fiducia in illum recubuerimus.

TERTIA PARS.

8. *Recedite a me omnes qui operamini iniquitatem. Quoniam audiuit Iehouah vocem fletus mei.*

HActenus Dauid quaſi fulmine quodã iuſtæ iræ Dei proſtratus iacuit, iam impetrata peccatorum venia reuiuiſcit. Vt ergo ſuperior pars Pſalmi,

9. *Audiuit Iehouah deprecationem meam, Iehouah orationem meam suscepit.*

mortificationem Dauidis continet ita hęc posterior viuificationem, quibus partibus salutaris pœnitentia sanctorum absoluitur. Quarum prior Contritionis nomine exprimi solet, posterior fidei lętitia est & consolatio, cui necessario cohęret, noua obedientia.

Recedite, inquit, *omnes a me qui operamini iniquitatem*. Apostrophe est ad hostes Dauidis, qui mussitabant Dauidem abiectum esse a Deo propter sua scelera, quemadmodum Saul abiectus fuit. Contra hos suos hostes gloriatur Dauid significans se a Deo non reiectum esse, sed suas preces esse exauditas a Domino. Ratio gloriationis Dauidis a fauore Dei se exaudientis & in gratiam recipientis sumpta, ter ponitur. Vnde colligere licet quantũ consolationis perceperit Dauid inter precãdum. Nos suo facto docens, quod vere exaudiatur quisquis ex fide Dominum inuocauerit. Porro cum Dauid hic dicit, *Recedite a me omnes qui operamini iniquitatem*, duo docet: Primum quod quicunque vere resipiscit & Deum timet, seiungit se a cœtu malignantium, non colludat cum impiis, nec quicquam in eorum gratiam faciat. Deinde quod sit discrimen inter Ecclesiam Hypocritarum, & vere piorum: Illi quidem vafre & subdole omnia agunt, vt qui sunt iniquitatis operarii. Hi vero agnoscunt sua errata, confugiunt ad misericordiam, precãtur veniam, ac omnem iniquitatem oderunt.

QVARTA PARS.

10. *Erubescant & conturbentur valde omnes inimici mei: conuertantur & erubescant valde velociter.*

GRatulatio triũphantis Dauidis est de suis hostibus, & insultatio hostium, qui sua spe frustrati, vident exultantem, quem oppressum & perditum optabant. Sic impii sua spe sæpe frustrantur, & pii qui videbantur oppresſi & perditi, eriguntur & animum recipiunt. Hos Deo ex misericordia liberante, illos iusto suo iudicio confundente. Simus ergo patientes sub cruce, & expectemus in timore Dei, liberationem,

nem, ab eo qui fallere nequit. Porro ambiguum est, an hęc Dauidis oratio *Erubescant & conturbentur &c.* sit imprecantis, an intercedentis. Si imprecantis; sciuit Dauid per spiritum sanctum hostes suos esse insanabiles. Si intercedentis: orat pro inimicis suis, vt pudore suffusi, resipiscant & sanentur: Nos erudiens suo facto, vt similiter faciamus. Vide quæ supra notauimus in versum antepenultimum quinti Psalmi.

Vsus Psalmi sexti.

Vsus huius Psalmi est, vt in omni angustia nostra, animi & corporis, & externa, siue sit a nostris, siue ab alienis, ad solum Deum confugiamus in vera pœnitentia, & cum proposito emendationis: Et non desinamus ex fide clamare, donec responsum per Spiritum sanctum, in cordibus nostris acceperimus.

PSALMVS SEPTIMVS.

Summa Psalmi Septimi.

T*itulus huius Psalmi, videlicet, Ignorantia Dauidis, quam cantauerit Domino propter verba Chus filii Iemini, argumentum & summam Psalmi indicat. Ignorantia, id est, apologia, per Metalepsin. Transsumitur enim vocabulum hoc modo seu his gradibus. Ignorans factum, non est author facti: qui non est author facti, innocens est: qui est innocens, iure a se culpam remouet seque defēdit. Ignorātia ergo hoc loco, pro remotione culpæ & defensione suæ innocentiæ, quæ ἀπολογία Græcè dicta est, per Metalepsin ponitur. Verecunde autem & significanter Ignorantiæ vocabulo vtitur, quasi dicat, non agnosco crimina mihi*

a calumniatoribus obiecta. Sed non est prætereundum, quod nonnulli præsertim Rabbini, aliter primam vocem, huius tituli, videlicet Siggaion interpretentur: putant enim Siggaion melodiæ speciem esse, & hic poni pro Psalmo, vt septuaginta interpretes vertũt. Alij Siggaiõ instrumentũ Musicũ esse volunt: Alij initium odæ, ad cuius melodiam hic Psalmus sit decantatus. Sed istis vt incertis & inutilibus omissis, retineamus propriam significationem quam posuimus, quam & ipse Hieronymus retinet, vertit enim Siggaion Dauid pro ignoratione Dauid.

Per filium Iemini, alij intelligunt Saulem, cuius tritauus fuit Iemini Beniaminita, quem Chus, id est, Æthiopem vocat, per ἀντονομασίαν, eo quod atris fuerit moribus, quos non magis mutaret, quam cutem Æthiops. Alij per Chus filium Iemini intelligunt Semei, qui (vt est 2. Samuelis 16.) cum Dauid iam sexagenarius fugeret Absolonem filium, egreßus maledicebat Dauidi, & coniecit lapides in ipsum, vsus hoc Sarcasmo acerbißimo. Egredere, egredere vir sanguinum, & vir Belial, reddidit tibi Dominus vniuersum sanguinem domus Saulis, quoniam inuasisti regnum eius: Et dedit Dominus regnum in manus Absolonis filij tui, & ecce nunc hæres in calamitate tua, quia vir sanguinum es. Quoniam autem cum his Semei verbis congruunt verba huius Psalmi, sequor eorum sententiam, qui per Chus filium Iemini intelligunt Semei, qui de familia Saulis fuisse scribitur. Etsi parum refert siue de Saule, & eius aulicis, siue de Semei & Absolo-

ne

ne hunc Psalmum intelligamus: Satis est enim genus tenere, videlicet, quod Dauid in exilio constitutus, iuxta sensum huius Psalmi precatus sit, & se purgauerit de obiectis calumniis eorum, qui ipsum affectasse regnum per Tyrannidem mentiebantur. Summa proinde Psalmi est precatio, qua Dauid petit se a Deo defendi aduersus calumniatores & Tyrannos, qui se iniuste persequebantur. Et quoniam Dauid fuit typus Christi & Ecclesiæ: Ecclesia hunc Psalmum canere debet, contra calumnias & tyrannidem hostium suorum.

Ordo & dispositio Psalmi septimi.

Etsi hic Psalmus vnum scopum habet, videlicet petitionem liberationis ab hostibus, tamen commode possumus eum, vt ipsius vsus magis conspiciantur, in quinque partes distribuere, quæ sunt.

Prima est summa totius Psalmi, videlicet petitio liberationis ab hostibus suis, & continetur primo & secundo versu.

Secunda quæ absoluitur tertio, quarto & quinto versu, apologia est, qua remouet a se obiecta crimina.

Tertia quæ comprehenditur sexto, septimo, octauo & nono versu, oratio est, qua petit oppressionem hostium suorum, vt oppressis hostibus tranquillior sit Ecclesiæ status.

Quarta consolatio est inter orandum concepta de auxilio aduersus hostes suos, quos oppressum iri, spiritu prophetico præuidit, & hæc pars absol-

nitur 10.11.12.13,14.15.*&* 16.*versibus.*

Quinta & postrema pars, videlicet gratiarum actio, postremo versu continetur.

Hinc patet quod hic Psalmus, partim sit petitorius, partim Apologeticus, partim imprecatorius, partim consolatorius, partim eucharisticus. Verum si scopum spectes εὐκτικός est.

EXEGESIS PSALMI SEPTIMI CVM INDICATIONE doctrinarum.

PRIMA PARS.

IEhouah Deus meus in te speraui, serua me ab omnibus persequẽtibus me, & eripe me.

2. *Ne forte rapiat vt Leo animam meam, laceret, & non sit qui eruat.*

HOc Psalmi exordium, eius sũmã continet, quę est oratio generalis, qua Dauid petit se defendi a Deo, aduersus hostes suos, ne ab illis opprimatur.

Compellatio & professio fidei, *Iehouah Deus meus in te speraui* (præteritũ pro pręsenti posuit) efficacissimũ argumẽtũ cõtinet, quod ex hoc fundamẽto fluit, Deus & vult & potest, & solet in se sperãtes & se inuocantes iuuare, iuxta suas promissiones. Hoc fundamentum cum sit immotum & constans, Dauid super eo exauditionis fiduciam extruit.

Eodẽ modo Ecclesia, & quilibet in Ecclesia intuens rabiẽ hostiũ suorũ, nitatur hoc solido fundamẽto, & dicat ex fide. *Iehouah Deus meus in te spero, serua me obsecro ab hostibus meis.* Tutissima proinde ac vnica anchora salutis est, firma fiducia promissionum diuinarum, ex qua manat vera & seria inuocatio Dei. Quam autem variis modis Deus soleat exaudire inuocantes aliquoties supra dictum est. Porro

hostium suorum immanitatem Dauid similitudine exprimit cum ait. *Ne forte rapiat, vt leo &c.* Vt enim leo, animalium ferocissimus, oculis & rugitu terrens, reliqua animantia famelicus persequitur, rapit, lacerat, ac deuorat ea, Sic Absolon filius meus cum suis confœderatis, me persequitur, vt rapiat, laceret, & me penitus perdat. An non hodie sunt tales Ecclesiæ hostes, late per orbem grassantes?

SECVNDA PARS.

3. *Iehouah Deus meus si feci istud, Si est iniquitas in manibus meis.*

4. *Si reddidi pacifico meo malum, & spoliaui aduersarium meum sine causa.*

5. *Persequatur inimicus animam meam, & apprehendat & conculcet in terram vitam meã, & gloriam meam in puluere habitare faciat. Sela*

APologia est, qua se purgat Dauid aduersus calumnias Semei, qui Dauidem accusabat, affectati regni, violati fœderis, & oppressionis innocentum. Hæc enim tria crimina obiecit Dauidi calumniator Semei, quæ ordine a se remouet Dauid. De primo dicit, *Si feci istud.* si est iniquitas in manibus meis, hoc est, si affectaui regnum Saulis, aut vllo facto inique aduersus illum egi. Loquitur autem Dauid non de toto genere, sed de certa specie iniquitatis, videlicet quod dicebatur inique egisse aduersus Saulem.

De Secundo ait: *Si reddidi pacifico meo malum,* id est, Si violaui fœdus cum Saule rege & socero meo initum. Dauid enim seruantissimus fœderis initi cum Saule fuit, quia timebat Deum. Saul vero perfidissime sæpe rupit fœdus, abiecerat enim timorem Dei. De tertio.

Si spoliaui aduersarium meum sine causa, id est, si quem oppressi innoxium. Si (inquam) horum criminum reus sum, quemadmodum mihi Semei obiicit, o tu Iehouah mi Deus, siue vt inimicus meus Absolon me prorsus perdat, & gloriam meam perpetua obliuione obruat. Atque ita Dauid imprecatur sibi extrema, si obiectorum criminum reus sit. Porro Dauidis gloria duplex erat. *Vna* quæ

illi communis erat cum tota Ecclesia, quæ adoptionis nomine in scripturis significatur. *Altera* ex prærogatiua vocationis, & peculiarium donorum Dei erat, videlicet, quod fuerit rex a Deo constitutus, quod multa præclare gesserat, quod habuerat promissionem de suo semine nasciturum Messiam.

De Calumnia.

Porro hic locus postulat, vt aliquid de calũnia dicamus, vt admoniti caueamus a calumniandi studio, & amemus veritatem & cãdorem, quemadmodũ eos decet, qui Christo omnis calumniæ hosti nomina dederunt. Dicamus ergo: *Primum* quid sit calumnia, & quotuplex. Deinde quantum malũ sit, quæque sit eius iustissima pœna. Tum quid faciendum piis, qui calumniis grauantur.

Calumnia in genere est quodlibet dictum aut factum iniustum, quo aliquis læditur, & nomen eius iniuste deformatur apud homines, siue in iudicio hoc fiat, siue extra iudicium. Vt autem Calumnia ex superbia & inuidia nascitur, ita scopum habet, vt is qui patitur calumniam opprimatur: Et calumniator ipse crescat, & in honore habeatur. Hæc Calumnia eo grauior est, quod non solum falsa componit, verum etiam quæ bene facta sunt & dicta peruertit & deformat, plane diabolico more.

Est autem duplex Calumnia, aperta vna, altera occulta.

Apertam voco quæ fit præsente & audiente ipso cui calumnia struitur. Hæc ideo minus periculosa est, quia respondere potest, & se defendere, qui calumniis petitur. Hoc Calumniæ genus, etsi in tota vita, vt fera bestia grassatur, tamẽ in foro vsitatius est. Nam & a Reo, & ab Actore, & a Iudice sæpissime committitur. A Reo, quando obiectam culpã, qua tenetur reus, subdole, vel innocentiæ larua tegit, vel aliqua techna eludit. Ab Actore tripliciter, videlicet cũ Actor, vel ficte accusat, vel proditor suæ causæ fit, & vera crimina cœlat, vel tergiuersatur & detrectat accusationem. A Iudice, quando vel minus callida & malitiosa iuris interpretatione causam peruertit, vel differt sententiam in fraudem rei, vel legum diuersitate ludit. Sed quid dico? Calumnia vias ad fraudem infinitas quærit. Etsi autem hi

hi omnes, hoc est, Reus, Actor, & Iudex, grauissime peccant, & coram tribunali Dei Homicidii crimine tenentur, vt taceam æternas pœnas: tamen omnium maxime peccat Iudex, qui cum in loco Dei sedeat, vt sententiam dicat Dei nomine, Deum, quantum in se est, iniustum iudicem facit. Quod profecto impune se facturum, non est quod sibi persuadeat, etiamsi ad tempus apud se rideat calumnia oppressum, & sibi blandiatur tanquam re bene gesta, cum tamen in grauissimum Dei iudicium incurrit. Ita enim scriptum est, qui iustificat impium & condemnat iustum, vterque est abominatio coram Domino. Nos igitur qui Christiani esse & audire volumus, audiamus Magistrum nostrum Christum dicentem *Iohan.* 7. Nolite iudicare secundum speciem, sed iustum iudicium iudicate, id est, non tantum externam operis speciem spectate, sed veras causas considerate, & iuste ponderate. Nolite bonum factum malum dicere. Nolite factum ambiguum, in partem deteriorē interpretari. Nolite leue erratum maleuolentia exaggerare. Denique nolite vllo modo iudiciū Dei peruertere. Cū his nō pugnat moderata vituperatio, quæ fit sanādi causa, aut aliorū admonendorū gratia. Nā hæc vt a bona causa proficiscitur, ita tendit in bonū finē, id est, in salutem eius qui arguitur, & vt alii cautiores fiant. Nā vt Augustinus ait: Non omnis qui parcit amicus est. Non omnis qui verberat inimicus. Quia qui Phreneticū ligat, & lethargicū excitat, ambobus molestus est, ambos tamen sanat. Quamdiu ægri sunt, indignātur, sed ambo sanati gratulantur: Et Solomon ait, Melior est manifesta increpatio, quam amor abscōditus, *Prou.* 17. Item. Fidelia sunt vulnera diligentis *ibid.*

Occulta calumnia est, quam Lucianus in hunc modum definit. διαβολή ἐςι κατηγορία τὶς ἐξ ἐρημίας γιγνομένη, τὸν κατηγορούμενον λεληθυῖα ἐκ τοῦ μονομεροῦς πεπιςευμένη. hoc est, Calumnia est accusatio quædam, secreto facta, latens accusatum, & contradicente (altera non comparente) nemine, propter vnius partis affirmationem credita. Hæc definitio, vt a Luciano declaratur, repræhendi non potest. Verum quia sæpe fit, vt absens aliquis accusetur bono animo, vt periculum certum caueatur, vt si accusem aliquem absentem ebrietatis aut scortationis, coram amico, vt ipsius societatem fugiat, ne ex consortio ipsius polluatur, Dabo ple-

niorem definitionem calumniæ in hunc modum.

Occulta calumnia est, cū criminatio mendax absentis, tū peruersa dictorum factorumque ipsius interpretatio, ex inuidia quidem, ambitione & suspicione nata, tendens vero in infamiam eius qui traducitur. Hæc definitio clarissime discernit inter accusationem secretam, quæ fit bono animo, vt periculum caueatur: Et malignam criminationem, quæ proprie calumnia dicitur.

Concurrunt autem in quauis calumnia, tres ad minimū personæ, videlicet, delator, falso accusatus seu absens, & is qui delationi aurem præbet credulam. Medius innocens est, extremi iniusti & scelerati sunt. Vt enim qui credit calumniæ, iniuste facit, quia absque dubio vult, quod libenter audit, vt Cæsar ait: quod volumus libenter credimus. Ita calumniator, suspicax, ambitiosus, iniustus & inuidus est. Ex quo fit vt eius, cui inuidet quemque putat suis obesse commodis, famam deformare studeat, idque nunc inique, nunc astute, nunc simulate.

Inique dum reuelat errata ipsius secreta, dum fingit mala quæ non sunt ab eo commissa, dum scribit aut spargit libellos famosos.

Astute quando silet interrogatus de ipsius vita & recte factis, vt silentio saltem traducat, quando negat quæ vere ab aliis in ipsius laudem referuntur, quando laudat ipse cum insidiosa exceptione.

Simulate quoties fingit se dolere vicem illius, quem traducit: quoties exaggerat errata leuiora: quoties ambigua in malam partem interpretatur: quoties laudat alios eiusdem ordinis, vt eum solum quem odit, calumniis opprimat. Sed quid pergo modos calumniarum enumerare, cum sint innumeri? Calumniator siquidem, cui aliena vita laudata tormentum est, instructus fraude, mendacio, periurio, obtestatione, impudentia, & mille versutiis instar Prothei, in mille formas se vertit, vsque adeo, vt cum nihil etiam in vita dictis aut factis taxare queat, mentem tamen sibi ignotam vellicet, quasi per hypocrisin, & in sincera mente omnia fiant. Si pauper es, vilem & abiectum: Si diues es, ambitiosum: Si eloquens es, rabulam: Si taciturnus, piscem: Si ieiunas hypocritam: Si comedis, lurconem: Si sedulo

officium

officium facis, ostentatorem & popularis auræ cupidum: Si vel in minimo ab eo in relligione discentis, hæreticum, schismaticum, impium, & blasphemū te criminatur. Atque ita Calumniator plane ingenium serpentum refert. Vt enim serpentes dulcia comesta in venenum vertunt: ita Calumniator quæ laude digna sunt in vituperium & repræhensionem rapit. Hoc Calumniæ genus de quo modo agimus, potissimum in Magnatum aulis, non quidem omnium peræque, sed impiorum maxime dominatur. Pii enim principes, quia norunt se esse custodes vtriusque tabulæ, quia delectātur bonis, & execrantur malos, quia amant legum amantes, & oderunt quos aduersus leges nequiter contumaces vident. Calūniatores non solum tanquam vtriusque tabulæ impudentes contemptores: sed etiam veluti rabiosos canes, vt qui & habitu & morsu noceant, auersantur. Imitantur enim Magnates timentes Deum, sanctissimum regem Dauidem, speculū omnium piorum principum: qui *Psalmo* 101. suam de Calumniatoribus sententiam omnibus gubernatoribus commendat, dicens: Detrahentem secreto proximo suo, hunc perdam. Expertus enim erat Dauid, Calumniam, quandam Diaboli architecturam esse. Sciuit nihil malo Calumniæ, nec in Politia, nec in Ecclesia, nec in Oeconomia, nocentius & pestilentius esse. Hoc enim familiæ euertūtur, regna vastātur, Ecclesia deformatur. Breuiter. Omnia susque deq; feruntur.

Cur autem potissimum Calumnia in aulis Magnatum dominetur, ratio est: Quia illic locus est adulatoribus, qui sūt Calumniarum miri artifices. Ideo Menāder poeta Comicus, primum inter homines malos locum tribuit Adulatori, secundum Calumniatori, tertium Veteratori. Adulator enim Sycophantam seu Calumniatorem vrget, vt suum faciat officium, & in eo non segnescat, vt Medius ille Alexandri adulator dicere solebat. Calūniare audacter, semper aliquid hæret.

Vtitur autem Calumniator aulicus, hoc potissimum artificio. Primum obseruat quo se Domini sui voluntas inclinet, cuinam sit aliquo modo offensus. Deinde hūc diligenter obseruat, & quicquid agit attendit. Tum omnia ad Dominum deferens, bona tacet & merita, ambigua in malam partem rapit. Et multa insuper mentitur: non sine singulari grauitatis & pietatis prætextu, & obseruantiæ erga suum Dominum studio. At si parum successerit primus co-

natus, nõ obliuiſcitur præcepti magiſtri ſui Medii. Calumniare audacter, ſemper aliquid hæret. Hoc artificio multi in aulis Principum, præſertim impiorum, creſcunt, & multi opprimuntur. Neque enim pii principes ita obſeruare ſuas aulas poſſunt, quin iſtæ vulpeculæ, tectæ exuuiis ouium, aliquando in eas irrumpant, ac bonos vulpinis fraudibus lædãt.

Porro vterque, videlicet Adulator & Calumniator inſtigat Veteratorem, in aſtutiis & fraudibus ex veteri & longa conſuetudine exercitatiſſimum, atque ideo idoneum, ad inquirenda noua aucupia, ad immodicas expilationes excogitandas, ad noua grauamina, publicæ vtilitatis prætextu, ſubditis imponenda. Hunc Paulus ad *Roman.* 1. ἐφευρετὴν κακῶν appellat. Sed quid ſi vnus aliquis has tres perſonas ſuſtineat? profecto is ter maximus ſalutaretur, cui triplicem mercedem deberi ſtatuo: hoc eſt, triplex ſuſpendium. Sed aſcribamus verſus Menandri.

ὁ βίος μάλιστα τοῖς πονηροῖς ἥδεται,
πρῶτιστα μὲν ὁ κόλαξ, ἄριστα πάντων,
δεύτερος ὁ συκοφάντης, ὁ κακοήθης τρίτατος.

Hoc eſt.

Hæc vita valde delectatur improbis,
Adulatoris vita iocundiſſima eſt,
Huic proximo Calumniator eſt loco,
Sibi veterator tertium locum petit.

Diximus quid ſit Calumnia occulta, quam quidem ita vocamus, non quia occulta maneat, ſed quia occulte fiat. Nunc quod ſecundo loco propoſuimus breuiter expediemus, videlicet, quantum malum ſit Calumnia.

Triplex itaque malum eſt in Calumnia.

Primum, calumniantis. *Secundum*, creduli auditoris (vtrunque culpæ eſt) *Tertium*, calumniam patientis (quod eſt malũ diuerſum genere a prioribus: non eſt enim malum culpæ, ſed damni) De his tribus malis, quæ ſemper cum Calumnia coniuncta ſunt, Herodotus in hanc ſententiam loquitur. Calumnia magnopere fugiẽda eſt, in qua quidem duo ſunt, qui vnum iniuria damnoque afficiunt. Qui enim Calumniam alteri ſtruit, illum profecto ſcelerate lædit, quem a tergo & non præſentem vituperat. Qui auſcultat, itidem illum lædit, quia delectatur inclementibus dictis in abſentem, ignarus veritatis. Ita in vnius miſeri & innocentis perniciem duplex

conſentit,

consentit,& quasi coniurat improbitas. Cum his congruit Bernardi dictum. Nunquid non (ait) vipera est lingua detractoris? nunquid non lancea? imo acutissima, quæ tres simul occidit? Et non solum tres, sed multos: vbi multis detrahitur, vel vbi multi sunt auditores. Et non solum corpora, sed quod pretiosius est, famam & animam vulnerat. Quidam enormitatem huius mali exaggerans ait: Saturatur carnibus humanis, qui delectatur morsibus vitæ alienæ. Non ergo immerito Dauid noster, flammis, sagittis, gladiis comparat Calumniatoris linguam, *Psalm.* 57. Menander de Calumniatore quodam ait, ὁ συκοφάντης ἐστὶν ἐν πόλει λύκος. De eo vero qui audit Calumniam, creditque Calumniatori:

> Ὅστις δὲ διαβολαῖσι πείθεται τάχει,
> ἤτοι πόνηρος αὐτός ἐστι τοὺς τρόπους,
> ἢ παντάπασιν παιδαρίου γνώμην ἔχει.

Hoc est:

> *Qui Calumniis statim fidem habet,*
> *Aut malis is est præditus moribus,*
> *Aut animum prorsus puerilem habet.*

Porro quoniam Paulus ait: Non solum qui faciunt mala, sed etiam qui consentiunt facientibus digni sunt morte: (Vnde Bernardus recte infert: Pari reatu detrahentes & audientes tenentur) colligamus a scripturis, quãtum scelus est vtrunque, Calumniari scilicet, & credere Calumniis, hoc est, consentire Calumniatoribus.

Primum ergo Calumniator & Auditor credulus, Deo se opponit, dum eius legem contumaciter violat, videlicet, Dilige proximum tuum sicut teipsum. *Leuit.* 19. Non facies Calumniam proximo tuo. *Esaiæ* 54. Recede procul a Calumnia.

Secundo. Vterque legem æternam, quæ naturæ dicitur, pedibus conculcat, quæ iubet, vt quilibet, quod sibi vult fieri, faciat alteri. Et, quod sibi non vult fieri, non faciat alteri.

Tertio. Vterque leges ciuiles contumaciter contemnit. Contra enim leges turbator est humanæ societatis, sine cuius incolumitate vita humana peracerba est.

Quarto. Vterque opificio Dei, in Dei contumeliam abutitur. Calumniator quidem lingua, quæ ipsi data est, vt ea Deum glorificet, & veritatem dicat, Auditor vero credulus

auribus, quas a Deo habet, vt pia & honesta audiat.

Quinto. Vterque scandalo & exemplo nocet, Quo enim maior est, qui calumniatur, alterum, eo plures offendit, & ad imitationem inuitat. Idem iudica de credulo auditore.

Sexto. Vterque se seiungunt a societate Sanctorum, & ab Ecclesia Dei se excludunt. *Ps.* 15.

Septimo. Vterque adiungit se societati Diabolorum & prophanorum hominum, vt qui re & nomine communicent cum Diabolo. Vtrique enim communi appellatione Diaboli dicuntur.

Porro ex culpæ enormitate, facile erit de pœna calumniæ statuere, de qua videamus, PRIMVM in genere, DEINDE in Specie.

DE GENERE pœnæ Calumniæ, teneantur hæc dicta.

Herodotus ait,

Τῶν μεγάλων ἀδικημάτων μεγάλαι εἰσὶ
Καὶ τιμωρίαι παρὰ τῶν Θεῶν. Hoc est:

Deus magna scelera magnis pœnis punit.

Et Homerus Iliad. κ.

Ὁπποῖόν κ᾽ εἴπησθα ἔπος τοῖόν κ᾽ ἐπακούσαις.

Hoc est. *Quale verbum dixeris, tale & audies.*

Hesiodus.

Εἰ δὲ κακὸν εἴποις τάχα κ᾽ αὐτὸς μεῖζον ἀκούσαις. hoc est:

Quod si malum dixeris, & ipse maius forte malum audies.

Cuiusmodi multa dicta in Historiis & Poëmatis cum verbo Dei congruentia inuenies. Syracides *cap.* 21. Obtrectator polluit animam suam, & vicissim afficietur ignominia. Dominus *Matth* 7. Qua mensi fueritis mensura, eadem & reddetur vobis.

DE SPECIE intelligatur dictum Sapientis: Per quæ quis peccat, per eadem punietur. Hoc Plautus intelligens, de pœna vtriusque, id est, Calumniatoris & auditoris creduli, festiue admodum in hunc modum dicit:

Homines qui gestant, quique auscultant crimina,
Si meo arbitratu liceat, omnes pendeant,
Gestatores linguis, auditores auribus.

Leges Ciuiles alias exilio, alias talionis pœna Calumniæ reos puniunt. Canones infamia & excommunicatione. Infamia quidem, quia nihil iustius est, quam vt is qui infamem alium reddidit, ipse infamis fiat. Excommunicatione

vero

vero quia indignus ſocietate piorum eſt, qui vinculum ſocietatis ſacrilege rupit.

Gradus Spiritualis pœnæ plures ſunt, videlicet. Amiſſio fidei: Vaſtatio conſcientiæ, Excæcatio, Reproba mens, Induratio, quæ mala tandem ſequitur, in agone quidem mortis deſperatio, poſt mortem vero ſempiternum opprobrium excipiet, *Pſalm.* 69. Deleantur de libro viuentium, & cum iuſtis non ſcribantur. Huc aliquot exempla de pœnis corporalibus adiiciamus.

Rex Macedoniæ Philippus, pater Alexandri Magni, miſit militem quendam, alicuius negotii expediendi cauſa. Hic cum per mare eſſet profecturus, naufragium fecit, & periclitatus de vita, clamat, auxilium implorans. Hunc Ruſticus quidam non procul a mari habitans, audit clamantem, & ſuppliciter petentem auxilium, ne a fluctibus abriperetur: accurrit periclitantem in cimbam ſuam receptum liberat, exanimem ducit in villam ſuam, recreat ad focum: Breuiter omnibus officiis fouet, donec animum vireſque recipiat. Tandem miles exacto triduo, receptis viribus, recta ſe ad Philippum confert, narrat pericula, exponit ſuam diligentiam, & multos labores multorum annorum recitat. (nulla interea mentione facta ſui liberatoris) Philippus, cui miles iſte admodum charus erat, iuſſit vt peteret aliquid nominatim quod liberum eſſet. Hic miles immemor beneficij accepti, prædium ſui benefactoris petit, mentiens illum mortuum eſſe. Et facile impetrat a liberaliſſimo Rege. Confectis igitur literis donationis, recta ſe confert miles ad prædium Ruſtici, oſtendit ei literas Regiæ donationis, iubetque vt Ruſticus ſtatim emigret, ſibique prædium relinquat. Ruſticus expulſus bonis triſtis accedit ad Regem, commemorat ſua beneficia erga militem, quomodo videlicet illum liberauerit a naufragio, quomodo fouerit, donec vires reciperet. Philippus igitur cognita Calumniatoris ingratitudine, iuſſit quidem reddi ruſtico prædium, militem vero in vincula coniici. Cui poſtea cum ignominia exauthorato, ſtigmata inuri mandat, ac fronti eius inſcribi hæc verba: *Hoſpes ingratus.*

In Hiſtoria Heſter ſcriptum eſt de Aman hoſte Iudæorum: qui propterea quod Mardochæus non flexis genibus adoraret ipſum Ethnico more, per calumniã impetrauerat

edictum, de vniuersa gente Iudaica delenda: Falso criminatus eum mandata Regis Asueri contumaciter violasse. Postquam autem regem Asuerum flexisset coniunx Ester, & patefacta esset Calumnia Aman, mandauit Rex Calumniatorem Aman strangulari, suspēsum de eodem patibulo, quod ille Mardochæo præparauerat, ac domum & possessiones Aman, ipsi Mardochæo attribuit. *Danielis* 13. recitatur historia, de calumniis duorum seniorum de populo Israel, tempore captiuitatis Babylonicæ. Hi cum frustra insidiati essent pudicitiæ Susannæ, fœminæ pulcerrimæ & corpore & animo, confugiunt ad calumnias, vt ipsam opprimant. Cum ergo isti nebulones, viderent se nihil posse efficere apud sanctissimam matronam, vel blanditiis vel minis, eam sistunt coram iudicibus, & mentiuntur se eam deprehendisse in horto concūbentem cum quodam iuuene. Tametsi autem illa factum constanter negat, & suam innocentiam coram Deo testatur, tamen quia illi qui accusabant, fuerunt seniores, quorum magna erat authoritas apud populum, facile persuadent populo, vt nocentem credat, quæ innocens erat, & tanquam adulteram iuxta legem lapidibus obruat. Cum autem Daniel adhuc puer, videret innocentem trahi ad supplicia, alta voce in media turba clamat: Mundus ego sum a sanguine huius mulieris. Hac voce audita reuersi sunt vt causa denuo examinaretur: Examinati ergo senes a puero deprehensi sunt rei. Nam cum eorum testimonia non conuenirent, altero dicente sub lentisco, altero sub pinu se vidisse Susannam cum iuuene concumbentem, liberata est, atque innocens pronunciata: Sed Calumniatores ipsi talionis pœna sunt puniti, id est, lapidibus obruti.

Tres socij Danielis, vt est *Daniel*. 3. accusantur quod statuam regis Nabucadnezar nollent adorare, & à calumniatoribus, in ardentem fornacem coniiciuntur, ex mandato regio. Sed quid fit? flamma parcit innocentibus, & absumit calumniatores. Atque ita talionis pœna & illi puniti sunt, iuxta illud Lucilli:

Ὅστ' ἄλλῳ κακὰ τεύχει, ἑῷ κακὸν ἥπατι τεύχει.

Daniel. 6. recitatur illustre exemplum punitæ calumniæ. Daniel enim cum in summum locum apud Darium regem euectus esset, calumniis satraparum petitur, præclara siquidem facta, & res cum laude gestæ Danielis, magnā satraparum

rum

rum inuidiam,& graues calumnias aduersus eum concitarunt,qui cum nihil repræhẽsione dignũ in ipsius vita & gubernatione inuenire possent,insidias doctrinæ de vera agnitione & inuocatione Dei,quam Daniel profitebatur collocarunt,& tandem calumniis efficiunt apud regem, vt Daniel leonibus obiiceretur: tanquam violator edicti regij. Sed quid fit? Leones parcunt Danieli, innocens e spelunca leonum educitur,non sine maximo regis gaudio. Satrapæ autem calumniatores cum suis liberis & vxoribus,leonibus deuorandi obiiciuntur. Atque ita hi quoque talionis pœna multati sunt.Et verum esse dictum ostendunt:Malum consilium consultori pessimum.Hac occasione effectum est, vt verbum Dei,Persis,Medis,Assyriis, & Chaldæis sit annunciatum. Nam rex Darius decretum fecit & publicauit, vt omnes in suis regnis colerent Deum Danielis, vt qui solus sit viuus & æternus Deus, cuius regnum non dissipabitur. Hic iuxta cogitemus,quomodo optimus & sapientissimus Deus,vtatur sæpe malitia hominum,ad suam gloriam promouendam.

Quantum autem sustineat onus,& quam graue, qui iniuste calumniis proscinditur, nemo melius scire potest, quàm qui id sit expertus. Is enim in seipso sentit, quam sit triste malum,& acerbum vulnus Calumniæ.Solomon *Prouer.18.*ait:Verba calumniatoris sunt verbera,quę in intimos thalamos cordis penetrant. Et *Ecclesiastes cap. 7.* Calumnia turbat sapientem,& frangit robur cordis eius.

Cæterum vulnera ex morsu Calumniæ infixa, non sunt æque atrocia. Variant enim pro conditione causarum. Vbi enim causa grauior,Calumniæ telum fortius ferit. Si quis calumniatur vitam tuam,& mores sine iusta causa, graue quidem malum est,& laboriosum:Sed tamen ei mederi poteris,aut defensione iusta,aut excusatione modesta,nunc patienti silentio. Ante omnia autem conscientia recti: iuxta Poëtæ dictum:

Hic murus aheneus esto,
Nil conscire sibi & nulla pallescere culpa.

Item.

Conscia mens recti,famæ mendacia ridet,

Et versus Catonis notus est.

Cum recte viuas,ne cures verba malorum.

Verum ſi recte & pie docens calumniis obrueris, idque non ſolū ab hoſtibus, ſed a domeſticis fidei, ſed a fratribus, ſed a propriis diſcipulis de quibus bene meritus es, vſque adeo vt audias vulgo, impius, ſchiſmaticus, hæreticus, blaſphemus, peſtis Eccleſię, nō apud plebeculam tantū, ſed apud reges, apud principes, apud nobiles, apud eos denique, qui columnæ Eccleſiæ cenſeri volunt: Nihil profecto intolerabilius, nihil laborioſius, nihil triſtius fuerit. Sub hoc onere grauiſsimo non ſuccūbere, nequaquā humanarū virium eſt. Quā graue fuerit Heliæ prophetæ recta docēti, audire, hæreticus, ſeditioſus, turbator Iſraelis, nemo cogitauerit, niſi qui in eadē cymba vehitur. Quam moleſtū fuerit Apoſtolis legatis Dei, tanquā περιψήματα καὶ καθάρματα condemnari, quis explicet? Ipſe Chriſtus innocentiſsimus a collegio doctorum, a Pontifice, a ſenatu populi, a Romano pręſide Pilato & a rege Herode. Denique a toto populo tanquam affectator regni, legis contemptor, hoſtis Moſis, ſeditioſus, hæreticus & blaſphemus condemnatur, & cruci affigitur. Sed dicat aliquis:

Cur Deus ſic permittit fieri, Cur Deus ſinit ſanctos ſuos ſeruos, tam atrocibus calumniis prauorum hominum exponi?

Quantum ad Chriſtum attinet, facilis eſt reſponſio. Ipſe enim non ſua, ſed noſtra peccata luit. Sed quantum ad membra Chriſti, hoc eſt ſanctos attinet, ſtatuendum eſt Deum non ſine grauiſsimis cauſis hoc permittere. Recitabimus autem quinque cauſas ordine, quæ ſunt.

Prima, Deus vult ſuos conformes fieri imagini filii eius, cum in ignominia, tum in gloria. Ita enim Paulus ait, *2.Tim.2.* Si cum illo patimur, cum illo etiam regnabimus. Quia ergo ille multas paſſus eſt calumnias, vult etiam ſuos ſimiliter calumniis prauorum hominum exponi.

Secunda. Quia nemo dum viuit ἀναμάρτητος eſt, ſed multa arcana peccata circumferimus omnes, quæ Deus iſto modo, hoc eſt, per calumnias puniri permittit.

Tertia. Vt noſtro ſenſu percipientes quantum vulnus cordi innocentis infigat calūniæ telum, ſtudioſius ipſi caueamus, ne cui calūnias ſtruamus. Et teneamus verſū Auſonii:

Famam quæ poſſet vitam lacerare bonorum

Non finxi, veram si qua fuit, tacui.

Quarta. Vt exerceatur sanctorum patientia, purgatiorque efficiatur, vt in castissimo Iosepho videmus. Hic enim calumniis turpis adulteræ petitus, & fere oppressus, patienter tulit, nec propterea abiecit confessionem doctrinæ, nec neglexit inuocationem Dei.

Quinta. Vt retundatur suppullulans sanctorum superbia, quæ aliquando irrepere vel sanctissimis solet. Nam quos vel cogitatio egregie præstiti officii, vel sensus donorum Dei, vel domestica adulatio, vel aliorum fauor, in altum extulerat, hi icti morsibus viperinis Calumniatorum, humiliantur iterum.

Restat tertium, quod proposuimus, videlicet, quidnam faciendum sit pio, dum iniuste calumniis petitur. Etsi autem iniusta calumnia intolerabile malum est, vt diximus, tamen Ecclesia Dei, & quilibet pius in Ecclesia, habet quo se sustentet, ne prorsus succumbat.

Primum omnium pius maleuolorum calumniis præter suam culpam obiectus, clypeo se muniat firmissimo, videlicet verbo Dei fide apprehenso. Est enim Verbum Dei purgatum clypeus omni credenti: *Prouerb.* 30. Hoc verbum exitum bonum pollicetur credenti, & liberationē ab omnibus periculis iuxta illud *Psalmi* 40. Beatus qui ponit Iehouah spem suam: Voce enim *Beatus*, euentus bonus significatur. Et *Psalmo* 37. Confide in eo & ipse faciet. Item. deducet quasi lumen iusticiam tuam, id est, innocentiam tuam. Item. Hæc est victoria quæ vincit mundum, fide vestra. *Ioh.* 5. Vt ergo crescit fides verbi in homine, ita consolationes in corde augentur. Et vbi magna fides, ibi quoque magna est ex fide consolatio, in quibusuis malis.

Secundo. Consoletur se pius conscientia recti, vt cum Dauide dicere possit: Integritas & innocentia custodient me. *Ps* 25. Et cum Paulo. Hæc est gloriatio nostra, testimonium conscientiæ nostræ. 2. *Cor.* 1. Probet ergo vnusquisque, iuxta consilium Apostoli *Gal* 6. opus suū, & sic habebit gloriā apud sese & nō ex aliis: hoc est, Vnusquisq; recte faciat, ne se conscientia sua damnet. Nam cum conscientia non est saucia, habet gloriam, causæ videlicet, non pendentem ex stulto aliorum applausu. Sed talē quæ est vera conscientię

approbatio, & opus necessarium Deoque placens. Mens ergo sibi recti conscia, vel sola tanquam murus, omnibus malignorum hominum, falsis calumniis & criminationibus opponatur.

Tertio. Conscientiæ recti iungatur seria Dei ex fide inuocatio, qua petatur defensio diuinitus, aduersus Sycophantas exemplo Dauidis in hunc modum precantis. Domine libera animam meam a labiis iniquis, & a lingua dolosa. *Psalm.* 120. Hoc cum fecerimus, aut Deus paulatim producet in lucem veritatem, quę etsi aliquando laborare, nunquam tamen deleri poterit: aut compensabit calumnię malum, aliquo bono spirituali. Sicut Dauid ait de conuitiis Semei. 2 *Sam.* 16. Deus dabit mihi aliquid boni pro his male dictis. Sic conscientia recti fretus Dauid precatur *Ps.* 119. Feci iudicium & iusticiā non permittas me calūniantibus me. Itē Redime me a calūniis hominū, & custodiā mandata tua.

Quarto, Cum calumniis iniustis petimur, in memoriam reuocemus exempla piorum, omnium temporum, vt: Mosis, Prophetarum Christi, Apostolorum & aliorum sanctorum. Etiam eorum qui nostra ætate a morsibus Calumniatorum non fuerunt immunes. Horum exemplo nos erigamus & persistamus inuicti, vere statuentes Deum fore vindicem calumniarum, & nos suo consilio sapienti, tandem in lætum portum adducturum. Firma enim stat promissio *Psalm.* 31. Credentes custodiet Dominus, & retribuet abundanter facientibus superbiam.

Quinto, Consolentur se petiti calumniis, potentia veritatis, quæ temporis filia dicitur. Nam tametsi Calumnia exiguo tempore demulcet homines, tamen veritas tandem emersa gratior erit bonis mentibus. Sic enim Solomon: *Prouerb.* 12. ait: Labium verax omni tempore firmum erit: Mendax autem non erit ad diuturnitatem stabile.

Sexto, Pressi calumniis solentur se veritatis excellentia & dignitate. Veritas enim vt pulcerrima est, ita summe Deo placet. Quemadmodum contra Calumnia res turpissima Deo displicet, & in oculis eius est abominabilis. Quare non dubium est quin euentus amantis & defendentis veritatem, sit futurus fœlix, calumnia patefacta. Sic enim Solomon ait: Abominatur Dominus linguam mendacem, & veraces placent Deo. *cap.* 12.

Hisce

Hiſce iactis cõſolationis aduerſus calumnias fundamentis,cum pietas poſtulat, tum amor honeſti nominis efflagitat, vt is cui per calumnias facta eſt iniuria, prudenter ſuam innocentiam tueatur,idque maxime, ſi vel gloria Dei agitur, vel fama ipſius, qui Calumniis petitur, periclitatur. Hoc autem prudenter fieri iubet Solomon, cum ait: *Prouerbior. 26.* Ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam,ne efficiaris ei ſimilis. Reſpondeo ſtulto ſecundum ſtultitiã ſuam, ne ſibi ſapiens videatur eſſe. Prior ſententia affectus frenandos eſſe monet:Poſterior neceſſariam doctrinam defendendam eſſe docet. Nam cum ait, Ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam: vult vt finem conſideres, ne videlicet efficiaris ei ſimilis. Vult ergo vt reprimamus affectus,& non reddamus conuitium pro conuitio, vel calumniam pro calumnia. Vt dicitur 1. *Petri* 3. Non reddentes malum pro malo, aut conuitium pro conuitio. Cum igitur Calumnia noſtram perſonam priuatam petit, aut modeſte & ſine perturbatione reſpondeamus, aut prætereamus omnino, ſi plus mali allatura videtur defenſio quam boni. Verum cum ait:

Reſponde ſtulto ſecundum ſtultitiam ſuam,vult vt ſimiliter finem ſpectes, videlicet ne ſibi ſapiens videatur eſſe. Requirit ergo Solomon hoc præcepto,vt neceſſariam doctrinam defendamus,aduerſus corruptores,iuxta hęc dicta: Ad *Tit.* 1. Eos qui contradicunt ſanæ doctrinæ opottet arguere, & *cap.* 2. Argue cum omni imperio. Hoc ideo neceſſarium eſt, cum vt veritas Dei defendatur, tum vt miniſterium noſtrum non veniat in contemptum, atque reddamus inutiles Eccleſiæ. Diſcernendum eſt autem diligenter inter neceſſariam doctrinam, ſine qua fundamentũ non manet integrum & ſaluum λεπτολογίας quibus non ſanatur Eccleſia,ſed vulneratur, cum animi docentium in diſputationibus incaleſcunt,& paulatim alienantur, atque ita ſcinditur Concordia,quæ eſt alterum vinculum ſocietatis Eccleſiæ,id quod fieri non poteſt, ſine graui Eccleſię vulnere,& ſummo piorum dolore. Abſtineãt ergo docentes,ab inextricabilibus diſputationibus,& quæſtionibus inutilibus. Voco autẽ quęſtiones inutiles,quę deciſæ nec proſunt, nec obſunt. In quibus potiſsimum Scholaſtici Doctorę

occupati fuere,& hodie multi ſola ambitione moti, Scholaſticos Doctores ſuperare contendunt, diſputationum labyrinthis in maximam Eccleſiarum Chriſti offenſionem. Nos proinde obtemperemus conſilio Apoſtoli dicentis 2. *Timoth.* 2. Stultas & ineruditas quæſtiones vita, ſciens quod generent pugnas. Stultas vocat, extra verbum Dei,in cerebro humano natas: Ineruditas quæ nihil ad pietatem conferunt. Rationem ſubiungit,quia generant pugnas,a quibus pios alienos eſſe decet.

Has admonitiones de malo Calumniæ hoc loco adiicere placuit, vt admoniti omnes calumnias fugianus,vt amemus candorem, & piam ſimplicitatem in doctrina & in tota vita, cogitantes nos ad pacē & ſanctitatem vocatos eſſe.

TERTIA PARS.

6. *Exurge Iehouah in ira tua & exaltare contra furores inimicorū meorum, & reſtitue mihi iudicium quod mandaſti.*

7. *Et congregatio populorum circumdabit te, & propter hanc in altum reuertere.*

8. *Iehouah iudicat populos. Iudica me Iehouah ſecundum iuſticiam meam, & ſuper integritatē meam ſuper me.*

9. *Finiatur quæſo malitia peccatorum, & dirige iuſtum ſcrutans corda & renes Deus iuſte.*

DVo precatur Dauid. Primum oppreſsionem hoſtium ſuorum & Eccleſiæ. Alterum, reſtitutionem in regnum, a quo iniuſte eiectus erat. Vtrumque vt colligatur Eccleſia, & doctrina de Deo propagetur in gloriam ipſius. Atque hęc eſt ſententię horū quatuor verſuū ſumma: Nunc verba expēdamus.

Exurge, inquit, *Iehouah in ira tua.* Antrhopopathia eſt,loquitur enim de Deo tanquam de homine rege ceſſante & non vindicāte ſe de hoſtiū ſuorū contumacia.Sic etiam in *Pſ.*44. loquitur. Exurge, quare obdormis Domine,expergiſcere: *Exurge in ira tua*,hoc eſt iratus vltionē ſume de hoſtibus meis,qui & tui hoſtes ſunt,ſeu, oſtēde te illis iratum

eſſe,

esse pœnas illis inferens. Exẽplum Dauidis indicat licitum esse contra impios orare, qui nos nostris legitimis vocationibus exuere conantur, in quibus pie & honeste Deo & Ecclesiæ seruire studemus. Sed huic exemplo, inquies mandatum Dei & exemplũ Christi aduersatur *Mat.* 5. mandat Dominus vt oremus pro persequentibus nos: & ipse in cruce orat pro crucifixoribus suis. Respondeo.

Orare contra inimicos, est orare, vt Deus ipsos impediat, & eorum praua consilia infatuet, ne gloriam Dei impediant, & nostram vocationem interrumpant in damnum Ecclesiæ, interim ex animo eorum conuersionem ad Deum, & salutem optabimus, vt ex inimicis fratres, & dulcissimi efficiantur amici.

Restitue mihi iudicium quod mandasti. Ex Hebræo: Euigila ad me iudicium, quod mandasti, hoc est, cito restitue me in regnum quod mihi olim commendasti, vt illud regerem: Effectum igitur per Metonimiam, pro causa posuit, hoc est, iudicium pro regno. Est enim regium munus iudicare, hoc est, administrare regnum, & gubernare legibus & disciplina: Vt subditi pie, honeste, quiete, & tranquille viuant. 1. *Timoth.* 2. Etsi enim iudicium magistratus proprie est sententia iudiciaria, qua iudex vel condemnat vel iustificat aliquem: hoc est, vel reum pronuntiat, vel a reatu absoluit: Tamen per Synecdochen complectitur & reliquas partes officii Regii, seu Magistratus de quibus alias.

Et congregatio populorum circumdabit te. His verbis significat Dauid, ad gloriam Dei facere, si restituatur regno, a quo eiectus est. Nam testatur suam præcipuam curam fore, vt quamplurimi ab errore reuocati recte doceantur de Deo, ad eum conuertantur, eique veros cultus præstent.

Docemur ergo hic quod præcipua cura piorum regum esse debeat, vt ministerium verbi conseruetur, foueãtur Ecclesiæ membra, & Deus recte in Ecclesia colatur.

Et propter hanc in altum reuertere. Hoc est: propter Ecclesiam tibi colligendam conscende tribunal vt iudices, hoc est, vt condemnes quidem Ecclesiæ tuæ vastatores, liberes vero me, & in regni solio rursus colloces. Atque ita hic tropice tribuitur Deo gestus hominis iudicis, qui

se ad iudicandum parat, conscenso tribunali. Hoc ergo tropo significat iamiam imminere hostibus suis pœnas diuinitus.

Iehouah iudicat populos. Hoc est, punit sontes, & defendit insontes. Hoc fundamentum iacit Dauid, super quo extruit suam precationem, quæ sequitur: Sed prius dicemus de iudicio Dei, quod ipse in hac vita per se exercet. Et est duplex, videlicet, Occultum, cuius causæ sunt nobis occultæ, & Manifestum, quod habet euidentes causas, & manifestas.

Occultum iudicium exercet, dum sanctum Iob sua manu percutit: huius enim iudicii causæ nos latent. Manifestum autem dum Pharaonem prosternit in mari rubro cum suo exercitu: manifesta enim erat eius tyrannis. Verum hic regula tenenda est. Etsi iudicium Dei occultum inscrutabile est, non solum hominibus, verumetiam angelis, tamen hoc certissimo certius tenendum est, quod occultum iudicium Dei, nequaquam pugnet cum voluntate ipsius in verbo reuelata. Fieri enim non potest, vt qui optimus est & sapientissimus velit pugnantia cum verbo suo, quod est ipsius voluntatis infallibile testimonium. *Manifestum* iudicium Dei, quod habet euidentes causas, variat pro diuersitate causarum: Nam impios iudicat Deus puniendos propter eorum iniquitatem, quæ manifesta est, idque vt vel conuertantur, vel, si perrexerint esse contumaces, illorum temporaria pœna, sit inchoatio æternæ pœnæ. Pios vero iudicat, nunc in iis puniendo certa peccata, nunc liberando, vt eorum innocentia in certa causa declaretur. De hoc Dei iudicio punientis & liberantis, intelligenda est precatio Dauidis, quæ sequitur.

Iudica me Iehouah secundum iusticiam meam, & secundum innocentiam meam super me.

Hic Dauid sistit se coram tribunali Dei, & prouocat ad suam iusticiam & innocentiam in causa certa. Non enim se omnino & simpliciter iustum & innocentem affirmat, qui alibi dicit: Si iniquitates obseruaueris Domine, quis sustinebit. Et rursus, Ne intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens: Sed in causa certa: nam extra omnem

culpam quam illi impegit Semei, ſe eſſe affirmat: Non enim affectauit aut inuaſit regnum alienum: Non fuit oppreſſor pauperum: Non fuit ſanguinarius, ſicuti ei obiecerat calumniator Semei. Secundum hanc iuſticiam & innocentiam ſuam, petit ſe iudicari Dauid, Eſt autem diligenter notandum, quod non dicat Dauid, Iudica me propter meam iuſticiam, & propter meam innocentiam: Nequaquam enim merito ſuæ iuſticiæ & innocentiæ nititur, ſed ſola miſericordia Dei propter ſemen tuum promiſſum, iam exhibitum. Sed ſecundum meam iuſticiam & innocentiam, id eſt, quia ſum iuſtus & innocens, quantum ad crimen mihi ab improbo Semei obiectum attinet. Quod autem non nitatur ſua innocentia & iuſticia, ipſe Dauid alibi ſatis oſtendit, cum ait: Integritas & rectum cuſtodient me, quoniam ſperaui in te *Pſ*.25. Coram Domino igitur nititur Dauid, fiducia promiſſionis. At cum hoſtes ſuos intuetur, bonitate cauſæ ſe ſuſtentat. Exemplo Dauidis monemur & nos, quid facere nobis liceat, cum ſcelerate & iniuſte ab improbis traducimur: Tum enim teſtari poſſumus & debemus noſtram innocentiam, & ſimul orare Deum, vt nos innocentes exaudiat & tueatur, ne hoſtes noſtri per ſua mendacia triumphare videantur, ſed vt potius pudefiant & reſipiſcant. Porro cum Deus iudex iudicum tanti faciat innocentis cauſam, vt etiam apud Ethnicos & homines impios extent teſtimonia Dei de liberatis innocentibus, & punitis calumniatoribus, præſertim cum innocentes ad Deum teſtem confugerunt: non dubitent pij qui ſunt Dei domeſtici, quin Deus illorum cauſam, qui in fiducia Filij ſe inuocant, ſit in ſe recepturus.

Finiatur quæſo malitia peccatorum, id eſt, conſumatur & finem tandem accipiat improbitas eorum, qui me perſequuntur. Hæc oratio Dauidis pia eſt: nam vt ex amore Dei & Eccleſiæ naſcitur, ita tendit in gloriam Dei, & in Eccleſiæ ipſius incolumitatem.

Et dirige iuſtum. Precatio eſt, cuius hic ſenſus eſt. Tua potentia defende me innocentem, & eripe me e manibus malignorum, qui me opprimere moliuntur. Iuſtus & peccator hic opponuntur. Proinde vt peccator eſt qui

machinatur quouis modo innocenti malum: Ita iustus est hoc loco qui iniuste persecutionem patitur. Hanc interpretationem necessario postulat loci peristasis.

Scrutans corda & renes Deus iuste. Hoc est, tu Deus qui monuisti intimos recessus cordis mei, ita iuste exerce vindictam in meos hostes, vt scis meam causam iustam esse. Per corda & renes intelligit voluntatem & affectus. Quoniam autem renes sunt vasa seminaria ad liberorum procreationem parata, & sedes consiliorum carnalium, quæ affectibus reguntur: naturaliter in iis excitantur appetitus, ex quibus concupiscentiæ cogitationes mouentur: Ex quo fit vt scriptura per renes, per Metonimiam, intelligat cogitationes intimas hominum & affectus, quas nemo præter Deum scire poterit, quare & solus renum scrutator in scripturis dicitur. Hic admodum vtile fuerit cogitare mentem legis, qua vetus populus iubebatur renes animalium offerre, & cremare. *Leuitici.* 3. Nam oblatio illa & crematio rerum in veteri testamento, symbolum erat mortificationis suppullulantium affectuum carnalium, quæ ab iis requiritur, qui Deum pure colere decreuerunt. Lucas *act.* 1. & 15. vna voce expressit has duas, scrutans corda & renes Deus, cum Deum nominat καρδιογνώστην, vt qui solus latebras pectoris humani penitus perspiciat. Hinc monemur, vt nihil simulate agamus, vel in precibus nostris, vel in moribus: Patemus enim Deo, hic solus potest discernere inter veros gemitus inuocantium, & simulatos. Item, inter veras virtutes & virtutum laruas, quibus se multi seducunt. Sciamus ergo quod Deus velit absque omni fuco a nobis coli, idque ex puro corde, conscientia bona, & fide non ficta, hoc est, non simulata obedientia, sed vera.

QVARTA PARS.

10. *Clypeus meus in Deo qui saluos facit rectos corde.*

SVmma horum septem versuũ est, quod Dauid inter precandũ spẽ gloriosę liberationis cõcipiẽs, di uinoque

11. *Deus iudex iustus, & Deus irascitur tota die.*

12. *Nisi conuersus fuerit, gladium suum acuet, arcum suum tetendit, & parauit illum.*

13. *Et ei parauit vasa mortis, sagittas suas persequentibus me operabitur.*

14. *Ecce parturit iniquitatem & concepit dolorem & pariet mendacium.*

15. *Foueam fodit, & effodit eam, & incidit in foueam quam fecit.*

16. *Conuertetur labor eius in caput eius, & in verticem ipsius iniquitas eius descendet.*

uinoq; auxilio fretus insultat hostibus suis, prædicitq; breui, nisi egerint pœnitentiã, actũ cũ ipsis fore. Hæc sententiæ summa est, quam amplificat, & multis figuris a re militari sumtis exornat: Sed nos ordine singula exanimemus.

Clypeus, inquit, *meus in Deo est.* id est, Deus meus est defensor. Clypeus enim tropice pro defensione ponitur. Septuaginta sensum simpliciter reddiderunt, ἡ βοήθειά μου παρὰ τοῦ θεοῦ, auxilium meum a Deo, ac si diceret, Hostes mei quotidie plures sibi adiungunt socios, vt me viribus superent: sed frustra hoc faciunt. Nam illis fortissimum clypeum oppono, nempe Deum ipsum, cui frustra se opponit humana potentia. Obseruetur qualis fiducia piorum esse debeat in quibusuis aduersitatibus. Ratio fiduciæ sequitur.

Qui saluat rectos corde.

Hoc est, Deus habentes iustam causam, & ad se confugientes liberat, vt vere sentiant se non esse auxilio ipsius destitutos. *Rectus* corde in genere quidem dicitur, qui est sine malitia, hypocrisi, malo proposito, & confidit in Domino, ambulat in viis eius, & recte facit officium in timore Dei. In specie vero est, vt hoc loco, qui nec cogitatione nec voluntate, multo minus dicto aut facto est reus sibi obiecti criminis.

Deus iustus iudex, & Deus irascitur omni die. Enthymema est, & argumentum sumptum ab officio iusti iudicis. Deus est iustus iudex, igitur Deus irascitur quotidie, id est, irascitur & minatur pœnas omnibus qui contumaciter se suis

legibus opponunt. Vt ergo Deus tuetur & saluos facit rectos corde: ita malignos & contumaces punit. Atque hoc est fundamentum fiduciæ Dauidis, quod in hanc sententiam sibi applicat. Deus iustus iudex defendit insontes & punit contumaces. Ego in causa quæ mihi est cū aduersariis meis sum innocens: aduersarii autem mei nocentes: igitur Deus vere me defendet, & illos puniet. Hoc argumentum & nos nobis dum iniuste premimur ab hostibus accommodemus.

Nisi conuersus fuerit, gladium suum acuet, arcum suum tetendit, & parauit illum. Hæc conclusio argumenti est, sed conditionalis, Deus est iustus iudex, ergo hostem meum qui mihi iniuriam infert, puniet: nisi conuersus fuerit, id est, nisi pœnitentiam egerit, & a suo malo proposito destiterit. Notetur hoc loco exemplum Regulæ: Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Et *Ezechielis* 33. Impietas impii, non nocebit ei, in quocunque die conuersus fuerit ab iniquitate sua.

Verum caueat vnusquisque ne sua procrastinatione, in reprobam mentem incurrat, gratia diuina sibi omnino subtracta: tunc enim viuens, tanquam mortuus est, vt Paulus de vidua in delitiis viuente scribit, 1. *Timoth.* 5. Obseruemus hoc loco militarem descriptionem Dei, qua κολαστικὴ δύναμις, vt Basilius ait, significatur: confertur enim Deus fortissimo & peritissimo giganti, qui gladio, arcu, & sagittis bene armatus, hostibus suis est formidabilis, vt qui non aberret a scopo, sed certo feriat, & prosternat eos ad quos dirigit suas sagittas.

Nam arcu suo parauit vasa mortis, id est, tela lethifera. *& sagittas suas persequentibus me operabitur*, hoc est, hostes ipsius nō euadent ipsius sagittas. Hæc admoneant nos seriæ pœnitentiæ, timoris Dei, inuocationis, & obedientiæ, ne nos iratus citius opinione nostra suis telis obruat.

Ecce parturit iniquitatem, & concepit dolorem, & pariet mendacium, scilicet hostis meus. Hac imagine depingit Dauid suorum hostium furorem, & simul significat illorum conatus fore irritos. Est autem in hoc versu hysteron Proteron Conceptus enim parturiendi tempus antecedit. Concepit autem Absolon ex inuidia & ambitione dolorem, id est, magnum laborem, in excogitandis insidiis, cum videret patrem senem, sine molestiis & quiete viuere, & se iudicaret regno

gno digniorem. Parturiit autem iniquitatem, dum conspirat aduersus Patrem adiunctis sibi consiliariis præcipuis regni, eiicit eum regno, & consilia captat, quomodo illum obruat & perdat. Sed parit mendacium, hoc est, frustratur sua spe. Non enim retinet regnum, quod scelerate inuasit. Hanc Allegoriam recte omnibus impiis & hostibus Euangelij accommodaueris. Nam tametsi superbe ex inuidia insultant Ecclesiæ, atque eam persequuntur: tamen exitus non respondebit illorum consiliis. Pij enim diuinitus liberabuntur oppressis eorum hostibus, iuxta dictum *Psalm.* 37. Dominus amat iudicium, & non derelinquet sanctos suos: In æternum conseruabuntur, at semen impiorum peribit. Expectemus igitur Dominum, & custodiamus viam eius atque ita futurum est, vt hæreditate cœlesti impiis tenebris inferni oppressis, fruamur.

Obseruemus etiam hoc loco, quod vtraque, videlicet, Synagoga, impiorum, & Ecclesia sanctorum conferatur mulieri, sed diuersimode, propter exitus diuersos. Synagoga enim impiorum comparatur mulieri concipienti dolorem, ex inuidia, parturienti impietatem, & parienti mendacium cum sempiterna miseria. Ecclesia autem sanctorum comparatur mulieri concipienti dolorem ex acerbitate crucis, parturienti ex fide patientiam, & parienti in spe veritatem, id est, vera & solida bona cum æterno gaudio. Sicut Dominus ipse *Ioan.* 16. docet. Hanc ergo Ecclesiæ imaginem intueamur, & statuamus vere secuturum in membris, quod præcessit in capite, hoc est, quod ignominiam præsentem tandem excipiet gloria sempiterna.

Foueam fodit, & effodit eam, & incidit in foueam quam fecit.

Repetitio est eiusdem sententiæ. Sicut enim supra contulit inimicum suum mulieri prægnanti, ex cuius misera conceptione tristissimus est partus secutus: Ita hic eundem confert venatori, qui foueam fodit, & retia tendit capiendis feris: Sed ipse imprudens labitur in foueam, & propriis retibus capitur. Prouerbialis ergo hæc locutio in illos competit, qui dum aliis malum struunt, ipsi in malum aliis paratum incurrunt.

Conuertetur labor eius in caput eius, & in verticem ipsius, iniquitas eius descendet.

Expolitio est. Nam quod figurate dixerat aliquoties, hic simpliciter exprimit. Sensus est. Quod machinatus est mihi hostis meus hoc ipsi cedit in perniciem. Labor & iniquitas hic per Metalepsin, pro pœna sequenti laborem & iniquitatem ponitur. Hæc nos admoneant de iudicio Dei, videlicet, quod impietas & iniuria aduersus sanctos, tandem iustas pœnas luet.

QVINTA PARS.

17. *Confitebor Iehouah secundum iustitiam eius, & psallam nomini Iehouah altißimi.*

Gratiarum actionis promissio est, quæ semper beneficia Dei excipere debeat. Nam non solum naturæ lege: Verum etiam mandato Dei obligamur ad reddendam benemeritis gratiam. Verum notandum est, quod quoties scriptura nos hortatur ad confitendum Deo secundum suam iusticiam, seu pro beneficiis nobis ex gratia præstitis, non tantum vult vt laudemus Deum benefactorem, eumque celebremus: sed etiam multa simul requirit. Nam PRIMVM vult vt agnoscamus beneficia Dei nobis collata, sine hypocrisi. SECVNDO, vt ex corde gratias agamus Deo, pro suis beneficiis. TERTIO, vt voce nostra fateamur nos diuinitus adiutos esse. QVARTO, vt laudes Deo benefactori tribuamus, quo alij nostro inuitentur exemplo. QVINTO, vt testemur nostram gratitudinem, mente, corde, vita & confessione per totam vitam. Hæc omnia simul complectitur confessio laudis.

Præter hanc laudis confessionem est duplex confesio, videlicet, fidei, & culpæ. Confesio Fidei, est catholicæ fidei testificatio, ex puro verbo Dei petita, cuius summa quædam in Symbolo Apostolico continetur. Confessio culpæ, est agnitio peccati, cum videlicet fatemur nos deliquisse. Hæc quintuplex est.

PRIMA, sine qua nemo adultus saluatur, cum nos coram Deo prosternimus, nostra peccata agnoscentes, precantes veniam propter merita filij, & promittentes mendationem in posterum. De hoc confessionis genere

Ioannes, 1. *Ioan.*1. loquitur cum ait: Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra. SECVNDA publica est, videlicet totius Ecclesiæ, quæ fit præeunte ministro Euangelij, & approbante populo. TERTIA similiter publica dicitur, sed est illorum tantum, qui aliquo scandalo offenderant Ecclesiã. QVARTA priuata est, & fit coram ministro Ecclesiæ, quæ disciplinæ gratia ab hominibus instituta est. QVINTA. Fit coram offenso fratre, iuxta Regulam Christi, *Matth.*5. De qua & Iacobus loquitur cum ait: Confitemini, alij aliis peccata vestra.

Vsus Psalmi Septimi.

Vsus huius Psalmi est, vt quoties iniustis odiis, falsis suspicionibus, ementitis calumniis, tyrannica persecutione oppugnamur, mentem nostram exemplo Dauidis confirmemus, recitantes hunc Psalmum: testemur modeste de nostra innocentia, confugiamus ad preces cum Dauide, & statuamus nos vere curæ esse Deo, qui iudex est mundi, & iustus & potens, qui suos tandem gloriose liberabit.

PSALMVS OCTAVVS.

Summa Psalmi Octaui.

ETSI *totus hic Psalmus in hanc propositionem, videlicet: Opera Dei gubernantis hunc*

mundum, & Ecclesiam mirabiliter euehentis supra cæteras creaturas, merito omnes in admirationem rapiunt: includi potest: Tamen rerum sublimitas postulat, vt hoc distinctius declaremus, quo & consilium Prophetæ rectius intelligamus, & doctrinam maiorem vberioremque consolationem, ex hoc Psalmo capiamus. Primum ergo omnium hic obseruandum est, quod vt Dauid oculis corporeis intuetur hanc rerum conditarum vniuersitatem, & in ea hominem prædominantem cæteris creaturis: vnde merito in admirationem operum Dei, & in gratiarum actionem fertur: Ita oculis Propheticis regnum Dei spirituale, cuius caput Christus est, contemplatur: vnde in maiorem adhuc admirationem rapitur. Habent siquidem omnia opera Dei in hoc aspectabili mundi theatro, quandam comparationem ad ea opera quæ fiunt spiritualiter & inuisibiliter in ipsius regno spirituali, quod est Ecclesia. Spiritu proinde sancto ductore, ex admirando opificio Dei, quod Dauid oculis cernebat corporeis, subuectus est in cogitationem regni Christi, in quo regno nomen Dei multo magis admiratione dignum est, quam in hoc opificio visibili. Omnia proinde in hoc Psalmo iuxta hanc duplicem considerationem accipienda sunt, obseruata hac comparatione huius creatæ machinæ mundi incurrentis in oculos, ad Christi regnum, hoc est, Ecclesiam, dulcior nobis erit hic Psalmus. Deinde in memoriam reuocandæ sunt hic duæ regulæ, quas in initio tradidi, quæ magnam lucem enarrationi huius Psalmi adferent. Harum prior est: Ea quæ capitis Christi sunt, plerunque ipsius corpori, quod est Ecclesia, tribuuntur: Et contra: Quæ corporis sunt,

capiti Christo accommodantur. Quicquid enim scriptura prædicat de hominis dignitate, Christo primum, vt generis nostri capiti, & instauratori congruit. Posterior. Quæ typo tribuuntur, analogicῶs antitypo conueniunt. Cum igitur Dauid qui hunc Psalmum cecinit, sit typus Ecclesiæ, recte accommodabimus ipsum ad totam Ecclesiam, videlicet, quod Ecclesia in hoc Psalmo admirabunda prædicat mirabilia Dei opera: non solum creationis & gubernationis: verum etiam, idque multo magis, saluationis, in quibus nomen Dei maiestas Christi capitis nostri, & gloria totius corporis ipsius, veluti sub oculos ponitur. Vt nos & fiduciam hinc concipiamus, & animum spe vitæ æternæ, nobis promissæ fulciamus.

Ordo & dispositio Psalmi Octaui.

Constituamus huius Psalmi duas partes.

Prima est quæ absoluitur 1. 2. & 3. *versibus, & continet admirationem maiestatis & bonitatis Dei, conditoris mundi, & mirabiliter sua prouidentia gubernantis omnia in cœlo & in terra.*

Secunda, quæ reliquis versibus, vsque ad vltimum, qui propositionem repetit, absoluitur, similiter admirationem habet, quod Deus adeo mirabiliter condiderit genus humanum ad tantam gloriam, quod daturus esset filium, humiliandum infra angelos & post resurrectionem gloria ornandum, & dominatorem fore cunctorum.

Totus igitur hic Psalmus Encomiasticus est, & Propheticus.

Porro in titulo vox Hebræa Hagidith putatur significare melodiæ genus, iuxta quod decantandus tradebatur hic Psalmus præfecto Musices. Alij volunt instrumentum Musicum fuisse. Sed nos incertis omissis, ad Psalmi enarrationem accedamus.

EXEGESIS PSALMI OCTAVI CVM INDICATIONE doctrinarum.

PRIMA PARS.

1. *IEhouah Domine noster, quam admirabile est nomē tuum in vniuersa terra, qui posuisti gloriam tuam super cœlos.*

2. *Ex ore infantium & lactentium fundasti fortitudinem, propter inimicos tuos, ad destruendum inimicum & vltorem.*

3. *Quoniam videbo cœlos tuos, opus digitorum tuorum, lunam & stellas, quæ tu fundasti.*

SVmma horum versuū est, modo typo antitypó iūgamus. Non solum hæc terra quam calcamus, & in qua nascimur, educamur & viuimus, & hi cœli quos aspicimus, quę omnia sunt tua opera: Verum etiam noua terra illa, in qua nascimur filii Dei, & noui cœli, quorū incolæ erimus in omnem æternitatem: Hęc (inquam) quantum sit tuum nomen: hoc est, maiestas, potentia, sapientia, & bonitas, cum omnium summa admiratione ostendunt. Atque

ite

ita oportet vtrunque complecti, videlicet typum & antitypon, corporale, & spirituale, mundi opificium aſpectabile, & ſpirituale Dei regnum quod eſt Eccleſia. Nam vtrumque ſimul intuetur Dauid: alterum quidem oculis corporeis, alterum vero Propheticis.

Iam ſingulos verſus examinemus diſtinctius.

In primo verſu, qui eſt propoſitio admirationis, bonitatis, & magnificentiæ Dei conditoris mundi & Eccleſiæ in genere humano ſunt tria: videlicet: Compellatio, affectus admirantis, & admirationis cauſa.

Compellatio hæc eſt:

Iehouah Domine ſeu dominator noſter.

Huius compellationis tres voces non ſine ſingulari Emphaſi accipiendæ ſunt.

Prima eſt, Iehouah, quæ appellatio Dei propria eſt, ex eo ſumpta, quod is ſolus per ſe exiſtit: Vnde ipſius æternitas, potentia, ſapientia, bonitas, cum amplitudine imperii, & debito cultu concluditur. Vide quæ in verſum 2. *Pſalm.* I. annotauimus de hoc nomine.

Secunda vox eſt *Domine ſeu dominator*, Hebraice Adon, quæ vox relationem notat ad res creatas, quarum vt creator eſt vnus Deus, ita & ſuſtentator, gubernator, prouiſor. Vnde monemur, quod vt omnia iure huius imperio ſub eſſe debeant, cũ quæ in terris, tũ quę in cœlis ſunt: ita contumaciæ crimine tenentur quicunque huius imperium detrectant, vt ſunt defectores angeli, & homines reprobi, qui pœnas ſuæ contumaciæ non euadent.

Tertia vox eſt, *noſter*, quæ vt confeſsio eſt, ita fidei & obſequii eſt proteſtatio. Hæc ſimul nos docent, quod quicunque Deum rite colere ſtatuit, recte ſentire debeat de natura & maieſtate Dei, ſeque ſubiiciat in vera fiducia Deo. Nam vt ſine notitia Dei hæremus in profundis ignorantiæ tenebris: Ita ſine fide creationis & gubernationis ſiue prouidentiæ, nemo de maieſtate Dei recte ſentire, multo minus Deum rite glorificare poteſt. Ideo author epiſtolæ ad Hebræos *cap.* 11. ait: Per fidem intelligimus perfecta fuiſſe ſecula verbo Dei. Fidei proinde tribuendum eſt illud lumen, quod in mundi contemplatione homines efficaciter proficiant in gloriam creatoris.

Secundum quod obſeruandum diximus in primo verſu, eſt affectus Dauidis admirantis maieſtatem & bonitatem Dei.

Quam admirabile, inquit, *eſt nomen tuum*, id eſt, quam magnificum, potens, pręclarum, admirandum eſt nomen tuum. Iudaica & nimis craſſa ſuperſtitio eſt eorum qui hic per nomen, τετραγράμματον illud Iehouah intelligunt, quod nefas eſſe pronunciare exiſtimant. Quare quoties occurrit in ſcripturis, pro illo legunt Adonai. Vnde Græci κύριος & Latini, dominus vertunt, quæ vocabula potius Hebraicum Adonai, quam Iehouah exprimunt. Vtrumque enim authoritatis & poteſtatis σημαντικόν eſt. Nequaquam igitur nomen hic ſumitur materialiter pro literis & ſyllabis, quibus Dei appellatio nobis innoteſcit. Sed relatiue, hoc eſt, pro ipſo Deo, Deique attributis virtutibus & effectis, ſicuti ex Pſalmi verbis manifeſtum eſt. Nam quæ ſequuntur in hoc Pſalmo, ſunt nominis Dei quædam deſcriptio. Hoc ipſum oſtenditur *Pſalmo* 48. Secundum nomen tuum Deus, ſic & laus tua in fines terræ, Iuſtitia plena eſt dextera tua. Et *Pſalmo* 72. Benedictum nomen maieſtatis eius in æternum, & replebitur maieſtate eius omnis terra. Sed de nomine Dei, vide quæ annotauimus in 11. verſum Pſalmi 5.

Sequitur admirationis cauſa quam tertio loco obſeruandam in propoſitione dixi, videlicet: *Qui poſuiſti gloriam tuam ſupra cœlos.* Poteſt & ſic verti: Eo quod poſuiſti gloriam tuam ſupra cœlos. Sumitur autem hęc cauſa, a qualitate nominis Dei. Eſt enim nomen Dei tantum, vt eius maieſtas non ſolum terram, verum etiam cœlum impleat. Quaſi diceret. Non ſolum homines in terra, verum etiam angeli in cælo tua opera intuentes, te cum ſumma admiratione glorificant. Nam omnia magna ſunt: ſiue prouidentiam in rerum huius mundi gubernatione, ſiue maieſtatem regni tui ſpiritualis reſpicimus. In ſingulis enim nomen tuum, tua maieſtas, & tua gloria conſpicitur. In hunc enim finem omnia feciſti.

Ex ore

Ex ore infantium & lactentium perfecisti robur.

Hieronymus: perfecisti laudem: Septuaginta κατηρτίσω αἶνον. quam lectionem sequutus est Matthæus *cap.* 21. Sed res eodem redit. Quod enim Hebræus figurate ponit, & hoc Hieronymus sequutus septuaginta & Matthæus proprie exprimit. Nam robur Metonimicos pro laude ponitur, vt causa pro effectu. Sed

Quid est perficere laudem?

Est perfecte Deo laudem tribuere, propter infantium & lactentium curam & prouidentiam, ex quo fit, vt infantes & lactentes magnam materiam celebrandi Deum, nobis suppeditent. His in genere sic obseruatis, primum typum, deinde antitypon consideremus.

Typus est historicus: proponit enim admirandum opus Dei in hominis fabrica. Primum enim homo conceptus mirabiliter fouetur in vtero materno, & paulatim crescit, vsque ad tempus partus. Deinde in lucem editus mirabili prouidentia diuina adsunt quę ad educationem requiruntur. Vnde enim statim ab vtero egresso, alimentum præsto est: nisi quia Deus mirabiliter sanguinem in lac transformat? Vnde sugendi industria, nisi quia Deus arcano instinctu linguas infantium aptat? Vnde crescendi vis, nisi ab eodem? Vnde tot casus & pericula euadunt, nisi Deus sua cura eos tueretur? quod ipsi parentes, etiam impii, sæpe fatentur. Hæc mirabilis puerorum educatio, mirifice laudes Dei prædicat in vniuersa terra. Hactenus de typo: Nũc ad antitypon, quod simul cum typo spectabat Dauid veniamus.

Institui autem typi & antitypi collatio hoc modo potest. Vt infantes in hoc mundo aspectabili Dei laudem perficiunt, sicuti supra declarauimus: Ita infantes in Ecclesia, Deum propter sua mirabilia opera glorificandum ab omnibus ostendunt. Sunt autem duo infantium genera spectanda: quidam enim ætate, quidam simplicitate & ruditate infantes dicuntur.

Infantes ætate sunt qui vel re vera infantes sunt, vel in proxima infantiæ ætate constituti, qui etiam viro-

rum respectu infantes dicũtur, etsi per se infantes non sunt.

Infantes simplicitate & ruditate per comparationem dicuntur etiam ætate prouectiores. Collati enim ad eos qui propter sapientiam & eloquentiam, viri & Sophi haberi volunt, infantibus similes sunt. Ad vtrosque pertinet hoc vaticinium. PRIMVM enim ad infantes ætate, quo modo Christus hoc vaticinium accommodat, *Matth.* 21. Cnm enim Christus die palmarum ingrederetur Hierusalem, & pueri cum ramis palmarum præcedentes clamarent: Hossianna filio Dauid: Benedictus qui venit in nomine Domini: indignabundi Iudæi dicebant Domino: Audis quid isti dicant? Iesus autem dicit eis: Nunquam legistis, Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem? id est, voce & testimonio infantium, tuam laudem integram & solidam reddidisti. Atque ita pueri illi Christo acclamantes Hossianna, vt gloriam Dei prædicant, ita perfidum Iudæorum populum condemnant: simul adumbrantes id quod post resurrectionem Domini futurum erat. DEINDE hoc ipsum vaticinium pertinet ad infantes simplicitate & ruditate, qui collati ad sapientes & Sophos huius mundi rudes & pueris similes erant, hoc est, ad ipsos Christi Apostolos: Per hos enim homines rudes & indoctos, simplicibus pueris similes laudem suam per vniuersum orbem perfecit Deus. Vt enim hi gloriam Dei prædicabant annunciantes Euangelium: ita Diabolum & ipsius membra condemnabant. Ideo subiicitur in hoc versu finis huius admirandi facti, cum ait: *Propter inimicos tuos, vt destruas inimicum & vltorem.*

Eo enim pertinebat vox & testimonium Apostolorum, qui hic pueris comparantur, vt Diabolus & eius regnum per eorum concionem destruatur, & regnum Christi nouum erigatur & ædificetur. Vocat autem Diabolum (Theodoreto teste) inimicum & vltorem. Inimicum quidem, quoniam nos odio sempiterno persequitur. Vltorem vero quia ad peccata semper instigat, peccantesque vlciscitur atque ad supplicium rapit. Per Diabolum hoc loco integrum regnum Diaboli intelligo: hoc est:

caput

caput & corpus. Nam de corpore Diaboli fuere, quos his Psalmi verbis retundit Dominus. Sed

Cur Dominus in erigendo & propagando suo regno non vtitur potentibus & sapientibus huius mundi, quorum authoritas animos hominum flectere posset ad obediendum Euangelio?

Huius rei plures sunt causæ. PRIMVM enim vult Deus hoc modo illustre discrimen facere inter suum regnum & mundi regna: ne quis somniet aliquem splendorem mundanum in regno Christi requiri. DEINDE vt ostendat non humana sapientia aut eloquentia & potentia colligi Ecclesiam per ministerium Euangelij, sed sua solius virtute. TERTIO. Ne Philosophi aut alii politici homines cauillarentur eloquentia & orationis maiestate motos esse homines, vt Christi Euangelium reciperent. QVARTO, Vt ministerium Euangelii non propter organa quibus Deus vtitur contemnamus: Sed potius cum summa gratiarum actione admiremur potentiam Dei in vasis testaceis. Non ergo spectemus, quis aut qualis sit qui doceat Euangelium: sed quis & quam potens sit cuius sunt organa qui docent.

Sequitur in tertio versu alia admirationis causa: *Quoniam* (inquit) *videbo cœlos tuos, opus digitorum tuorum, lunam & stellas quæ tu fundasti.*

Hoc dictum similiter ad vtrumque referendum est, videlicet ad cœlum hoc aspectabile, & ad cœlum spirituale, quod est Ecclesia. Nam ab illo in huius admirationem spiritu fertur. Vt enim in cœlo hoc visibili & magnifico opificio Dei, in quo lucent, Sol, Luna, & stellæ, maiestas & potentia Dei admiranda nobis commendatur: Ita in Ecclesia in qua Christus sol est (vnde omnis lux existit) lucent Prophetæ, Apostoli, aliique pii quos veluti stellas Dominus in regno Christi collocauit. Deinde vt cœlum hoc aspectabile in quo stellæ sunt fundatæ, ita vt extra circulos suos non dimoueantur, ab eodem conseruatur: Ita regnum Christi, solum Deum authorem habet, vt ab eo fundatum, & ab eo solo contra

portas inferorum defenditur.

Porro quod Deo digitos attribuat ἀνθρωποπάθεια est. Digitorum enim mentione significatur, tum potentia Dei, tum operis ab eo conditi, videlicet, mundi & Ecclesiæ excellentia, elegantia, gubernatio & directio. Obseruetur autem quod plura in homine sunt, quæ Deo κατ' ἀναλογίαν tribuuntur, nempe, anima animæque potentiæ: Item: membra corporis, vt caput, oculi, aures, os, facies, vultus, manus, digiti, pedes &c. Item, actiones, vt stare, sedere, ascendere, descendere, dormire, vigilare, visitare &c. Item: affectus, vt irasci, furere, pœnitere, misereri, zelare &c. Idque ideo vt istis similitudinibus deducamur in Dei cognitionem, & operum ipsius & prouidentiæ admirationem. Eandem etiam ob causam tribuuntur Deo & nomina animalium, & membra, videlicet, vt actiones Dei, & potentia cum bonitate, quasi nobis ob oculos pingantur.

Hinc intelligi potest, quam fœdus fuerit error Anthropomorphitarum, qui Deum putabant reuera habere membra humana vt homines, quia Scriptura hæc ei tribuit, quæ solui non potest. Hæc ratio si valeret, sequeretur eadem necessitate, Deum etiam alas & alia alia animalium membra habere: nam & hæc illi tribuit Scriptura. Atque ita Anthropomorphitæ ex Deo impiissime monstrum faciunt. Debent ergo qui versantur in Scripturæ lectione diligenter attendere inter κυριολογίας & τροπολογίας ne proprie dicta tropica, aut tropice dicta propria faciant. Quod qui non facit, sæpissime impingat necesse est. Vt quidam nostra ætate fascinatus est hoc argumento. Totus homo, quantus quantus est, est peccatum: Igitur peccatum est substantia. Sed fallitur. Mutatur enim genus prædicationis, videlicet, figuratum in proprium. Figurate enim homo peccatum dicitur, proprie vero substantia. Ratio figuræ est, vt sciamus peccatum hominis naturæ in hac vita, ita adhærere, vt omnino deponi non possit, etsi quotidie in sanctis minuitur.

SECVN-

SECVNDA PARS.

4. *Quid est homo quod memor es eius, & filius hominis, quia visitas eum?*

5. *Minuisti eum paululum ab angelis, gloria & honore coronasti eum.*

6. *Dominari fecisti eum supra opera manuum tuarum, omnia subiecisti sub pedibus eius.*

7. *Oues & boues vniuersos, insuper & pecora campi.*

8. *Volucres cœli & pisces maris, & quicquid transit semitas maris.*

AB admiratione operum Dei, quæ in cœli administratione conspiciuntur, delabitur Dauid in admirationem curæ maximæ: & beneficentiæ Dei erga hominem, quem principem constituit, supra opera manuum suarum.

Hæc fere summa est horum quinque versuum, quæ summa si euoluta fuerit, amplissimam doctrinam, & consolationes vberrimas nobis subministrabit. Quare singulos versus distinctius examinemus: vt omnia in nostros vsus melius transferamus.

Quid est, inquit, *homo, quod memor es eius?*

Miratur Dauid quod diuina maiestas se adeo demittat, vt hominis tantam curam gerat. Apud se enim Dauid confert Deum & hominem, ex quo fit, vt bonitatem & beneficentiam Dei erga hominem, satis admirari non possit. Cogitetur proinde hic primum hominis & Dei comparatio. Homo post lapsum (amisso fere imperio in creaturas, quod in creatione acceperat Adam) miser est & calamitosus, & propter peccatum infra omnes creaturas merito abiectus. (Nam vocabulum hominis Enosch, quo hic vtitur Dauid nomen habet a dolore, afflictione & miseria, quibus homines per totam vitam propter peccatum, obnoxii sunt) Deus autem supra cœlos excelsus beatus & fœlix, nullius indigens vt fiat fœlicior, cum per se & ex se sum-

me fœlix sit. Ex hac collatione hominis & Dei, in maiorem admirationem rapitur Propheta, quod Deus cum tantus sit, habeat nihilominus adeo magnam curam calamitosissimi hominis. Sunt qui vocabulum hominis, quo hic vtitur Dauid deducunt ab obliuione, quasi diceret, obliuiscens seu obliuiosus. Et videtur profectò Dauid huc respexisse, vt testatur Eusebius de præparatione Euangelica *libro* II. *capite* 4. acsi diceret Dauid, Quid est magis mirandum o Deus, quam quod tu memor sis hominis qui oblitus erat tui?

Et filius hominis, quoniam visitas eum?

Eiusdem sententiæ repetitio est, qua vt ostendit hominem bis ærumnosum esse, ita maxime admiratur tantam philanthropiam in Deo, quod eius memor esse voluerit, eumque tam clementer visitare. Respicit autem hoc loco Dauid ad originem hominis, cum ipsum appellat filium Adæ, qui de terra formatus est: quasi diceret: Quid magis admiratione dignum, quam quod tu cum sis cœlestis, tamen curam geras terreni hominis. Porro Deum memorem esse hominis, eumque visitare, Metalepsi Hebraica significat Deum curam habere hominis, ipsi prouidere plurimaque beneficia & benedictiones adferre, idque per & propter Filium hominem factum, vt totus Scripturæ consensus testatur. Hæc in nobis Fidem & timorem merito excitare debent. Fidem quidem ex eo quod erga nos sit φιλάνθρωπος: Timorem vero ne culpa nostra tanta excidamus gratia.

Quoniam autem hic mentio fit visitationis, qua Deus homines visitare dicitur, notandus est diuersus visitandi modus, qui quintuplex statui potest, alias enim visitat docendo, alias sanando, alias consolando, alias castigando, alias condemnando.

PRIMVM ergo visitat docendo, quando quid facere, quid fugere debeamus, docet: vt promissa bona assequamur, & effugiamus pœnas, quas minatur contumacibus.

SECVNDO visitat homines sanando, idque per Filium, vt Zacharias testatur *Luc.* I. Visitauit nos oriens ex alto.

ex alto. Filius enim Dei visitauit nos dum assumpsit humanam naturam in vnionē personalē, & manifestatus est Deus in carne. 1. *Timoth.* 3.

Tertio visitat nos Deus consolando, idque per Spiritum suum sanctum, dum nos consolatur, dum nos vngit, dū nos confirmat de hæreditate promissa, dū nobis succurrit & assistit in afflictionib. ne cruce fracti, confessionem abiiciamus.

Quarto visitat nos Deus castigando, estque hic visitationis modus testimonium iudicii Dei, & signum misericordiæ. *Iudicij* quidem, quia iuste punit in nobis peccatum, ne in nobis dominetur. *Misericordiæ* vero, quod pœna seu castigatione paterna reuocet ad resipiscentiam, vt saluemur. Nam sinere hominem impunitum, signum est diuinæ offensæ & abiectionis, iuxta illud *Oseæ* 4. Non visitabo filias vestras cum fornicatæ fuerint. Hic notetur dictum Bernardi: Deus visitat nos asperitate flagelli: cuius rei quinque sunt causæ: vt ab iniquitate corrigat: ne quis decollata virtute superbiat: vt virtus hominibus innotescat: vt alios eius exemplo compescat: vt Corona cumuletur & crescat.

Quinto visitat Deus homines condemnando, videlicet, cū homines sæpius admoniti verbis & beneficiis & verberibus, manent tamen contumaces. De hoc visitationis genere loquitur Ieremias *c.* 6. In tempore visitationis suæ corruent. Et Christus apud *Matthæum c.* 23. deplorat miseriam Iudæorum & significat fore vt Deus eos æternis pœnis propter suā contumaciam subiiciat.

Minuisti eum paululum ab angelis, gloria & honore coronasti eum.

Dominari fecisti eum supra opera manuum tuarum, omnia subiecisti sub pedibus eius.

Dignitatem hominis prædicat, ab excellentia, qua ipse eminet reliquis creaturis omnibus. Hæc dignitas congruebat. Primo homini condito ad imaginem Dei, antequam lapsus est in peccatum, & se sua culpa deiecit infra omnes creaturas. Deinde hæc dignitas Christo homini, idque propriissime congruit. Nam is solus ratione humanæ naturæ supra omnes creaturas euectus est, eo modo quo author Epistolæ ad Hebræos, & Paulus prima *Corinthiorum cap.* 15. ostendunt. Præterea hæc dignitas Christi propria, communicatur hominibus, quando per fidem ef-

ficiuntur membra Christi, & eius spiritu vegetantur, facti vnum corpus sub vno capite Christo. Hinc est quod Paulus Christum & ecclesiam, vnum Christum nominat, ad *Galat.* 3. Omnes vos vnus estis in Christo Iesu. Sed expendamus verba authoris Epistolæ ad Hebræos, & Pauli, quæ modum euectionis Christi hominis ad tantam gloriam definiunt. Author Epistolæ ad Hebræos explicans hos Psalmi versus, sic ait: In eo autem quod subiecit ei omnia, nihil omisit, quod non est ei subiectum, id est, nulla creatura excepta est, quæ illi non sit subiecta, Sequitur quæstio. At nunc nondum videamus omnia subiecta ei. Responsio. Sed ipsum (inquit) qui paululum imminutus est ab angelis videmus Iesum, propter passionem mortis, gloria & honore coronatum esse vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem. Atque ita author Epistolæ ad Hebræos hæc Psalmi verba accommodat ad humiliationem & glorificationem Christi, quæ est eminentia eius supra omnes creaturas, & simul fructum, qui inde ad nos homines manat, indicat: *Minuisti* (inquit) *eum* scilicet Christum hominem *paululum ab angelis.* Sic Elohim vocem Hebraicam vertit Chaldæus, & epistola ad Hebræos: & sic sumitur *Psalm.* 82. & 138. Quomodo? Per passionem & mortem, vt victa morte, gloria & honore coronaretur supra omnes creaturas, idque per gloriosam resurrectionem, ascensionem in cœlum, & sessionem ad dexteram Patris. Atque hoc vult, cum subiicit: *Constituisti eum supra opera manuum tuarum*, videlicet, vt omnium rerum plenum dominiũ habeat, vt omnia sua maiestate impleat in cœlo & in terra, vt flectat se omne genu coram ipso, cœlestium, terrestrium & infernorum. Eandem sententiam per correlatiuum repetit cum subiicit:

Omnia subiecisti sub pedibus eius.

Vt intelligamus etiam angelos homini Christo esse subiectos. Atque hoc est quod ipse Dominus apud Matthæum ait: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra hoc est, super omnes creaturas, quæ sunt in cœlo & in terra. Vtque nos in eandem gloriam cum capite Christo, suo tempore, euectum iri sciamus, iuxta illud: Si simul patimur, simul etiã glorificabimur.

Paulus 1. *Corinth.* 15. petit testimonium ex his Psalmi versibus de duobus rebus maximis, videlicet, de debellandis & abo-

abolendis hostibus Christi, atque adeo morte ipsa: & de gloria Christo & Ecclesiæ ipsius communi: Ita enim ait: Vltimus autem hostis, abolebitur mors: nam omnia subiecit sub pedibus illius. Cum autem dicit quod omnia subiecta sint ei: palam est, quod hoc dicitur, extra eum qui subiecit ei omnia. Cum autem subiecta fuerint ei omnia, tunc & ipse Filius subiicietur ei, qui subiecit ei omnia, vt Deus sit omnia in omnibus. Hactenus Paulus.

Ex his Pauli verbis plura concluduntur. *Primum* quod Christus defunctus suo ministerio in terra, & ad dexteram Patris euectus, omnem potestatem acceperit in cœlo & in terra, vt omnium creaturarum sit rex & Dominus. Id quod Paulus ad *Ephesios* 4. etiam ostendit his verbis: Suscitauit eum ex mortuis, & collocauit ad dexteram suam in cœlis, longe supra omne imperium, potestatem, & potentiam, & dominium, & omne nomen quod nominatur: non solum in seculo hoc, sed etiam in futuro, & omnia subiecit sub pedes eius, & eum constituit caput super omnia ipsi Ecclesiæ.

Secundum. Quod tametsi Christus homo sit rex cœli & terræ, tamen Patri ipse est subiectus. Nam Pater omnia, vt hic Paulus testatur, præter seipsum, filio homini facto subiecit. Hinc promptissimum est iudicare de exaltatione humanæ naturæ Christi, quousque se extendat. Nam cum Paulus hic Christum secundum humanam naturam Patri subiectum esse affirmat, & nihilominus eundem supra omnes alias creaturas collocat: sequitur, quod tametsi Christus secundum humanam naturam excellit maiestate, potestate, gratia & gloria, cæterisque donis gratuitis, creaturas omnes, & mirum in modum excellit: tamen nihilominus minor Patre manet eidemque subiectus, qui omnia ei dedit atque subiecit præter seipsum. Dignitas ergo atque incomparabilis eminentia Christi hominis, quamuis ab immensa celsitudine distat, tamen in alia creatura nulla, quæcunque tandem illa sit locum vllum obtinet. Constanter ergo maneamus apud Symbolum Athanasij, in quo hæc est confessio: Æqualis Patri secundum diuinitatem, minor Patre secundum hu-

manitatem. Proinde ita maiestatem Christi hominis deiendamus, ne cum Eutichete naturam ipsius humanam aboleamus.

Tertium. Quod resuscitatis mortuis Christus homo iam integer, id est, ipse cum corpore suo quod est Ecclesia, Deo plene subiicietur: vt omnes plene Dei gratia impleantur, atque adeo Dei contemplatione in æternum perfruantur, euecti supra omnes choros angelorum. Atque ita Christus semper eminebit, tum quia Deus est, Patri in omnibus cum spiritu sancto æqualis, tum quia caput Ecclesiæ est, quæ cum illo semper coniuncta erit: non amplius militans, vt nunc, sed in gloria triumphans. Vt enim hic Christi regnum consistit in gubernandis fidelibus, & debellandis hostibus: Ita post resurrectionem debellatis hostibus, & fidelibus secure visione Dei fruentibus, Christus cum Ecclesia victoria parta æternum fruetur. Huius victoriæ cum sempiterna fœlicitate coniunctæ spes certa nos erigat, ne vel in rebus aduersis dependeamus animum, vel in prosperis faciamus aliquid indecore, nostra vocatione indignum. Huc vocat nos Paulus cum ait: πολίτευμα nostrum est in cœlis, vnde expectamus saluatorem Dominum nostrum Iesum Christum. Nam cum hic aduenerit & iudicauerit orbem, tradat Patri regnum, hoc est, Ecclesiam, cuius ipse caput est. Nam non amplius vllum incommodum aut periculum timendum erit, sed Deus pacificatus omnibus, erit omnia in omnibus: hoc est, omnia ad Deum tanquam vnicum suum principium & finem, atque adeo caput reducentur in Christo, & hæc erit illis ἀνακεφαλαίωσις, cuius meminit Paulus, *Ephes.* 1.

Oues & boues vniuersos, insuper & pecora campi.
Volucres cœli & pisces maris, & quicquid transit semitas maris.

Generis est in species distributio, eaque non plena, vt ex interpretatione Pauli quam adduximus constat. Solummodo enim exempli gratia quasdam species creaturarum recensuit, alludens ad primum hominem, cui datum erat dominium in creaturas, vt *Genes.* 10. scribitur: Dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & omni bestiæ repenti super terram. Hoc dominium etsi im-

minu-

minutum est post lapsum primorum parentum, non tamen prorsus ademptum est, sicuti experientia testatur. Verum hoc dominium, vt Paulus docet, 1.*Cor.* 15. typus fuit dominij, quo Christus filius hominis cum suis membris fieret Dominus omnium rerum, adeo etiam vt vltimus hostis mors, in ipsius glorioso aduentu aboleatur.

Postremus versus qui idem est cum primo *Iehouah Domine noster, quam admirabile est nomen tuum, in vniuersa terra:* Eo pertinet, vt admoneamur officium nostrum esse, sæpe apud animum recolere & prædicare admirabilia Dei opera cum creationis & gubernationis, tum saluationis, eamque semper summa cum admiratione contemplari: Deo gratias pro suis ingentibus beneficiis mente, voce, atque adeo tota vita semper agentes.

Vsus Psalmi Octaui.

Vsus huius Psalmi hic est, vt quoties recitamus hunc Psalmum, & intuemur hoc pulcerrimum opificium Dei, quod in oculos nostros incurrit, simul cogitemus de regno Christi spirituali, & de fœlicitate æterna, quæ ciuibus regni Christi promissa est. Atque adeo toti in hoc incumbamus, vt huius regni ciues inculpati inueniamur. Id quod nobis Pater cœlestis, per & propter regem nostrum Dominum Iesum Christum, qui est in gloria Patris clementer largiatur. AMEN.

PSALMVS NONVS.

Summma Psalmi Noni.

IN hoc Psalmo Dauid gratias agit Deo, pro insigni quadam victoria, in qua victor insultat hosti prostrato. Hinc prædicat iustitiam Dei, suos in tempore vindicantis, & iuxta precatur, vt Deus memor afflictionis Ecclesiæ, improbos & hostes Ecclesiæ reprimat. Etsi autem hoc genus tenere, ad intelligendum Psalmum sufficere videtur, tamen valde verisimilis est eorum sententia, qui existimant Dauid hic Deo gratias agere propter prostratum a se Goliath Philistæum, insultantem exercitui Domini. Alij intelligunt de morte Laban, cuiusdam ducis Philistinorum, id quod titulus videtur velle, si Al muth diuisim legas. Verum quia de titulo, alij aliud diuinant, illum vt incertum relinquo.

Ordo & dispositio Psalmi Noni.

Docendi gratia, & vt melius omnia ad nostros vsus transferamus, septem partes huius Psalmi constituantur.

Prima, quæ absoluitur sex primis versibus, continet gratiarum actionem, cum ratione à beneficiis recens a Deo acceptis sumpta.

Secunda, 7. & 8. versu contenta, habet promißionem vindictæ sumendæ de hostibus Dauidis.

In hac

In hac parte David accommodat ad totam Ecclesiam, beneficium sibi præstitum.

Tertia continetur 9. & 10. versibus, & est insignis promißio, ad vniuersam Ecclesiam omnium temporum pertinens, videlicet, quod Deus nolit suos deserere, sed iis opem ferre in neceßitate.

Quarta inuitat Ecclesiam ad celebrandum Deum pro suis beneficiis, & hæc pars absoluitur 11 & 12. versu.

Quinta quæ 13. & 14. versu continetur est precatio, cui ratio subiicitur.

Sexta, 15. & 16. versu comprehensa, est expositio iudicij Dei, aduersus gentes, quæ Ecclesiæ Dei struunt insidias.

Septima a 17. versu vsque ad finem est imprecatio, qua hostibus Ecclesiæ interitum optat: cui precationem rursus annectit.

Ex his simul consideratis facile est videre, quomodo cor Dauidis erga Deum, Rempublicam & Ecclesiam fuerit affectum. Hunc ergo affectum erga Deum Rempublicam, & Ecclesiam imitemur & nos, & pro vocationis nostræ ratione pugnemus pro Ecclesia & Republica precibus & armis, gratias semper Deo agentes.

Ex his iam facile intelligitur, quod hic Psalmus si finem spectes, sit triumphalis & Eucharisticus, demonstratiui generis. At si partes consideres, est mixti generis, partim enim triumphalis & Eucharisticus, partim precatorius, partim comminatorius & increpatorius, & si typum ad antitypum accommodes, poterit totus hic Psalmus Propheticus dici.

Est enim victoria Dauidis, quæ hic describitur, typus victoriæ Christi & Ecclesiæ.

EXEGESIS PSALMI NONI CVM INDICATIONE doctrinarum.

PRIMA PARS.

1. *COnfitebor(tibi) Iehouah in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua.*

2. *Lætabor & exultabo in te, psallam nomini tuo altissime.*

3. *Quod conuersi sint inimici mei retrorsum, impegerint & perierint a facie tua.*

4. *Quoniam fecisti iudiciũ meũ & causam meam, sedisti in solio, qui iudicas iusticiam.*

5. *Subuertisti gentes, perdidisti impium, nomen eorum deleuisti in seculum, & in sempiternum.*

6. *Inimice, finitæ sunt solitudines in seculum, &*

HÆc gratiarum actio est pro debellatis hostibus populi Dei, & prostrato immani Gigante Goliaht, qui populo Dei insultabat, minabatur excidium, & vastationem cogitabat.

Confitebor(tibi) *Iehouah, in toto corde meo*: hoc est: tibi o Deus gratias ago pro deuictis hostibus, tibi soli totã hanc victoriã acceptam fero, idque non simulate aut ficte, sed serio & ex intimo cordis affectu. Sapiens enim anima (vt ait Seneca) examinabit a quo accepit, quãtum, quando, & vbi: Quas circunstantias Dauid hoc loco sapienter perpendit. Confiteri hic ponitur Synecdochichos, pro gratias agere, partem enim pro

vrbium memoria quæ destruxisti periit cum ipsis. toto posuit,quod frequenter occurrit in Psalmis. Sunt autem tria in hac propositione, quæ in vera gratiarum actione requiruntur. Horum *Primum* est confessio. *Confitebor*, inquit, *tibi o Iehouah.* Hac confessione Dauid publice testatur se diuinitus adiutum esse, contra tam immanem hostem. *Secundum*, promissio gratitudinis ex toto corde,id est,ex fiducia cordis. Per cor enim fidem intelligit. Nam fides affectus qui in corde sunt, regit.

Et narrabo omnia mirabilia tua. Hic gratitudinis effectus est,seu potius ipsa gratitudo. Atque hoc promittit Dauid, vt homines audientes Dei laudes,ad illum conuertantur. Etsi enim Deus,vt est spiritus, ita etiam spiritu potissimum colitur:tamen propter aliorum commodum, etiam externum officium requirit. Sed

Quomodo Dauid promittit se narraturum omnia mirabilia Dei,cum ne minimam partem eorum intelligat?

Oratio Dauidis hyperbolica est, qua potius voluntas Dauidis, quam facultas significatur. *Tertium*, lætitia & exultatio cordis,acceptantis beneficium diuinum: *Lætabor & exultabo in te*, non in me aut in exercitu. Hic proinde nobis tres virtutes, quæ in vera gratitudine concurrunt, commendantur, videlicet Veritas, qua agnoscitur beneficium acceptum, Iusticia, qua redditur Deo gratiarum actio & verus Amor erga benemeritum.

Quoniam autem hic locus commendat nobis vnum ex præcipuis capitibus cultus diuini, libet huc quædam ascribere,de gratiarum actione,quæ Deo fit.

Gratiarum actio quæ Deo fit duplex est,vna polluta, sancta altera.

Polluta gratiarum actio est eorum hominum, quorum & conscientia polluta est, qui Deo quidem agunt gratias verbis, corde autem minime. Hanc gratiarum actionem,ipse Dominus damnat,*Esaiæ cap.29.*Appropinquat populus iste ore suo,& labiis suis glorificat me.Cor autē eius longe est a me.Talis fuit grariarum actio Pharisæi, *Luc.* 18.

vnde etiam Pharisaica & hypocrita dici solet. Hæc causas quidem habet, ignorationem Dei & beneficiorum eius, fiduciam propriorum meritorum, & propriam dignitatem. Fines vero, gloriam propriam & opinionem sanctitatis apud alios homines, *Matth. 6.* Etsi autem qui tales sunt, habent externos piorum gestus, tamen affectus piorum minime habent. Quare horum gratiarum actio, nomine tantum sic dicitur, cum reuera sit mera abominatio coram Deo, & turpissimus abusus nominis diuini, quo Deus contumelia afficitur potius quam glorificatur. Porro in hac polluta gratiarum actione peccatur multipliciter, videlicet: *Defectu*, quia Hypocritæ, vt iam dictum est, fidem non adferunt, sine qua nihil quod fit ab homine Deo placet. *Affectu*, quia tacite sibi tribuunt illud pro quo gratias agere Deo se verbis simulant. Quare profecto nihil est vanius. *Obiecto* interdum seu materia, cum successum in rebus malis Deo acceptum ferunt, quod sane nihil aliud est, quam Deum authorem peccati facere, Interdum *Modo*, cum præceptis hominum Deo gratias agunt, contra ipsius interdictum. Frustra me colunt mandatis hominum.

Sancta gratiarum actio eorum solummodo est, quorum mens luce Dei, id est, verbo & Spiritu sancto est illuminata, & cor fide purificatum, hoc est, Sanctorum. Sanctos autem voco, quorum peccatum remissum est, & quibus iustitia Christi est imputata, quique affectu tenent & optant sanctitatem, etiamsi se peccatores merito fatentur. Si enim dicimus, quod peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Hæc sancta gratiarum actio recte definiri potest, esse vera agnitio, & vera confessio beneficiorum diuinitus acceptorum, per & propter Iesum Christum, vna cum gratitudine mentis, prædicatione bonitatis Dei, & studio placendi Deo per eundem Iesum Christum. Hanc sanctam gratiarum actionem, Dauid sacrificium laudis nominat *Psalm. 50.* Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua: Inuoca me in die tribulationis, eruam te, honorificabis me. Ex eo autem, quod gratiarum actio nominetur a Dauide sacrificium, sequitur

Deum

Deum gratiarum actionem ſerio a nobis requirere, ei placere & eſſe ſumme gratam, modo condiatur ſale, hoc eſt, vera & viua in Deum fiducia.

Porro ad maiorem noſtri inſtitutionem de ſancta gratiarum actione, ſpectentur in ea plura, videlicet, materia, cauſa, finis, forma.

Materia gratiarum actionis eſt quicquid beneficiorum nobis diuinitus exhibetur. Hic tria beneficiorum genera, quæ a Deo proficiſcuntur, animo recolenda ſunt, videlicet, generalia, ſpecialia, & ſingularia.

Generalia beneficia nobis cum omnibus hominibus communia, ſunt *Primum* Creationis: ipſe enim fecit nos, & non ipſi nos, vt ſimus populus eius, & oues paſcuæ eius. *Pſalmo* 100. *Deinde* ſuſtentationis: In ipſo enim viuimus, mouemur & ſumus. *Actorum* 17. *Tum* liberalitatis: Omnia enim Deus fecit propter nos, videlicet, vt noſtris vſibus ſeruiant. *Quarto* miſericordiæ, quod totum genus humanum in Adamo lapſum non perdiderit, vt meritum erat, ſed omnibus hominibus promiſcue gratiam in promiſſo ſemine obtulerit. Quis tanta beneficia ſatis admirari? Quis pro his dignas Deo gratias agere poterit?

Specialia beneficia Dei voco, quæ tametſi oblata ſunt omnibus hominibus, tamen ſola Eccleſia, eorum fit particeps, quia audit vocem Euangelii, quæ offert omnibus ſalutem in Chriſto, quem Pater ex mera dilectione tradidit in mortem pro nobis, vt nos purgaret a peccato, eriperet a poteſtate Diaboli, iuſtificaret & glorificaret. Quanta autem ſint hæc beneficia, ex collatione malorum, a quibus liberati ſumus, & bonorum, quæ nobis in Chriſto collata ſunt, aliquo modo cogitari poteſt. Sed ſatis hoc admirari ne angeli quidem poſſunt. Pro his tantis beneficiis, qui Deo gratias non agit, is certe non homo, ſed truncus potius cenſendus eſt.

Singularia beneficia Dei voco, quæ ſingulis noſtrum ſeorſim, præter illa generalia & ſpecialia, præſtita ſunt, & quotidie præſtantur. Cogita quoties

peccasti, & ex misericordia tibi parsum est, tempusque datum ad resipiscentiam. Perpende quoties e magnis periculis diuinitus sis liberatus, præter omnem expectationem. Recole quanta beneficia in te quotidie effundat diuina bonitas. Tot enim sunt (vt Bernardus ait) Dei beneficia erga te, quot sunt vitæ momenta. Recognosce, quod omni momento, inde vsque a natiuitate tua, huc vsque, Deus e faucibus Diaboli te eripuerit & eripiat. Quilibet enim nostrum, similis est quodammodo Danieli, cum versaretur in lacu leonum, quibus Deus ora clausit, ne Danieli nocerent. Sic enim Petrus ait: Diabolus quasi leo rugiens circuit & quærit quem deuoret. Sed quis potest beneficia illa cogitare, quæ singulis nostrum Deus quotidie præstat, nedum recitare? Pro his ergo qui semper non agit gratias Deo, non solum ingratus est, verum etiam sacrilegus & præcludit sibi aditum ad maiora beneficia Dei percipienda. Sic enim Augustinus ait: Non est dignus dandis, qui non est gratus datis. Nos igitur exemplum Dauidis potius sequamur, qui *Psalmo* 34. ait: *Benedicam Dominum in omni tempore, & semper laus eius in ore meo.* Quasi diceret: Quia semper mihi benefacit Deus, semper illum benedicam, eique gratias agam. Notetur hic circunstantia temporis, cum dicit *in omni tempore & semper.* Vult enim Dauid vt in omni ætate, pueritia, adolescentia, iuuentute, senectute, & in agone mortis Deo gratias agamus. Vult vt nocte & die & indesinenter agamus gratias. Vult vt in aduersis & prosperis Dei bonitatem prædicemus. Sicut & Paulus *prima Thessal. capite quinto* monet, cum ait: Pro omnibus gratias semper agentes Deo & Patri. Siue ergo prospera, quibus recreamur, siue aspera, quibus castigantur nobis eueniunt, semper Deum prædicabimus. Verum hic tenendum est discrimen. Si enim quid aduersi contingit imitaberis latronem dexterum, ac primum aduersitate ipsa seu cruce, qualiscunq; tādem fuerit, admoneberis pecati tui & pœnitentiæ. Est enim quæuis aduersitas testimonium iudicii diuini aduersus peccatum. Deinde aduer-

sitatem

ſitatem qua premeris, reputabis eſſe paternam caſtigationem optimi Patris, erudientis te cruce, vt ea caſtigatus reſipiſcas ac emenderis, ne pereas in peccato tuo. Ad hæc pro paterna caſtigatione ex vero corde gratias ages Patri cœleſti, per Ieſum Chriſtum, ſimul petens patientiam ſub cruce, deinde liberationem aut mitigationem. Nec dubium eſt, quin Deus ſit mitigaturus ærumnas, iis qui cum Iob exclamant: Dominus dedit, Dominus abſtulit: Sit nomen Domini benedictum. Nam Deus abſque omni dubio ſeruabit regulam. 1. *Sam.* 2. Glorificantes me glorificabo. Verum ſi quid proſperi euenit, debes vere ſtatuere, iſtud non caſu, non merito tuo & induſtria, ſed Deo dante & benedicente tibi contigiſſe. Etſi autem pro his tantis beneficiis, quæ enumerauimus, quotidie gratiæ Deo debentur: tamen omnibus modis, redemptionis & ſaluationis beneficium præferendum eſt, pro eoque maximæ ſunt ſemper Deo agendæ gratiæ: Vnde (ait Auguſtinus) maiores ſunt gratiæ agendæ Deo, quam pro ipſius gratia, per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum?

Cauſæ gratiarum actionis, quæ Deo fit plures ſunt, quarum præcipuas ordine recitabo.

Prima, mandatum Dei, cui non paret, fidem & ſpiritum ſanctum excutit, & fit ethnico deterior. Mandatum autem hoc ſæpius repetitur in ſcripturis: Prima tabula tota requirit gratitudinem erga Deum. 1. *Theſſalonic.* 5. Semper gaudete, ſine intermiſſione orate, in omnibus gratias agite. Hæc eſt enim voluntas Dei in Chriſto Ieſu. *Coloſſ.* 3. Omne quodcunque facitis aut in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti facite, gratias agentes Deo & Patri. *Epheſeorum* 5. Gratias agentes ſemper pro omnibus.

Secunda Debitum officium, ſeu ipſa iuſticia, quæ iubet reddere cuique, quod ipſi debetur. In hac iuſticia eſt gratitudo, quæ eſt naturalis quædam obligatio, qua obligamur lege æterna, ad reddendam gratiam benemeritis, & maxime meritis ſummam gratiam. Cum ergo Deus eſt in quo ſumus, mouemur, & viuimus, & a quo beneficia illa triplicia,

quæ proxime recitauimus, percipimus: profectò summa illi & æterna gratia debetur, idque pro omnibus quæ habemus, videlicet, naturalibus & gratuitis, carnalibus & spiritualibus, temporalibus & æternis. Hoc ergo nostrum officium semper cogitemus.

Tertia, Est propria vtilitas. Qui enim gratias iugiter agit Deo, agendo gratias, plura impetrat. Sicut rectè Seneca ait: Gratiarum actio est ad plus dandum imitatio. Et Chrysostomus ait: Gratiarum actio est caput omnis boni. Nam vbi iugis est gratiarum actio, ibi fides confirmatur, spes roboratur, charitas Dei & proximi augetur, dona spiritus conseruantur & cumulantur, adeo vt etiam ipse Diabolus inde contristetur, & confundatur fugiatque. Huc pertinet illud Augustini: Semper perirem, nisi tu me semper regeres, semper morerer nisi tu me semper viuificares: Omni ergo momento me tibi obligas, dum omni momento mihi tua magna beneficia præstas. Et illud: Qui semper in gratiarum actione est, semper in gaudio spiritus est, semper proficit in melius, semper victoriam obtinet aduersus principem tenebrarum, semper ditatur in spiritualibus donis, semper in choro angelorum est, qui perpetuam Deo laudem canunt.

Quarta. Exemplum Christi, qui sæpe legitur gratias egisse Patri, vt *Matthæ*. 11. & 26. *Marc*. 6. & 14. *Lucæ* 9. & 22. *Iohannis*. 6. & 17. & alibi sæpe. Nunc autem cum Christus ipse dicit: Exemplum meum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, & vos faciatis. Ex quo dicto hæc regula fluit. Omnis Christi actio, nostri est instructio. Quicunque ergo volunt de Christo vere gloriari, & Christiani iure appellari, sciant suum officium esse, Christi exemplum gratias Deo semper agendo imitari.

Quinta. Imitatio Sanctorum, qui semper occupati leguntur, in cultu inuocationis Dei, & gratiarum actionis. Nam hæc duo, inuocatio & gratiarum actio, nunquam a se inuicem separari debent. Siquidem gratiarum actio ad omnem inuocationem aditum facit.

facit. Moses & Israel gratias agunt Deo pro accepto beneficio *Exod.* 15. Melchizedech gratias agit Deo quod victoriam dedisset Abrahæ, *Geneseos* 14. Debora & Barach, gratias agunt Deo, post victum Sisaram. Quid dicam de Prophetis omnibus, quid de Apostolis, qui semper in precationibus, & gratiarum actionibus versabantur? Paulus in omnibus suis Epistolis, sæpe erumpit in gratiarum actionem. Denique nullus sanctorum vnquam fuit,qui non plurimum in precibus & gratiarum actione occupabatur. Horum proinde exempla & nos imitemur,vt in Sanctorum numero nos esse declaremus.

Sexta, ædificatio aliorum. Nemo enim sibi natus est, sed vt aliis in bonum seruiat. Nunc autem cum nihil præstari homini melius potest, quam vt Deo iungatur & eum celebret: statuat vnusquisque suum officium esse, vt & voce & exemplo alios ædificet in Domino. Quam fuerit huius rei studiosus Dauid, qui erat typus Ecclesiæ & singulorum in Ecclesia, apparet in Psalmis. Quoties enim ipse gratias agit Deo, toties alios suo ædificatexemplo, vt & illi gratias Deo agere discant. Magnificate, inquit, Dominum mecum, & exaltemus nomen eius simul. Huius rei gratia fiunt conuentus Ecclesiastici, vt alii alios ad inuocationem Dei, & gratiarum actionem inuitent.

Septima, Vniuersitas creaturarum inuitat hominem ad gratiarum actionem Deo reddendam, idque tribus modis. *Primo* quia creaturæ quas videmus omnes sunt propter hominem conditæ, & homini datæ vt homo illis vtens agnoscat datorem, eique gratias pro suis donis agat. *Secundo* creaturæ nos inuitant ad gratiarum actionem, suo exemplo. Nam cum ordinem suæ conditionis constanter seruant, monent nos vt similiter faciamus, quod tum demum facimus, cum Deo debitum cultum, cuius præcipua quædam pars est gratiarum actio, reddimus. Auiculæ mane beneficium solis sentientes exultant & lætantur, ac cantu suo Deum solis authorem suo modo celebrant, eique gratias agunt. Huc pertinet illud Danielis 3.

Benedicite opera Domini Domino: Laudate & superexaltate eum in secula. Huc pertinet totus Psalmus 148.

Tertio, inuitant nos creaturæ visibiles ad gratiarum actionem Deo reddendam, ordine quem obtinent. Nam omnes visibiles creaturæ homini subiectæ sunt, & homo earum est Dominus, a Deo constitutus. Hoc ergo dominium suum in creaturas homo cogitans, non potest non, nisi ingratissimus esse velit, gratias agere Deo, qui sibi tot creaturas subiecit, vt sibi essent ordine inferiores. Narratur pulcra historia ab Antonino, recitatum a Luthero, de quodam pio sene, qui presente quodam Epicureo, cum summa lætitia exclamabat in hunc modum: Benedictus Dominus Deus in æternum, qui tot, tam varias & mirabiles creaturas fecit, e quibus nulla plane est tam exigua & contempta, quæ me non doceat creatorem laudare, eique sempiternas gratias agere. His auditis Epicurus subridens ait, Age bone vir, num & bufo te Deum laudare docet? Dic si quid habes, quod a tam deformi & abiecto magistro discas. Respondet vir sanctus: Plurimum sane o amice: Mouet enim me bufo, quoties illum intueor, vt ex toto corde, Deo gratias agam. Nam cum istud animal venenatum, atque adeo abiectum & deforme video, cogito, quod res est, Deum potuisse me talem creasse: Quare illi ex animo gratias ago, quod talem me non fecerit, sed hominem potius ad suam imaginem longe pulcerrimam, formatum voluerit. Et simul suppliciter rogo, ne me moribus tam turpi animali similem fieri permittat. Hoc exemplum ad totum genus vilium animalium transferamus.

Quid dicam de creaturis inuisibilibus nempe Angelis malis & bonis? An non & ipsi ad gratias Deo agendas merito excitare debent? maxime sane. Vtrique enim & mali & boni angeli, nos ad gratitudinem erga Deum excitant, sed diuersimode. Cum enim de malis angelis cogito, simul & eorum casum damnationemque iustissimam perpendo. Verum quia optimus Deus misertus est mei, abiectis angelis malis, ago illi

go illi gratias pro sua bonitate erga me: & simul precor vt opus redemptionis meæ tandem perficiat, per aduentum filii sui, saluatoris mei Iesu Christi. Quantum autem ad bonos angelos attinet, illi etiam nos inuitant ad gratiarum actionem, idque tribus modis, videlicet, ministerio, exemplo, & statu in quo sunt. *Ministerio*, cum legimus eos esse ministros Ecclesiæ, seu ministratores spiritus, qui ministerii causa mittuntur, propter eos qui hæredes erunt salutis, merito agimus gratias Deo pro hoc tanto beneficio, quod nunquam satis laudari poterit. *Exemplo*, cum illi iugiter in cœlo Deum celebrant, & a nato Christo, semper gloriam Deo canunt, propter ingentem illam misericordiam erga genus humanum, quod voluerit filium suum hominem fieri, vt nos seruaremur per ipsum: multo magis nos decere monemur, vt Deo perpetuas agamus gratias, quorum causa natus est filius. *Statu*, cum angelos bonos in statu suo beatos & fœlices esse cogitamus, gratias agamus Deo, qui nos ad eorum perpetuam societatem vocauit.

Octaua: Consideratio miseriæ hominum eorum qui sunt extra Ecclesiam Dei, in regno tenebrarum, sub imperio Satanæ, quales sunt Turcæ & profanæ gentes aliæ. Hæc miseria plurimum nos accendere debet ad gratias Deo agendas, quod nos ab ista seruitute miserrima liberauerit, & transtulerit in regnum filii sui dilecti, regat nos verbo & spiritu, donet nobis pios & sinceros doctores, alat nos pane cœlesti, in vitam æternam, det religiosum & pium magistratum, sub quo tranquille, quiete, pie, & honeste viuere liceat. Hæc ingentia Dei beneficia cogitemus, & pro iis gratias agamus Deo clementissimo patri nostro, per Iesum Christum, quoties nobis in mentem venit Turcica barbaries & tyrannis, & aliarum gentium, quæ sunt extra Ecclesiam prophanitas & miseria.

Has causas impulsiuas gratiarũ actionis sæpe in mentẽ reuocare vtile est, quæ tũ nos efficaciter impellent ad agẽdum gratias Deo, si donati fuerimus spiritu Dei, qui non solũ gratiarum actionis: verum etiam omnium bonarum actionum fons & author est. Quare perpetuo vt omnium actionum bonarum causa agnoscendus est. Hic enim & rationem illustrat, & voluntatem mouet, vt & intelligamus & velimus

quæ pia & honesta sunt.

Finis Gratiarum actionis, sicut omnium nostrarum actionum diligenter considerandus est. Nam qualis finis nobis propositus est, talis & actio nostra censeri debet: siquidem finis est cuius gratia fit & suscipitur aliquid. Cum ergo gratiarum actio fit & suscipitur, vt Deo suus debitus honor tribuatur, sequitur finem gratiarum actionis esse, Deo laudem pro suis beneficiis tribuere, eoque pertinere nostram gratiarum actionem, vt ipsi soli gloria tribuatur, qui solus finis & creati & redempti hominis est, iuxta illud *Esaiæ* 43. Omnem qui inuocat nomen meum in gloriam meam creaui eum, formaui eum & feci eum. Etsi autem hic est summus & primarius finis gratiarum actionis, tamen alii subordinati sunt plures, qui tamen primario & summo semper seruiunt. Vnde non inepte dixeris fines gratiarum actionis esse, vt ostendamus nos Deum agnoscere esse fontem omnis boni: vt nos segregemus hac confessionis nostræ parte, ab ingratis Cyclopibus & Epicureis, qui diuina beneficia non agnoscunt, tantum abest, vt Deo sint grati: vt alii nostro inuitentur exemplo, ad gratias Deo reddendas, per Iesum Christum. Atque hæc ita breuiter & de fine gratiarum actionis supremo, & de subordinatis qui principali destinantur dicta sufficiant.

Forma Gratiarum actionis quæ Deo fit a fidelibus reliqua est, quæ sola facit, vt gratiarum actio nomen suum tueatur, hoc est, vt sit quod nominatur. Vt enim in generatione physica forma dat esse rei, vt dicitur: vnde & res nomen habet: ita in actionibus moralibus, cuiuslibet actionis forma, qualitatem seu faciem operi apponit. Quare quænam sit veræ gratiarum actionis forma diligenter spectandum est, ne fuco aliquo fallamur. Quoniam autem plures virtutes in gratiarũ actione, quæ Deo fit concurrunt (vt supra admonuimus) & præcipue Veritas, Iusticia & Amor. Primum videndum est, quæ sit istarum in nostris animis forma. Deinde totius, hoc est, ipsius gratiarum actionis formam spectabimus. *Veritas* quæ primum locum in gratiarum actione merito occupat, formosissima est. Nam pars imaginis Dei est, ad quam homo est conditus. Vt enim Deus ipse essentialis quædam veritas est. Ita homo amans veritatis ipsum Deum quodam modo refert. Præclare Pythagoras interrogatus, qua maxime re homines Deo similes essent, respondit: εἰ ἀληθεύοιεν, id est, si ve-

ſi veraces ſunt. Huius veritatis forma eſt conſenſio mentis & orationis cum reipſa. Hæc ergo Hypocriſin & mendacium, quæ ſunt a Diabolo, iuxta ſe non patitur. Hypocriſis enim aliud ſentit, aliud ſimulat: Mendacium aliud ſentit, aliud loquitur. Vtrunque eſt alieniſſimum a natura Dei ideoque cum veritate pugnat. Deinde in gratiarum actione eſt Iuſtitia, quæ merito prædicatur à Philoſophis, aurora & heſpero formoſior, quæ & ipſa pars imaginis Dei dicitur eſſe in homine. Nam vt Deus quædam eſſentialis iuſtitia eſt: ita homo colens iuſtitiam, cum Deo quodam modo communicat, & quaſi homo diuinus efficitur. Huius autem iuſtitiæ forma in nobis eſt congruentia affectuum & voluntatis in homine, cum recta ratione. Eſt autem recta ratio, quæ verbi Dei regulam ſequitur. *Amor* tertia virtus, quæ in gratitudine erga Deum ineſt. Hic ſimiliter eſt pars imaginis Dei in homine. Deus enim, vt Apoſtolus ait, charitas eſt, 1. *Ioh.* 4. & qui in charitate manet, in Deo manet, & Deus in eo. Huius amoris forma eſt, copulatio amantis cum amato: Cuius cauſa eſt ſimilitudo. Habet enim hic amor Chriſtianus de quo loquimur, quandam cum diuina natura communicationem. Has tres virtutes, Veritatem, Iuſtitiam, & Amorem ipſa Fides, earum parens ornat, & faciem ipſis apponit, vt nihil ſit ipſis formoſius, nihil amabilius, nihil iocundius: Quę ſi oculis videri poſſent, omnes in ſui admirationem & amorem allicerent. His ita declaratis breuiſſime de virtutibus, quæ in gratiarum actione concurrunt, & de earum formis: videamus nunc, quænam ſit totius gratiarum actionis forma, cum interna, quæ eſt pulcrior, tũ externa, quæ eſt internę quædam teſtificatio. *Interna* forma gratitudinis ſeu gratiarum actionis, quæ Deo fit, eſt pulcerrimus quidam ſplendor in anima hominis, ab ipſa veritate & iuſtitia & amore emicans, cum videlicet homo toto corde agnoſcit beneficium acceptum, merum donum Dei eſſe, non ſuo merito ſibi collatum, ſed per & propter Chriſtum ſibi donatum, vt Deum & mente, & corde, & tota vita celebret. *Externa* forma gratitudinis eſt teſtimonium, quod ore fit, de beneficio accepto. Et ſi hæc externa forma manat ab interna, admodum laudabilis eſt, & eſt ſeria oris & totius vitæ teſtificatio & agnitio beneficij accepti, per & propter meritum Ieſu Chriſti. Hanc vtranque formam gra-

tiarum actionis commendat nobis Paulus, quoties nos iubet gratias Deo agere, per Dominum nostrum Iesum Christum. Debes ergo in vera gratiarum actione, fidem tanquam facem quandam prætendere, debes agnoscere te per & propter Christum accepisse, quicquid boni accepisti. Debes omnia ad gloriam Dei referre: debes Deum per Christum prædicare: Quod cum facis Deo verum cultum præstas, & ipsum ad cumulatiora dona conferenda tibi inuitas. Nam gratias agere pro acceptis beneficiis est viam sibi sternere ad noua beneficia accipienda.

Quod conuersi sint inimici mei retrorsum, impegerint, & perierint à facie tua.

Ratio est gratiarum actionis ab ipsa materia sumpta, seu a beneficiis recens diuinitus acceptis, videlicet, quod Deus ipsum Dauidem de manu hostium eius potenter & gloriose liberauerit: perinde ac si diceret Dauid: Reipsa experior te o Deus mei curã gerere, tuo enim præsidio hostes meos superaui, qui, si humanas vires quis spectet, longe me superiores & potentiores erant. Quid enim ego paruulus, collatus ad immanem gigantem Goliath? Docemur hic quod successus fœlix in magnis & difficilibus rebus, & liberatio e periculis sit a Domino, cui propterea gratiæ ex toto corde agendæ sunt, & simul orandum est, vt in posterum nobis quoque adsit. Quod tum demum absque omni dubio futurum est, si fidem & bonam conscientiam tueamur.

Quoniam fecisti iudicium meum & causam meam, sedisti in solio, qui iudicas iustitiam.

Repetitio rationis est, & applicatio quædam per comparationem hoc modo: Quemadmodum iustus iudex, causam innocentem approbat, atque eos tuetur & defendit ab iniuria: ita tu Deus sedens in tuæ maiestatis throno, me de inimicis meis vindicas. Dicitur autem Deus facere iudicium & causam eius, cuius causam approbat aduersus hostes eius, vindictam sumens de hostibus, qui iniuste læserunt. Porro cum dicitur Deus sedere in solio significatur, quod & semper paratus sit ad iudicandum, & nunquam abstineat a iusti iudicis officio. Idem *Psalmo* 89. dicitur, Iustitia & iudicium firmamentum sedis eius. Vide quæ supra otauimus in 8. vers. *Psalm.* 7.

Subuertisti gentes, perdidisti impium, nomen eorum delesti, in seculum & in sempiternum.

Executio sententiæ iudiciariæ est. Vt enim supra Deum iudicem sedentem in throno & iudicantem fecit: ita nunc eum exequi sententiam iustam testatur, dum hostes suos funditus, vt meriti erant perdit. Concluditur autem sententia huius loci, simplicissime hoc modo. Iustus iudex punit sontes, & insontes liberat, eo modo, quem ipse iustissimum iudicauerit. Deus est iustus iudex, igitur Deus punit sontes & insontes liberat, eo modo quem ipse iustissimum iudicauerit. Sunt autem *Gentes* sontes, vt quæ populum Dei iniustis bellis lacessunt, ac in Deum blasphemæ sunt: Proinde Deus gentes impias & blasphemas tandem perdet. Nota hic tempus præteritum, pro quouis tempore poni. Semper enim Deus hostes Ecclesiæ & blasphemos punit. Et si id non semper in oculos hominum incurrit, & illi ipsi qui puniuntur hoc ad tempus non sentiunt. Quænam quæso pœna poterit esse maior cæcitate & reproba mente, quam excipit sempiternus interitus? *Subuertisti gentes*, id est, subuertere soles gentes. *Perdidisti impium.* Impius hoc loco per Antonomasian pro aliquo insigni hoste poni tur, qualis fuit Goliath, vt enim hunc immanem hostem Ecclesiæ Deus armis prostratum Dauidis perdidit: ita idem Deus hostes Ecclesiæ, quantumuis immanes & multos aliquando subuertet.

Inimice, finitæ sunt solitudines in seculum? & vrbium quas destruxisti memoria perijt cum ipsis?

Apostrophe est ad immanem illum gigantem Goliath, & Sarcasmus, seu amarulenta irrisio hostis prostrati. Goliath enim non solum conuitia iecit in Deum Israelis, verum etiam minabatur, fretus viribus suis, populo Dei interitum & vastationem vrbium. Contra hunc Dauid veri Dei cultor, fretus non suo robore, sed diuino auxilio, prodit precibus & funda armatus, ac ingentem illum gigantem prosternit: cui prostrato insultat: quasi diceret: En tu vastator vrbium Israelis, qualis victor es? an deleueris memoriam populi Dei. Ecce iam dignam mercedem reportas, lapillulo vno prostratus & victus. Est autem hæc Dauidis victoria, imago victoriæ Christi & Ecclesiæ, Vt enim Dauid solus vicit Goliath: ita filius

Dei, sine auxilio alicuius creaturæ, contriuit caput serpentis: in quo Christo & ipsa Ecclesia victrix erit. Hæc est (ait Ioannes) victoria quæ vincit mundum, fides vestra: hoc est, Christus est victor mundi, cuius victoriæ participes efficimur per fidem: ad *Hebræ.* 11. Huc pertinet dictum Apostoli 1. *Cor.* 15. Gratia sit Deo, qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. Item: *Rom* 8. Vincimus per eum qui dilexit nos. Etsi autem hunc sextum versum nonnulli aliter interpretantur, tamen ea interpretatio quam adduximus, optime præsenti loco congruit, quemadmodum doctissimi quidam viri, inter quos sunt Pachninus, Bucerus, Monsterus & Flaminius, testantur: quare aliorum interpretationes incertas omitto.

SECVNDA PARS.

7. Et Iehouah in seculum permanebit: parauit ad iudicium thronum suum.

8. Et ipse iudicabit orbem terræ in iusticia, iudicabit populos in æquitatibus.

TRansfert Dauid Hypothesin ad Thesin, hoc est, beneficium sibi præstitum, toti Ecclesiæ omnium temporum: cuius thesis hic sensus est. Deus sẽper hostes populi Dei puniet & semper Deus Ecclesiam gloriose liberabit. Verum hic meminerimus dicti Prophetæ. Si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet & non tardabit. Huc dictum Petri pertinet 1. *Pet.* 5. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Porro hic obseruetur antithesis inter Deum defensorem Ecclesiæ, & tyrannos mundi, qui persequuntur Ecclesiam. Iehouah enim habet perpetuum imperium sine fine: tyrannorum imperia momẽtanea sunt. Quare qui Domino adhæret, cõsistet, atqui mundi tyrannis confidit, euertetur. Audiamus igitur consilium Dauidis, qui *Psalmo* 146. ait: Nolite confidere in principibus, & in filiis hominum, in quibus non est salus. Exibit enim spiritus eorum, & reuertetur in terram suam: In illa die peribunt omnes cogitationes eius.

Tertia Pars.

9. ***Et erit Iehouah refugium pauperis, refugium in oportunitatibus, in tribulatione.***

10. ***Et sperabunt in te qui nouerunt nomen tuũ: quod non dereliquisti quærentes te Iehouah.***

Hæc pars tertia fluit a secunda, seu potius secundæ repetitio est, sed sub promissionis forma. Nam ex eo quod Deus semper permaneat, semperque ad iudicandum orbem sit paratus extruit Dauid hanc promissionem, videlicet, quod Deus velit semper suæ Ecclesiæ adesse, eique promittat, quod in tempore oportuno ei succurrere paratus sit, ne aduersitatibus oppressa succumbat.

Obseruetur ergo hic quod quæcunque affirmantur de Deo pertinentia ad ipsius voluntatem hominibus declarandam, vim habeant, nunc vniuersalium promissionum, nunc comminationum. Cum autem dicit: *Deum esse refugium pauperi*, docet, admonet & consolatur. *Docet* quod Deus nostri curam gerat, quod paterne nos complectatur, quod opem velit nobis adferre cum res postulat, quod non propter paupertatem aut conditionem contemptam in mundo hominem despiciat atque contemnat. *Admonet* nos de fide atque inuocatione. De fide quidem qui ea sola per Christum habemus accessum ad Deum ad *Roma*.5. De inuocatione vero qua exponimus ei nostras angustias, & impetramus auxilium iuxta ipsius voluntatem, hoc est, cum maxime ad ipsius gloriam facere, & in nostram salutem cedere videatur. *Consolatur* præsenti auxilio, iuxta dictum dulcissimum *Psalm*.10. Vides quomodo tu laborem & dolorem consideras, tibi derelictus est pauper, pupillo tu eris adiutor. Porro cum addit *in oportunitatibus in tribulatione*, requirit a nobis patientiam, ne videlicet præscribamus Deo momenta temporum, sicut ciues Bethuliæ fecerunt, quorum temeritatem sancta fœmina Iudith reprǽhendit, vt videre est in historia Iudith. *Et sperabunt in te qui nouerunt nomen tuum, quod non dereliquisti quærentes te Iehouah.* Fructus iustitiæ Dei punientis impios & defendentis eos qui ad se

confugiunt. Est autem hic fructus, quod multi inde excitabuntur ad spem in Deum collaudandum. *Sperabunt*, inquit, *in te qui nouerunt nomen tuum*: Qualenam autem sit illud nomen Dei, ex cuius noticia, fides seu spes concipitur, exponit ipse Dauid, cum ait: *Quia non dereliquisti quærentes te Iehouah.* Hic ergo locus clarissime ostēdit, quod supra docuimus, videlicet quod nomine Dei intelligatur, cum ipse Deus tum ipsius attributa: Inter quæ hoc vnum est, quod Deus non deserat quærentes se, hoc est, confugientes ad se in vera fide, & ardenti inuocatione, iuxta promissionē illam vere vniuersalem: Omnis qui inuocauerit nomen Domini saluus erit. *Ioel.2.* Item: Turris fortissima nomen Domini, ad eam cōfugit iniustus & exaltabitur. *Prou.18.* Ex hoc loco discamus recte vti beneficiis Dei, omnibus temporibus Ecclesię exhibitis. Omnia enim eo pertinent, vt nos confirment de voluntate Dei erga omnes, qui ad ipsum confugiunt. Neque enim vnquam quisquam inuentus est, qui vera fiducia ad eum confugit, & passus est repulsam. Nos ergo hoc Dei nomen scientes, firmam concipiamus fiduciam, quod nobis non velit denegare, quod omnibus promiscue ex gratia offert.

QVARTA PARS.

11. *Cantate Iehouah habitanti in Sion, annunciate in populis opera eius.*

12. *Quoniam requirens sanguinem, eius recordatus est. Non oblitus est clamoris pauperum.*

EXhortatio est ad gratiarū actionē publicā & priuatam, quæ confessionem beneficiorū & laudē Dei continet, cui additur ratio a materia, id est, a beneficiis Dei erga Ecclesiā.

Cantate, inquit, *Iehouah habitanti in Sion*, id est, in Ecclesia. Tametsi autem Deus vniuersum orbem, præsentia, potentia & essentia implet, tamen peculiariter & in Ecclesia & in cœlo habitare dicitur. In Ecclesia quidem, quia eam verbo & spiritu tuetur, regit, moderatur. In Cœlo vero quia illic est thronus maiestatis ipsius, vbi eius gloria magis relucet: vbi & nobis per Christū paratus est locus. Vide quę supra annotauimus

uimus in quartum versum Psalmi secundi.

Cur autem Sion typus Ecclesiæ fuerit, ratio est: Quia vt in Sion erat arca fœderis, super cuius propitiatorium seu tegumentum inter Cherubim, vnde Dominus præsentiam suam & fauorem testabatur populo suo, ita nunc etiam ipse Dominus consulit populo suo, id est, Ecclesiæ, per ministerium Euangelii.

Porro hic quæritur, cur Deus hic dicatur habitator Sionis, cum arca non fuit adhuc illata in Sion, quando Dauid iuxta hunc Psalmum, pro victoria super Goliath Deo gratias egit, sed longo post tempore? Respondeo. Ex hoc loco manifestum esse, quod Dauid Psalmos suos non scripserit, quando iuxta eorũ sententiã precaretur, aut gratias ageret, sed postea nactus quietem, stabilito regno, suos Psalmos composuit Dauid in memoriã gestorũ: atq; id ideo fecit, vt isto pacto suum exemplum proponeret Ecclesię & singulis piis, in suis periculis & liberationibus imitandum. Adde quod ad prophetiæ donum ista referendo vti iam pręsentia a propheta apposite connotantur.

Annunciate in populis opera eius. id est, egregia & ingentia beneficia erga Ecclesiam. Græcus ἐπιτηδεύματα, quo vocabulo significat summum studium curamque Dei esse, suis benefacere. Finis ergo huius exhortationis ad laudandum Deum est, vt populi omnes qui de clementia & bonitate Dei audiuerint, ad Deũ conuertantur, & Ecclesię ipsius se adiungant. Nihil enim magis homines ad amandum Deum inuitat, quã bonitatis & clementiæ ipsius cogitatio.

Ratio sequitur. *Quoniam requirens sanguinem, eius recordatur,* id est, Deus qui requirit de cædibus innocentium tẽpore suo illorũ recordatur atq; vlciscitur. Verbũ *recordari* per Metalepsin sumitur. Nam eo significatur auxilium Dei, inuocantibus præstitum & præstandum.

Non est oblitus clamoris pauperum, hoc est, exaudit pauperes se inuocantes, Significatur autẽ hoc dicto: *Non est oblitus,* quod tametsi Deus videatur interdũ cõniuere ad afflictionẽ suę Ecclesię, tamẽ suo tẽpore ipsius clamorẽ exaudiet, atque eam liberabit. Monemur ergo vt perseueremus in inuocatione Dei, & non diffidamus de auxilio diuino, etiãsi Dominus aliquando longiorem moram facere videatur.

Pauperes scriptura vocat afflictos, cũ spiritu, tũ corpore.

De pauperibus *spiritu* loquitur Dominus *Matth.* 5. cum ait: Beati pauperes spiritu, id est, qui contriti & contusi sunt malleo legis, ita vt sentiant in se summã inopiã, nullã iustitiam, nullã dignitatem siue meritum. Hos beatos pronunciat, non quia iam tales sunt reipsa, sed quia in via sunt, quæ ducit ad veram beatitudinem: Sensus enim paupertatis spiritualis mouet eos, vt alibi, id est in Christo quęrãt, quod in se non habent. Corpore pauperes sunt afflicti quouis modo, siue ob inopiam rerum necessariarum, siue propter afflictionem & persecutionem ab aduersariis. Vtrosque, hoc est, pauperes & spiritu & corpore, inuocãtes se Dominus exaudit.

QVINTA PARS.

13. *Miserere mei Iehouah, vide afflictionẽ meã ab iis qui oderũt me, qui ex altas me de portis mortis.*

14. *Vt enarrẽ omnes laudes tuas in portis filiæ Sion, & exultem in salute tua.*

Petitio auxilii est, cui quadruplex ratio subiicitur.

Primum dicamus de precationis forma: Deinde de rationibus.

Precationis forma est: *Miserere mei Iehouah.* Etsi autem de hac precãdi forma quædam dixi in enarratione quarti Psalmi, tamen hic nonnihil de ea adiicere visum est, cum hac formula precandi omnes pii sæpissime vtuntur. Qui supplicat Deo, ex vero corde dicens:

Miserere mei Deus: Primum inter se & Deũ collationem instituit. Deinde ex collatione fiduciam exauditionis in corde concipit. Tum ex hac fiducia inuocat & exauditur.

Collatio hęc est: Homo ipse in se agnoscit, primum miseriam suã, cuius longa est catena. Secundo causam miseriæ duplicẽ, videlicet, originale peccatũ, & proprię personę culpã: Tertio, infirmitatẽ, videlicet, quod nõ possit ipse se a sua miseria liberare. Contra vero in Deo cogitabit. Primum, summã misericordiã esse. Secũdo huius misericordiæ geminã causã, videlicet, dilectionẽ Dei maximã, & meritum filii. Ex dilectione enim Pater Filium dedit: Filius datus factus est λύτρον pro peccatis totius mũdi. Tertio cogitabit potentiã Dei, qua potest quicquid vult, & vult quicquid promisit:

promisit

promisit autẽ, quod velit misereri afflictorũ ad se cõfugientiũ. Precaturus ergo opponat miseriç suç misericordiã Dei, opponat causis miseriç, videlicet, originali vitio & actualib. peccatis, dilectionẽ Dei & satisfactionẽ Christi, opponat infirmitati suç potẽtiã Dei, qui promiserat se afflictis in tẽpore opportuno affuturum. Hinc cõcepta fide de exauditione dicit vero corde: *Miserere mei Iehouah.* De hac collatione instituẽda inter nos & Deũ, monet nos prima promissio: Semẽ mulieris cõteret caput serpẽtis. Atq; ipse Dauid se huius collationis exẽplũ facit. *Ps.* 51. Atq; hactenus de propositione precationis: Rationes sequuntur. *Vide afflictionẽ meã ab iis qui oderũt me.* Prima ratio propositionis. Quasi diceret. Tu Deus afflictis, te inuocãtibus adesse soles, ergo me qui adeo ab osoribus meis Saule & aliis illi adhçrẽtib. affligor, vt nõ habeã locũ in quo tutus esse possim, adiuua. Dauid prostrato Goliaht triumphũ egit lçtus. Sed hunc triumphum noua afflictio excepit, atque ita necesse est fieri in hoc peccati regno. *Interdum pax est, pacis fiducia nunquam.* Sic Deus sua sapientia temperat res nostras, ne in rebus prosperis efferamur, crucem aliquam nobis imponit, sub qua humiliemur.

Qui exaltas me de portis mortis. Secunda ratio a more Dei sumpta. Tu o Deus soles me sæpissime e mortis periculo eripere: Igitur & nunc me libera ne incidam in manus Saulis. Atque ita Dauid ex prioribus beneficiis Dei erga se, concipit fiduciam, vt etiam in prçsenti periculo sibi adsit Huius exemplum & nos imitemur.

Vt enarrem omnes laudes tuas in portis filiæ tuæ Sion.

Tertia ratio a fructu liberationis suç sũpta. Quasi diceret: Liberatus te publice prçdicabo, coram toto populo, ex quo futurũ est, vt plures se populo tuo adiungãt, teq; celebrent.

Et exultem in salute tua.

Quarta ratio est, a fructu quem ipse percipit liberatus. Liberatus enim exultabo quod me iuueris, confirmabor de tuo erga me fauore. Sunt enim beneficia Dei nobis præstita, testimonia de ipsius erga nos fauore, vt eorum cogitatione magis confirmemur in fide, & sunt indicia infallibilia, quod Deus velit nobis etiam in posterum opem ferre, ex eodem bonitatis fonte, ex quo prius gratiam in Christo Iesu hausimus.

SEXTA

SEXTA PARS.

15. *Demersæ sunt gentes in foueam quam fecerunt, in reti quod absconderunt captus est pes eorum.*

16. *Notus Iehouah iudicium fecit in opere manuum suarum illaqueatus est impius Higaion Sela.*

IN hac parte Dauid se exauditum esse testatur. Nam vt in superioribus versibus petiit vt Deus suo more liberaret se ab eo in quo tum erat periculo: ita hic iudicium aduersus impios Palæstinos, inter quos Goliath erat, exponit. Nam eos euersos & victos esse canit, idque duobus similibus, quorum PRIVS sumitur a venatoribus. Quemadmodum venator quispiam foueam facit feris, vt lupis & vulpibus, in quam ipse imprudens aliquando cadit, feris elapsis: ita hostes Ecclesiæ, videlicet Goliath cum suis sociis, in malum quod mihi & populo Dei struxerant inciderunt, nobis euadentibus. POSTERIVS sumitur ab aucupibus, & eiusdē plane sentētię est. Quēadmodū auceps rete ponit suū in abscōdito, vt aues præteruolantes capiat, atq; ipse interea reti proprio capitur, elapsis auibus: Ita qui in Ecclesiæ perniciem insidias struunt, suis consiliis sæpe capiuntur & pereunt Ecclesia diuinitus liberata.

Notus Iehouah iudicium fecit.

His verbis significat Dauid, Goliath & exercitū qui erat cum eo, non humanis viribus, sed Dei manu prostratum & victum esse, id quod omnes rem, vt par est, expendentes, fateri necesse est. Oratio vt breuis, ita obscura est, etsi verba ipsa apertissima sunt. Quare alii sic accipiunt hæc verba: *Notus Iehouah iudicium fecit*, vt sit eorum sensus: Deus cognitus est per iudicium quod fecit: Qualenam autem fuerit illud iudicium, exponit cum addit: *In opere manuum suarum illaqueatus est impius*, hoc est: Goliath necem minitans Dauidi & populo Dei interitum, captus est arte propria. Nam vt lapillo vno prostratus est, ita gladio proprio ipsius caput est præcisum. Sic Deus sæpenumero ostendit suam præsentiam & potentiam in Ecclesia, & præter omnem

expectationem

expectationem, hostes Ecclesiæ miraculosè nunc reprimit, nunc tollit e medio, nunc conuertit, vt ex hostibus socii Ecclesiæ fiant. Hoc iudicium quod Deus aduersus Goliath fecit, typus erat iudicii, quod Christus aduersus Diabolum & socios eius Tyrannos & Sophistas exercet. Neque enim minus nunc potens est manus Dei, quam tum fuit. Nec minus illi chara est Ecclesia Christi modo, quam olim fuit: quare non minus in eum sperandum est, quam tum sperauerunt Patres, imo multo magis: nos enim habemus Christum exhibitum, mortuum & resuscitatum, victorem peccati, mortis, inferni, & Diaboli, quem illi promissum tantum habuere. Duæ Hebraicæ voces, quibus clauditur 16. versus sequuntur.

Higgaion Sela.

De posteriori, videlicet, Sela, dictum est supra in enarratione Psalmi 3. Higgaion latine est meditatio, sicut & Hieronymus vertit, quod voce significatur quod res cui subiicitur, digna sit diligenti meditatione, quasi diceret: O rem perpetua meditatione dignam quod Deus hostes suæ Ecclesiæ, adeo mirabiliter propriis ipsorum consiliis euertit, id quod perpetuo pios meditari oportet. His congruit quod mater Domini in suo cantico dicit: Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis ipsorum. Nam διάνοια in eo loco consultationem, ratiocinationem & consilia impiorum aduersus Ecclesiam Dei, quę in ipsorum perniciem cedunt, denotat.

Hic ergo locus tria nos docet. *Primum.* Admirari mirabilia Dei opera in gubernatione & defensione Ecclesiæ, quę precatione & verbo Diabolũ reprimit mirabiliter, quemadmodũ Dauid Goliath deuicit lapillo & funda. *Secundum.* Ex toto pectore agere Deo gratias pro tãtis beneficiis Dei erga Ecclesiã suã. *Tertium.* Deũ ipsum inuocare in nostris angustiis, & similem cũ Dauide fiduciam in eum collocare, & expectare lætum exitum.

SEPTIMA PARS.

17. *Conuertentur impij in infernum, omnes gentes quæ oblitæ sunt Dei.*

HÆc pars consolationem & precationẽ habet. Consolatio sumitur partim ab interitu hostiũ

18. *Quoniam non in æternum obliuioni erit pauper, expectatio pauperum non peribit in perpetuum.*

19. *Surge Iehouah ne roboretur homo, iudicentur gentes coram te.*

20. *Pone Iehouah timorem eis, sciant gentes quoniam homines sunt. Sela.*

Dei & Ecclesiæ, partim a liberatione Ecclesiæ. Precatio instituitur aduersus Ecclesiæ hostes. Petit enim Dauid timorem incuti impiis, vt tandem agnoscant suam miseriam. Atque hæc de summa sententiæ. Iam verba expendamus:

Conuertentur impij ad infernum. Denunciatio est, qua impiis imminentem interitum denuntiat. Dicit enim eos tandem morituros, & ad infernum descensuros, id est, in locum damnatorum qui est gehenna, vbi æternas pœnas suæ contumaciæ aduersus Deum, & crudelitatis contra Ecclesiam luent. Hanc pœnam videbunt iusti & lætabuntur, iuxta Psalmi 58. dictum: Lætabitur iustus, cum viderit vindictã, id est, Ecclesia liberata a tyrannide Diaboli, & Tyrannorum lætabitur, & tribuet Deo laudem iusticiæ. Causam interitus impiorum adiungit, cum ait:

Omnes gentes quæ oblitæ sunt Dei. Obliuisci autem Dei dicuntur, qui ex verbo & operibus Dei Deum non agnoscunt, non colunt, non timent, sed viuunt pro sua libidine, & ab vno scelere in aliud ruunt præcipites, donec suorum peccatorum mensuram compleuerint. Vtinam his gentibus non essent similes multi, qui Christiani haberi volunt, quibus maius iudicium imminet, iuxta dictum *Lucæ 12.* Seruus sciens voluntatem Domini & non faciens, vapulabit plagis multis.

Quoniam non in seculum obliuioni erit pauper, expectatio pauperum non peribit in perpetuum.

Sensus est: Etsi Deus ad tempus differt auxilium, vt probet suorum fidem: tamen suo tempore recordabitur afflictionis suorum. Et iuxta promissionem suam & spem, quã pii in ipsum collocant, ipsos gloriose liberabit. Stat enim sententia: Spes non confundit. Sequitur precatio quater repetita: PRIMVM dicit,

Surge Iehouah ne roboretur homo. hoc eſt: o Iehouah tu arma cape aduerſus hominem vere imbecillum & infirmum ſi tecum conferatur. Oſtende humanas vires aduerſum te nihil poſſe. SECVNDO, *Iudicentur iudices coram te*, id eſt, Exige a gentibus pœnas ſcelerum, ſeu exerce iudicium in gentes. TERTIO, *Pone Iehouah timorem eis*, id eſt, incute eis timorem & terrorem Panicum, vt fugiant. Vel, vt alii vertunt, pone illis doctorem ſeu legiſlatorem, qui authoritate ſua & potentia illos compeſcat.

QVARTO, *Sciant gentes quod homines ſunt*: Id eſt, effice vt gentes, & quicunque tibi & populo tuo aduerſantur, victi & proſtrati intelligant tandem ſe miſeros eſſe homines & imbecilles, ſeu potius nihili, ſi tecum conferantur.

Vox *Sela* monet leuandam eſſe mentem ad ſerio cogitandum veriſſimum eſſe, quod hic dicitur de homine, videlicet, quod reuera miſer & imbecillis ſit, ſi in ſe conſideretur. De vocabulo hominis vide ſupra, in verſum 4. *Pſalm.* 8.

Vſus Pſalmi Noni.

Quoties hunc Pſalmum legimus, monemur vt aggregemus nos populo Dei, vt Deo gratias agamus pro gubernatione & defenſione Eccleſiæ, vt pugnemus precibus & verbo contra Eccleſiæ hoſtes, vt certiſſimo certius ſtatuamus, quod tametſi Eccleſia multum affligitur in hoc mundo, tamen ad poſtremum glorioſa ſit potitura victoria, hoſtibus ipſius deuictis.

PSALMVS DECIMVS.

Summma Psalmi Decimi.

QVoniam Dauid fuit typus Ecclesiæ Christi, intelligamus hunc Psalmũ, non solum de Dauide, & Ecclesia quæ fuit tempore Dauidis: verum etiam de Ecclesia omnium temporum, ex quo fit vt recte eum ad Ecclesiam nostri temporis accommodare liceat. Continet autem hic Psalmus querelam piorum grauissimam, de dilata vindicta Dei in hostes Ecclesiæ, quales sunt hodie Turca & Papa, & qui illis adhærent, Tyranni, Sophistæ, Epicurei, Hypocritæ, & scelerati omnes. Hi siquidem rabiose aduersus Ecclesiam hodie insurgunt, vt eam obruant. Contra hos ergo precatur Ecclesia in hoc Psalmo, & inter precandum percipit consolationem & fiduciam de abolendis tandem hostibus Ecclesiæ, quorum capita sunt, vt dixi, Antichristus & Turca.

Ordo & dispositio Psalmi Decimi.

Tres sunt huius Psalmi partes præcipuæ.

Prima. Querela Ecclesiæ grauissima, expositæ tyrannidi & crudelitati hostiũ a 1. versu vsque ad 11.

Secunda. Petitio defensionis Ecclesiæ aduersus hostes ipsius. Huic petitioni interseritur promissio fauoris Dei erga Ecclesiam. Et hæc pars absoluitur

12.13. 14.& 15. *versibus.*

Tertia. Consolatio quam Ecclesia inter orandum percipit, videlicet, quod Deus *tandem sit aboliturus hostes Ecclesiæ. Hæc pars incipit a 16.versu, vsque ad finem.*

Est proinde hic Psalmus, partim demonstratiui, partim suasorij generis.

EXEGESIS PSALMI DECIMI CVM INDICATIONE DOCTRINARVM.

PRIMA PARS.

1. *QVare Iehouah stas a longe, occultas te in temporibus angustiæ?*

2. *In superbia impij ardet pauper, capiãtur in versutiis quas cogitauerunt.*

3. *Quia laudauit impius desiderium animæ suæ, & auarus benedicens sibi, blasphemat Iehouah.*

4. *Impius præ superbia iræ suæ non quæret, non est* Deus *sunt omnes cogitationes eius.*

HÆc querela Ecclesiæ grauissima est, videlicet, quod Deus differat tã diu vindictam hostiũ suorum. Huic querelæ additur ratio a descriptione immanitatis & crudelitatis hostium Ecclesiæ. Sed nos ordine singulos versus explicemus.

Quare Iehouah stas a longe? quare occultas te temporibus angustiæ?

Hæc propositio querelæ est, & est figurata ἀνθρωποπάθεια. Comparat enim Deum principi homini,

5. Parturiunt viæ eius omni tempore, longe iudicia tua a facie eius, in omnes aduersarios eius sufflat.

6. Dicit in corde suo, non mouebor a generatione in generationem, quoniam ero sine malo.

7. Maledictione os eius plenum est, & dolis & fraude: sub lingua eius dolor & iniquitas.

8. Sedet in insidiis atriorum in occultis vt interficiat innocentem, oculi eius super pauperes aspiciunt.

9. Insidiatur in abscondito, sicut leo in spelunca, insidiatur vt rapiat pauperẽ, rapit pauperem, cum trahit eum in rete suum.

10. Et conteret, inclinabit, & prosternet in fortitudine sua pauperes.

11. Dicit in corde suo, oblitus est Deus, abscondit faciem suam, non videbit in æternum.

qui interdum suos subditos vexari a potẽtioribus sinit, acsi eorum curã nullam gereret. Cũ tali principe in hunc modum expostulare possent subditi. Cur o princeps conniues ad iniuriam quæ nobis a Tyrãnis infertur? cur tam diu auxilium differs? An nõ tui est officii, tuos tueri subditos, & a tyrannide potentium eos vindicare? Verum hoc discrimen est. Princeps quando suos negligit, contra suum officium facit, peccat in Deũ, atque ideo sibi pœnas accersit: Deus autem quando videtur stare a longe & occultare faciem, habet iustam sui facti causam. Vt enim iudicio iusto permittit suos vexari per tyrannos: ita misericordia inuitat ad resipiscentiam, & ad petendum auxilium diuinitus, ne viuentes sine castigatione fiãt ferociores.

In superbia impij ardet pauper. Ratio propositionis seu querelæ sumpta ab immanitate & crudelitate hostium Ecclesiæ, quæ immanitas & crudelitas pluribus notis ita depingitur, vt Dauid videatur oculum propheticum intentũ habuisse in Papatum, qui hic videtur graphice depingi. Quare & nos sequentem descriptionem, Antichristo cum suis potissimum accommodabimus.

In superbia impij ardet pauper. Prima nota Antichristi: Superba

perba impietas & impia ſuperbia, qua ipſe pauperem, hoc eſt, Eccleſiam afflictã perſequitur, Superbia quidem facit vt nemini cedat. Iniquitas vero vt falſa doceat. Vnde ardet pauper, id eſt, moleſtatur & affligitur. Quaſi diceret Dauid, Tu Deus qui ſuperbis reſiſtere, impios abominari, & pauperes cõplecti ſoles: cur nunc ſtas a longe & conniues ad iniuriã, qua pauper tuus populus afficitur? Quinam dicantur impij, in primo Pſalmo dictũ eſt. Similiter de pauperibus in 9. diximus. De Superbia proinde hic aliquid dicendum erit.

Superbia vitium vitiorum, & capitale merito dicitur, cum quia aduerſatur vtriq; capiti legis diuinæ, videlicet, dilectioni Dei & dilectioni proximi: tum quod ex ea plurima peccata atque vitia manant & dependent. Vnde Gregorius: Ipſa vitiorum regina Superbia, cum deuictum plane cor cæperit, mox illud ſeptem principibus vitiis, quaſi quibuſdam ſuis ducibus deuaſtandum tradit, ex quibus vitiorum multitudines oriuntur.

Huius Superbię natura eſt *Primum* quod inſidiatur bonis operibus, iuxta dictum Auguſtini. Cætera peccata in malis operibus exercentur vt fiant: Superbia autem bonis operibus inſidiatur vt pereant. *Deinde* ex aduerſo ſe Deo opponit, iuxta illud cuiuſdam Patris dictum: Cum omnia vitia fugiant a Deo, ſola Superbia ſe Deo opponit: Quare ſignificanter de ſuperbis loquitur Iacobus, cum ait: Deus ſuperbis reſiſtit: græce ἀντιτάσσεται, qua voce ſignificatur mutua pugna & concertatio hoſtium in ſe inſurgentium. Definitur autem Superbia ab Auguſtino in hunc modum:

Superbia eſt amor propriæ excellentiæ, nimirum, cum quis a ſe habere ea bona, quæ habet, putat: aut eorum bonorum laudem in ſe transfert. Bernardus quadruplicem facit ſuperbiam: videlicet, cordis, oris, operis, habitus.

Superbia cordis, græce μεγαλοφροσύνη eſt cum quis ſenſu propriæ conſcientiæ ſopito ſibi magnus videtur.

Superbia oris eſt, vel bonorum quæ non habemus arrogans vẽditatio, græce ἀλαζονεία, vel eorum quæ habemus inſolens prædicatio, græce μεγαλαυχία, vel vana eorum promiſſio, quæ præſtare non poſſumus, aut volumus.

Superbia operis cum quis aliquid boni facit, vt videatur ab hominibus, vt præferatur aliis maiorque habeatur, græce τῦφος.

Superbia habitus quando quis ſe geſtibus venditat, vt magnifiat ab aliis, græce ὑπερηφανία.

Porro Superbiæ cauſæ, vna quidem vniuerſalis eſt: particulares vero quatuor.

Vniuerſalis cauſa Superbiæ, eſt ſuperbia originalis in primis parentibus, cuius venenum ſparſum eſt in totam poſteritatem: *Syrac.* 20. Initium omnis peccati eſt ſuperbia.

Particularium Prima eſt impietas: *Iob* 15. Cunctis diebus ſuis impius ſuperbit. *Secunda* Conſcientię ſopor, & ignorantia propriæ impuritatis, videlicet, quod homo non ſatis perpendat vt deberet, vnde, quis & quid ſit. *Tertia*, opinio erronea de bonis quę quis habet, ſibi tribuens quod Dei propriũ eſt. Contra quẽ Paulus 1. *Cor.* 4. Quid habes quod non accepiſti? Si accepiſti, cur gloriaris? *Quarta*, cogitatio aliorum hominum, qui minoribus quam nos donati videntur bonis.

Huic opponitur vera humilitas, quę ſimul cũ fide in corde hominis naſcitur. Abſq; hac humilitate nulla virtus eſt virtus, hæc ſeruat acceptas virtutes, & ſeruatas conſummat. Quare rectiſſime a Patribus propria nota filiorum Dei dicitur, vt Superbia filiorum Diaboli charachter eſt. Euidentiſſimum, inquit Gregorius, ſignum reproborum eſt ſuperbia, electorum humilitas: Non enim diſcernuntur filij Dei & Diaboli niſi humilitate & ſuperbia.

Vt ergo hoc peſtilens ſuperbiæ venenũ fugiamus, memores ſimus noſtrę originis, noſtrę infirmitatis, noſtrarũ ſordiũ timeamus Deum ſancto timore & filiali, cogitemus quod quicquid habemus, nõ ſit noſtrũ, ſed donũ Dei, non ideo nobis donatũ vt inde ſuperbiamus, ſed potius vt aliis per illud ſeruiamus, in gloriã Dei: Sciamus præterea Deũ vere odiſſe ſuperbiã, & velle punire ſuperbos, id quod non vno modo, ſed variis modis facit: nunc errore in capiẽdis conſiliis, nũc infœlicitate euentuum, nunc morbis, nunc ſpoliatione donorũ, nunc extrema ignominia, quæ iuſtiſſima pœna eſt ſuperbiæ. Vnde Solomõ *Pro.* 11. Veniẽte ſuperbia venit ignominia. Cum ergo videmus ſuperbos florere, & quaſi triumphare aduerſus Eccleſiã, ſtatuamus fore, vt Deus aliquando eos cũ ſumma ipſorũ ignominia euertat. Quod ſi nõ fit in hac vita omnino in extremo iudicio futurũ eſt, quãdo audiẽt hãc iuſti iudicis ſententiã: Ite maledicti in ĩgnẽ æternũ. *Mat.* 25.

Ideo Dauid ſubiungit hoc infallibile vaticinium de exitu

superborum: *Capientur in versutiis seu consiliis quæ cogitauerunt?* hoc est, machinationes quas astute & callide parant in perniciem veræ Ecclesiæ, redundabunt in ipsorum capita. Huius iudicij diuini cogitatione erigamus nos, quando Papa cum suis superbe & impie in nos grassatur.

Quia laudauit impius desiderium animæ suæ, seu vt alij vertunt, gloriatur impius in desideriis animæ suæ.

Secunda nota Antichristi, gloriatio in suis astutis consiliis & inuentis. *Gloriatur* inquit, *in desideriis animæ suæ*, id est, laudat sua impia inuēta, quibus vt opes & honores cumulat, ita miseros mortales seducit & perdit. Huius generis inuenta sunt doctrina dæmoniorum in Papatu, idolorū cultus, sanctorum inuocatio, prophanatio missę, figmentū purgatorij &c. In his & similibus nugis gloriatur Antichristus. Neq; enim dubiū est quin aliquem præ aliis insignē, tanquā aliorū caput singulari numero intelligat, vt per pluralē eius socios

Et auarus benedicens sibi blasphemat Dominum.

Tertia nota Antichristi, videlicet, auaritia inexplebilis, cuius gratia multas artes fallendi excogitat, quibus ad se trāsfert opes & regna mundi, hoc cū facit impostor iste auarus benedicit sibi, id est, se extollit & beatū putat cū tamen blasphemat Iehouah. Vt ergo mens istius impij contaminata est idolatria: sic lingua blasphemia: id quod etiā a Daniele prædictum est *cap.* 11. Contra Deum Deorum loquentur miranda. Est ergo blasphemia in Deum *Quarta Antichristi nota.*

Impius præ superbia iræ suæ non quæret. Quinta nota hostis Christi & Ecclesiæ, est effrenis ira e superbia nata. Hæc effrenis ira facit vt non quærat veritatem, sed tueatur idola, quæ ipse excogitauit: nec velit vt quisquam aliud doceat, quā quod ipse vult: Putat enim se solum habere clauēscientiæ. Hinc est quod impius iste ferro & igni & omni crudelitate persequatur pios Ecclesiæ doctores ab eo dissentientes.

Non est Deus sunt omnes cogitationes eius. Sexta nota Antichristi, epicureus contemptus Dei. Etsi enim simulat se religiosum esse, vt homines facilius capiat: Tamen reuera in corde suo omnis relligionis contemptor est. Quod autem hæc nota optime conueniat Romano Pontifici, nouerunt, qui gesta Romanorum Pontificum legerunt. Hinc vox illa Cyclopica Pauli III. Quantum nobis profuit fabula de Christo? Tales reipsa fuerunt pleriq; alij Papæ, tales & Car-

dinales, qui Poetas Prophetis, lyram Pyndari citharæ Dauidis, fabulas Æsopi scriptis Apostolorum præferunt.

Parturiunt viæ eius omni tempore longe iudicia tua (o Deus) a facie eius, in omnes aduersarios suos sufflat.

Septima nota hostis Ecclesiæ seu Antichristi, studium & conatus nocendi bonis. Parturiunt enim semper noua nocẽdi consilia. Nã cum iudicia contemnit impius iste, bonos omnes quos aduersari sibi intelligit, habitu suo, id est, solo oris flatu, id est anathematis fulmine, quo factus est toti mundo formidabilis prosternit. Sic euentus, optimus prædictionum interpres, hunc versum accipiendum ostendit.

Dicit in corde suo, non mouebor a generatione in generationem, quoniam ero sine malo.

Octaua nota Antichristi, Cyclopica securitas, qua promittit sibi successum prosperũ. Nam Deo & hominibus contẽptis, vẽtri, diuitiis, honoribus, voluptatib⁹, indulget securus.

Maledictione os eius plenum est, dolis & fraude, sub lingua eius dolor & iniquitas.

Nona nota Antichristi: hæretica doctrina, qua Deo maledicitur. Fingit falsa dogmata, defendit impios cultus, simplicitatem doctrinæ cœlestis peruertit, atq; ita homines deceptos misere perdit.

Sedet in insidiis atriorum, &c.

Decima nota Antichristi, crudelitas in veram Ecclesiã, hãc crudelitatem 8. & 9. versibus describens Propheta, cõparat ipsum Antichristũ primum latronibus, qui in insidiis atriorum cõuersantes, adoriuntur innocẽtes. Intelligit enim aulicas insidias in hostibus Ecclesiæ, quibus nihil nocẽtius. Deinde cõparat eos leonibus, qui per violentiã prædantur. Tum aucupib⁹. Vt enim aucupes occulto laqueo auiculis insidias struunt: ita hostes Ecclesiæ, quorum caput est Antichristus, innocentem & pauperem, id est, Ecclesiam occultis insidiis capere moliuntur.

Et conteret, inclinabit & prosternet in fortitudine sua pauperes.

Hic successus Antichristi, & eorum qui illi adhęrent prædicitur, quem euentus hoc die confirmat.

Dicit in corde suo, oblitus est Deus &c. Eadem est sentẽtia huius 11. versus, qui est quarti, nimirũ quod impius iste Dei hostis hoc fundamẽto nitatur, quod existimet nullã Dei prouidentiã esse, cogitat Deũ non curare res humanas. Nã cũ videt im-

det impostor iste cũ suis, Deũ differre liberationẽ Ecclesiæ & pœnas impiorũ, & se impune grassari in Ecclesia videat, arbitratur Deũ perpetua obliuione, pauperes negligere. Sed frustrabuntur impij. Nam citius eorum opinione ipsis iminet infœlicissimus exitus, de quo in tertia huius Psalmi parte dicetur.

SECVNDA PARS.

12. *Surge Iehouah potens, leua manum tuam, ne obliuiscaris pauperum.*

13. *Ut quid blasphemat impius Deum? dicit in corde suo non requires.*

14. *Vides, quoniam tu laborem & dolorem consideras, vt ponas inmanus tuas, tibi derelictus est pauper, pupillo tu fuisti adiutor.*

15 *Contere brachium impij & mali, quæres impietatem eius, & non inuenies.*

HÆC pars Psalmi precationem Ecclesiæ cõtra impios & aduersarios Dei pro pauperibus, id est afflictis Dei seruis continet. Sententia summa est. O Deus potens, adesto nobis afflictis, defende nos ab iis qui nos adeo maliciose affligunt: es enim adeo potens, vt nemo tibi resistere possit, sed ipse omnia tibi subiicere vales.

Surgere & leuare manum, gestus sunt vindicantis & validius percutientis. Vt enim qui surgit, parat se ad defensionem & vltionẽ sumendam de hostibus: ita qui manum in altum leuat, fortius ferit.

Nota miseris & afflictis asylum vnicum esse inuocationem Dei, iuxta dictum Salomonis: Turris fortissima nomen Domini, huc confugiet iustus & saluabitur.

Vt quid blasphemat impius Deum? dicit in corde suo, quod non requiras. Ratio petitionis a scandalo sumpta, cuius sensus est: Dilatio pœnę impiorũ facit o Deus, vt impij tuũ nomẽ blasphement. Dicunt enim te nõ requirere, id est: oblitũ esse rerum humanarũ, nec curare siue male siue bene habeant tui cultores. Proinde cum tua gloria tuumque nomen agatur, surge & valida manu hostes tuos cõpesce, vt discant tãdem, quod tu seruorum tuorum curam geras. Vide quæ supra notauimus de causis cur Deus sinat suos cruce vexari. *Psalm. 3.*

Vides, quoniam tu laborem & dolorem consideras, ad dandũ eos

in manus tuas,tibi derelictus est pauper,orphano fuisti adiutor.

Plures rationes petitionis cōgerit,quarū *Prima* sumitur a prouidentia Dei. Vides,inquit, scilicet omnia,nihil te latet: Iniurias ergo & maleuolentiā improborū aduersus probos & fideles tuos tu cernis,quæ putāt te latere improbi.*Laborē & dolorem* vocat mala quibus probi affligūtur ab improbis. *Secunda* sumitur a potentia Dei.*Ad dandum eos in manus tuas,* id est,tu potes vindictam sumere de hostibus tuis:Ea enim est tua potentia : fac ergo vt te vindicem scelerum suorum sentiant. *Tertia* petitur a iusto. *Tibi enim derelictus est pauper*, hoc est,tibi vt iusto iudici pauper suam causā relinquit & cōmendat.Cum ergo iustum sit,suæ fidei cōmissos tueri, iuua quæso nos & libera nos de manu hostium nostrorum. *Quarta* petitur a more seu officio Dei. *Orphano fuisti adiutor* id est,tu soles esse adiutor orphanorum & defēsor, ergo eos protege.Vocat autē orphanos humano auxilio destitutos, vt pueri egētes,quorū parētes mortui sūt. Porro hę assertiones de Deo, *Tibi derelictus est pauper*, *orphano tu fuisti adiutor*, vim promissionis habent, vnde consolatio in tribulationibus petenda est.

Contere brachium impii & maligni, quæretur impietas illius & non inuenietur. Repetitio petitionis.*Brachium impii* significat vires & potentiam impii istius, videlicet, aduersarii Dei & Ecclesiæ,id est,Antichristi & sociorum eius. *Quæretur impietas illius & non inuenietur*, hoc est, non desinas o Deus extendere manum tuam in impios, vt vires illorum frangas, donec vlla fuerit reliqua impietas impunita.Metaphora sūpta a iudicibus quasi diceret: Si quęstionē habes de perditis eius morib.& factis,id certe nusquā cōparebit. Periit enim cōdēnatus,& in ęternas tenebras deiicietur.Atq; ita hęc oratio *Quæretur impietas eius & non inuenietur*, significat fore vt regnum Antichristi tandem prorsus aboleatur. Hanc Dauidis precationem non fore frustraneam docebit extremus dies, quando plene ab omnibus qui oderunt nos liberabimur. Nos interea credamus, pie viuamus,ac militemus, Deus iuxta suum verbum iustificabit,sanctificabit, suoque tempore nos coronabit. Huc pertinet Psalmus 27.

TERTIA

TERTIA PARS.

16. *Iehouah rex in seculum, & in æternum: perierunt gẽtes de terra illius.*

17. *Desiderium pauperum audisti Iehouah, præparas cor eorum, intendit auris tua.*

18. *Vt iudices pupillo, & pauperi, ne addat vltra, ad conterendum homo de terra.*

HÆc pars effectũ precationis cõtinet, videlicet cõsolationẽ Ecclesię de deuictis hostib. eius. Et simul refutat calũniã impiorũ, qui dicũt Deum nõ requirere, non aspicere laborẽ & dolorẽ pauperum. Regiam enim victoriam describit: & facit collationem inter Antichristum & regem Ecclesiæ, & eos qui illi adhærent. Rex Ecclesię vt est ab æterno, ita regnũ eius durabit in omnẽ æternitatẽ. Igitur tuto se huic committit Ecclesiæ, quę illũ & Dominũ & regem agnoscit. Hoc clare significat Dauid hac breui oratione *Iehouah rex est seculi & æternitatis*, vt Hieronymus hic vertit. At Antichrist⁹ rex ille impudẽs facie, regesq; alii qui illi adhęrẽt, vt in tẽpore cœperũt, ita in tẽpore peribũt. Quare qui se illis credit, cũ illis absq; dubio peribit. Qui ergo perire nolit, æternitatis regi se cõmittat, Antichristo cũ suis renũtiato. Huc pertinet Dauidis exhortatio ad Ecclesiã. *Ps.* 146. Nolite cõfidere in principibus, in filiis hominũ, in quibus nõ est salus: Exibit spiritus eorũ & reuertẽtur in terrã suã, in illa die peribũt omnes cogitationes eius: Beatus cuius adiutor est Deus Iacob &c. *Desiderium pauperum exaudisti Iehouah.* Confirmat animũ suũ Dauid & Ecclesia ab anteactis. Tu antea exaudisti desideriũ humiliũ & afflictorũ, igitur & nũc eos exaudies. Vel pręteritũ pro pręsenti ponitur, vt sit sensus: Tu o Iehouah, qui exaudis, id est, exaudire soles desideriũ pauperũ, nũc etiã tuo more facis, cũ nos exaudis. Notetur quod vera oratio potius sit desiderium cordis, quam oris strepitus & clamor. *Paras cor eorum, intendit auris tua.* Obscura breuitas, cuius tamen sensus ex circunstantia loci facile colligitur, videlicet, quod vt Deus suo spiritu mouet cor suorum vt petant quæ illi grata sunt &, sibi salutaria: sic auris ipsius intendit in preces eorũ, id est exaudit eos & dat eis quod petũt: hoc est, liberat

eos e manu hostiũ suorũ. *Aurem* Dei, nõ membrũ corporeũ (ait Augustinus) sed potentiam Dei qua exaudit, regulariter debemus accipere.

Vt iudices pupillo & oppresso. Quodnã sit desideriũ pauperũ, & quid sit Deum aurem intendere precibus suorum exponit, nimirum vt ius dicat, & ferat sententiam pro afflictis se inuocantibus.

Aliud est (ait Augustinus) iudicare pupillum, aliud iudicare pupillo. Iudicat pupillum etiam qui condemnat, Iudicat pupillo qui pro illo profert sententiam, eumque absoluit seu iustificat.

Ne addat vltra ad conterendum homo de terra. Effectus sententiæ iusti iudicis Dei, aduersus hominem qui de terra est. Hoc est, ita Deus causam pauperum aget, vt miseri isti homines qui Ecclesiam iam affligunt, non vltra sint contrituri quenquam. Est ergo hæc periphrasis condemnationis & abolitionis hostiũ Christi & Ecclesię. Ad hãc ergo Catastrophẽ impiorum respiciamus, dum hic affligimur, & certo statuamus Deũ suam Ecclesiã ornaturũ esse sempiterna gloria: Impiis gehennæ traditis, in æternum puniendis.

Vsus Psalmi decimi.

Vsus huius Psalmi idem est qui & superioris: nam eiusdem argumenti vterque est. Cum igitur hunc Psalmum legimus, cogitemus non tam de successu impiorum in hac vita quam de tristissimo eorum exitu, qui cum æternis pœnis coniunctus erit. Contra vero cogitemus, non tam de afflictione piorum in hac vita, quam de læstissimo eorum exitu, qui cum æterna fœlicitate & gloria coniunctus erit. Hæc cogitatio erigat nos sub cruce, quæ monet, vt ęternum glorię pondus, momentaneę afflictioni opponamus. Sequamur igitur ducẽ nostrum Iesum Christũ fide, confiteamur ipsum ore

ore, glorificemus tota vita, vt nos olim glorificet, iuxta suam promissionem. Huic regi nostro Iesu Christo, cum æterno patre & spiritu sancto, sit honor & gloria in omnē æteruitatem. Amen.

Psalmvs Vndecimvs.

Summa Psalmi Vndecimi.

Davidin hoc Psalmo increpat amicos, qui sibi fugam suaserunt, ne incideret in manū Saulis regis se persequētis, erigens se fide, cū promissionis auxilij, quod Deus iustis promiserat, tum comminationis pœnarum, quæ impiis a iusto iudice imminent. Scriptus est ergo hic Psalmus in memoriam fugæ Dauidis, qui toties latibula per decenniū quærere coactus est, persequente ipsum Saule, ex mera inuidia. Historia autem huius fugæ describitur 1. lib. Regum a capite 21. vsque ad caput 27. Cæterum quoniam Dauid fuit typus Ecclesiæ, accōmodatur recte hic Psalmus ad Ecclesiam, & ad quemlibet pium in Ecclesia, qui propter iustitiam persecutionem patitur, idque in hunc finem, vt exemplo Dauidis se erigat, confirmet & expectet diuinitus liberationem. Nam idem Deus qui Dauidē liberauit, est & noster Deus, & iustus iudex, qui tandem suos gloriose liberabit, iuxta regulam: Multæ tribulationes iustorū sunt, sed de omnibus iis, liberabit eos Dominus. Psalm. 34.

Ordo & diſpoſitio Pſalmi Vndecimi.

Duæ ſunt partes huius Pſalmi præcipuæ:

Prima, quæ continetur tribus primis verſibus, eſt increpatio qua Dauid increpat ſuos amicos, ſuadentes ſibi fugam.

Secunda, quæ reliquis verſibus vſque ad finẽ abſoluitur, eſt conſolatio a diuina prouidẽtia ſumpta: Solet enim Deus pios liberare, & impios ſupplicio reſeruare.

Eſt igitur hic Pſalmus ſi finem ſpectes, generis ſuaſorii.

EXEGESIS PSALMI VNDECIMI CVM INDICATIONE doctrinarum.

PRIMA PARS.

IN Iehouah ſperaui, quomodo dicitis animæ meæ, fuge in mõtem veſtrum ſicut paſſer?

2. Quoniã ecce impij intẽderũt arcũ, parauerũt ſagittas ſuas ſuper neruũ, vt ſagittẽt in obſcuro rectoscorde.

4. Quoniã fũdamẽta deſtructa ſũt, iuſtus quid fecit?

HÆc increpatio eſt qua Dauid increpat ſuos amicos, qui putabant, de illo actũ eſſe, niſi fuga ſibi proſpiceret, præſertim cũ potẽtiſſimus rex Saul armata manu ipſũ quæreret. Opponit autem hic Dauid, Sauli Deũ, potẽtiæ Saulis potentiã Dei, minis Saulis fauorem Dei, iniuſticiæ Saulis bonitatem ſuæ cauſæ. Hęc enim omnia ſimul hic cõplectitur Dauid, cum ait: *In Iehouah confido*, quaſi diceret Iehouah eſt mecum, quis eſt qui me perdat? Cur ergo conſulitis mihi, vt fugiam inſtar paſſerculi perſequente illum aucupe? Clauditur autem primus hic verſus, ſi figuras remoueas, hoc ſyllogiſmo. Fruſtra Tyranni minantur iis extremum interitum, qui in Domino confidunt: Ego

Dauid confido in Domino : igitur Saul frustra mihi extremũ interitũ minatur. Minor & cõclusio ordine ponũtur. Maior principiũ est, & est vnũ ex pręcipuis Ecclesiæ axiomatis. Habet enim Ecclesia firmissimã promissionẽ auxilii, quæ vt fide est appræhẽdenda, ita in uocatione Dei sub cruce est peteñda & applicãda: vt quilibet pius cũ Dauide dicere possit: In Domino cõfido, nõ cõfundar in æternũ. Hoc axioma sæpius in scripturis, aliis atque aliis verbis inculcatur: vt *Ps.* 2. Beati omnes qui cõfidũt in eo, Item *Ps.* 84. Beatus vir cui tu fortitudo es. Itẽ, Iehouah Zebaoth: Beatus homo qui sperat in eo. 1. *Ioh*. 5. Hæc est victoria quæ vicit mũdũ, fides vestra. Hæc & alia similia dicta sæpe cogitãda sunt, vt excitetur fides & inuocatio, cum quibus reliqua obedientia necessario coniuncta est.

Conclusio interrogatione, mimesi & similitudine ornata est. Interrogatio est.

Cur dicitis animæ meæ, id est, mihi? Mimesis est: *transmigra in montem*, id est, fuge per montes, vt euadas manum Saulis. Similitudo: *Vt passer*. Sensum supra sine figuris expressi. Hic proinde versus plures doctrinas suppeditat. *Primũ* enim docet: quod fiducia in Deũ tẽpore persecutionis sit piis veluti sacra quædã anchora, ad quã in procellis & tẽpestatibus afflictionũ cõfugiẽdum est, in vera Dei inuocatione. *Deinde* docemur, hic quod Ecclesia in hac vita sit subiecta cruci, quæ si suas vires spectat, non plus valet aduersus principẽ huius mũdi quã miser passerculus aduersus aucupem, qui vndique retib. positis sibi insidiatur. At si Deũ intuetur, in eoque cõfidit, veluti mõs est firmissimus qui in æternũ non cõmouebitur. *Docẽtur* etiã pii Dauidis exẽplo, quod in periculis liceat persequẽtes se fugere, & sibi fuga prospicere. Etsi enim pii fiduciã in domino collocãt, quẽ sciũt se nõ deserturum, tamẽ temere se nõ cõmittent periculis nec vertent fiduciã quam in Deo collocant, in carnalem securitatem. Vult enim Deus nos vti mediis oblatis, cum gratiarum actione. Sic Dauid sæpe fugit: fugit Elias, fugerunt Prophetæ, fugit Ioseph cum matre Domini, secessit & ipse Dominus *Iohan*. 6. qui & ipse præceptum dedit de fuga: Sed de hac re infra quædam adiiciemus.

Quoniam ecce impii tetenderunt arcum. Mimesis est. Nã verba eorum qui hortabãtur se ad fugam, recitat Dauid. Quorum

sensus est. Matura fugam. Nam ecce Saul exercitu instru-ctus te quærit vt perdat. Gestus tendentium arcus, & ponen-tium sagittas super neruum, indicant, & implacabile odium Saulis aduersus Dauidem, & iamiam paratas esse insidias.

Ad sagittandum rectos corde. id est, innocentes, videlicet i-psum Dauidem, atque eius amicos & socios. Hoc recte accō modatur Ecclesiæ omniū temporum. Nā semper Diabolus in suis membris grassatur aduersus Ecclesiā, vt eā deleat, sem per insidiatur, semper insidias collocat, vt alios post alios e medio tollat. Neque desinet vnquā donec hic mundus stete-rit. Monemur ergo vt vigilemus & oremus, simulque gla-dio spiritus instructi, & reliqua πανοπλία, de qua Paulus ad *Ephes. 6.*

Quoniam fundamenta destructa sunt, iustus quid fecit? Hic versus varie exponitur propter vocē ambiguā, qua hic vti-tur Dauid. Nā scatoth a ponēdo dicitur, ex quo fit, vt alii re-tia, alii fundamēta, alii leges vertāt. Nā retia & ponūtur auib. & fundamēta ponūtur ædificiis, & leges ponuntur ciuitati-bus. Atque ita generalem vocis significationē, alii huic, alii alteri speciei accommodant, vt fieri solet in rebus obscuris.

Qui *retia* intelligunt, in quorū numero est Pagninus, vo-lunt hæc esse verba Dauidis, eaque sic reddūt: Certe retia de structa sūt, vt sit sensus: dissipatæ sunt impiæ fraudes, quibus me adorti sunt impii, & diuinitus ex retib. hostiū sū ereptus.

Qui *fundamēta* destructa sunt, vertūt, in sentētia reddenda minime cōueniūt. Alii per fundamenta intelligunt consilia (quæ sunt actionū fundamēta) esse irrita facta: vt cū Saul per suos satellites Dauidē in domo propria apud vxorē Michol, circūuenire nocte voluerit, & dormientē obruere: quorū cō silia prudēs fœmina elusit. Alii per fundamēta intelligūt iu-stos sacerdotes, Achimelech & alios, quos Saul crudeliter cu rauit interfici. Neque enim inepte Doctores, Ecclesiæ funda mēta dicūtur. Siue enim doctrina, ædificiū Ecclesiæ corruit. Alii per fundamēta, perfugia & arces intelligūt, vbi amplius vir sanctus tutus esse non poterit.

Hieronymus autē in hūc modū vertit: Quia leges dissipa sæ sunt: per fundamēta leges intelligēs. Nā vt fundamēto æ-dificiū, ita legibus omnis ciuitatū salus nititur. Hūc si sequi mur, quē ego aliis antepono, verba erunt amicorū Dauidis, quibus rationē alterā sui consilii de fuga capiēda reddūt, per

occupa-

occupationẽ. Reſpõdẽt enim ad hanc obiectionẽ. Dauid eſt innocẽs: purget igitur ſe legibus, corã ordinariis iudicibus. Reſpõdẽt amici. Leges diſſipatæ ſunt per Saulẽ (nã contra leges occidit innocẽtes ſacerdotes) quid igitur faciet iuſtus? id eſt, fruſtra cõfugit iuſtus ad patrociniũ legum: ita hic tertius verſus Enthymema eſt, cuius conſequens interrogatione, vt firmior videatur illatio, figuratum eſt.

Cũ hac verſione Hieronymi (vt eã interpretati ſumus) cõgruit, quoad ſummã ſentẽtiæ attinet, Septuaginta interpretũ verſio, quæ ſic habet ὅτι ἃ σὺ κατηρτίσω αὐτοὶ καθεῖλον &c. Vt ſit Apoſtrophe ad Deũ per querelã hoc ſenſu: O deus, vide rei indignitatẽ quæ tu perfeciſti, id eſt, legẽ & formã iudiciorũ, quã tu nobis integrã, perfectam & ſanctã per Moſen cõmẽdaſti, Tyranni iſti pedibus cõculcãt, deſtruũt, & prorſus abiiciũt, vt fruſtra iã pii patrociniũ a legibus expectẽt. Hic duo obſeruẽtur. Ingeniũ Tyrannorũ, & exẽplum Dauidis. *Ingenium Tyrannorum* eſt, nõ leges, ſed ſuos Cyclopicos affectus, ſuſpiciones, & anticipatas opiniones, in iudicando ſequi. Gradiũtur enim iuxta Aſaphi dictũ, ſecundum cogitationes cordis ſui. Ex quo fit vt multi pii indicta cauſa a Tyrannis condẽnentur, in exiliũ eiiciãtur, trucidentur. Exẽplis plenus eſt Papatus. *Exemplum* Dauidis fugiẽtis nos monet, vt ſi tale nobis aliquando contigerit, ne peregrinemur quaſi nobis noui aliquid, aut inſolens contingat, quod non etiam experti ſunt olim, & experiuntur hodie ſancti Dei homines.

De fuga & exilio.

Quoniã hic Pſalmus meminit fugæ & exilii Dauidis, vtile iudico aliquid aſcribere de fuga & exilio. Vt quæ fuga ſit licita & probanda, & quæ illicita & improbanda, & quomodo ferendum ſit exilium propter iuſticiam tenеatur.

Intelligamus autẽ hoc loco generaliter fugã, qua quis de vno loco in aliũ fugit, quauis de cauſa. Et conſtituamus in primis duo fugæ genera: vt vna fuga ſit ſpontanea, altera vero non ſpontanea.

Spontanea fuga eſt qua quis volẽs & lubẽs ſine legitima vocatione, ex incõſtantia & leuitate, deſerit vocationẽ & officiũ in quo erat, & quærit nouas ſedes ſuæ trãquillitatis & cõmodi cauſa. Hæc fuga, vt eſt temeraria, ita & illicita & Chri-

ſtiano homine prorſus indigna. Pugnat enim cũ Regula: Vnuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt permaneat. 1. *Cor.* 7. Quicũq; ergo deſerẽs vocationẽ ex temeritate fugit, contra cõſcientiã facit, fidẽ abiicit, & cõtumaciȩ aduerſus Deũ reus eſt. Ex quo fit vt ad quãcũque poſtea cõditionẽ venerit, & in pericula inciderit, non habeat quo ſe cõſoletur, vt qui conſcius ſit ſibi ſuæ temeritatis, & fœdæ deſertionis eius loci, in quo Deus illũ collocarat. Quare vt miles proditor, & deſerens ſuã in acie ſtationẽ, eſt habẽdus. Quod autẽ in definitione hãc exceptionẽ poſui: *ſine legitima vocatione*, id ideo factũ eſt, vt intelligamus nõ quãuis migrationẽ de loco in locũ, nec quãuis mutationẽ officii, pro fuga habendã eſſe. Nã cũ Magiſtratus, præſertim ſummus, vocat aliquẽ miniſtrũ Euangelii de vno loco in aliũ, vt vtilius in hoc quã illo loco ſeruiat: vocatio hæc per hominẽ Magiſtratum facta a Deo eſt, quare licita, legitima & ſancta habenda eſt.

Non ſpõtanea fuga, volũtaria tamẽ, eſt cũ quis volẽs quidẽ fugit, ſed nõ lubẽs. Hæc variat cauſis & finibus, pro qua diuerſitate vel probanda eſt vt licita vel improbãda vt illicita. Etſi autẽ plurimæ huius fugæ cauſæ numerari poſſint: tamẽ hoc loco duas ſolũmodo, quȩ ad noſtrũ inſtitutũ facere videbũtur, notabo & declarabo. Sũt autẽ hæ publicæ lues, & Tyrãnis, ſeu perſecutio. De his igitur fugæ cauſis ordine dicemus, vt appareat quænam iuſtæ ſint, & quæ non.

Primã cauſam nomino publicã luẽ, ſeu morbũ ἐπιδήμιον, id eſt, publice graſſantẽ. Hic quæritur an liceat cuiquã graſſante peſte vel alia quauis publica lue, mutare locũ, vt vitetur cõtagio. Sũt enim qui negãt omnino, id licitum eſſe, & ſunt qui affirmãt. Vtrique ſane ſi nullã diſtinctionẽ admittũt, lõge a vero aberrãt. Quare hic accurato iudicio, ne erro re inuoluamur opus eſſe iudico. Qui negant licitũ eſſe cuique mutare locũ, Stoicorũ familiæ nimiũ addicti ſunt. Clamãt fugã nihil prodeſſe, putãt enim omnia neceſſario fieri, cõtingentiã tollũt, momentũ mortis cuiuſque, & terminũ vitæ fatalem eſſe ſtatuũt. Sed hi quod verbis affirmãt, factis negãt. Nã vt vitæ ſuæ conſulãt præſidia quærũt, eligũt ſalubrẽ aerẽ, a noxio fœtore abſtinẽt, ægroti medicorũ operam implorãt, eſurientes edũt, ſitientes bibunt, ne nudi ſint ſe veſtiũt, vt corporis valetudinẽ tueãtur. Horũ ergo cũ manifeſta ſit vanitas, eos ad Zenonem remittamus, præſertim cum

eorum

eorũ ſententia præceptis diuinis,cum promiſſionibus & cõminationibus pugnat,& ipſi ſe ſuo confodiũt gladio. Quantum autem ad terminũ vitæ cuiuſque attinet(eſt enim hoc præcipuum illorum argumentum)legatur Enchiridion vbi hæc quæſtio prolixe tractatur,& oſtenditur de hac quæſtione, non ex tabulis Parcarum,ſed ex promiſſionibus & comminationibus diuinis,& ab exemplis iudicandum eſſe. *Promiſſio* manifeſta eſt,Timor Dei apponit dies *Prou.*10.*Comminatio* ſimiliter:Impii non dimidiabunt dies ſuos. *Pſalm.* 55. *Exemplum* ſit Ezechias.

Qui autem omnino & promiſcue licitum eſſe cuique tẽpore peſtis fugere,& ſibi fuga proſpicere putant,nõ ſatis circumſpecte loquuntur. Illorum enim ſententia,ita in vniuerſum prolata, impietate non caret. An non quæſo impietas ſumma erit,ſi vir vxorem,ſi maritum vxor,ſi liberi parentes, ſi parentes liberos, ſi Paſtor Eccleſiam, ſi magiſtratus ciues deſerat?Quare prudenter videndum eſt quando licet,& quando non licet fugere. Licet, modo nemini noceat tua fuga: Contra vero non licet, ſi noceat. Breuiter: modo officium non negligatur, non minus peſtis contagio, quam gladius, ignis,aut aqua vitari poteſt. Contra vero ſi officium deſeratur,non minus peccat,qui propter peſtem fugit,quam paſtor ouium,qui luporum metu oues deſerit. Hic forte inſurget aliquis,& obiiciet hoc modo. Peſtis eſt virga Dei,qua caſtigat contumaces:qui ergo fugit peſtem,virgam paternam fugit, & diſciplinam Domini abiicit, quod eſt inobedientis & contumacis. Reſpondeo. Verum quidem eſt,peſtem eſſe virgam Dei,quare qui fugit peccat, niſi paternam iram per ſeriam pœnitentiam deprecetur prius. Qui ergo tempore peſtis fugere conſtituit, primum omnium per veram pœnitentiam fugiat peſtem animi,peccatum: deprecetur offenſam, promittat ſeriam emendationem. Deinde corpore (modo officium nõ deſerat)peſtem corporis fugiat. Quod ſi autem iſta fuga luem declinauerit, ſciat Deum hoc modo pœnam ſe declinare voluiſſe. Quare pro hoc medio oblato gratiæ Deo agendæ ſunt.

Secunda cauſa fugæ non ſpontaneæ eſt Tyrannis ſeu perſecutio. Hic opus eſt vt diligenter ex cauſis efficientibus & finibus diſcernamus inter fugam licitam & illicitam. Nam cum Chriſtus & præcipit fugam *Matth.*10. Si perſecuti vos

fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam: atque hoc proprio confirmat exemplo *Ioan.7.* Et ambulabat Iesus post hæc in Galilæam, non enim volebat in Iudæa ambulare, quia volebant eum occidere: & damnat fugam *Ioan.10.* vt quæ non sit Pastoris boni, sed mercenarii iniqui, fugientis oues veniente lupo: Sequitur esse & fugam probandam licitamque, & fugã damnandam atque illicitam. Hoc discrimen aliunde peti nõ debet, aut potest, quam ex causis & finibus, quæ rebus & actionibus in se mediis, qualitatem bonitatis & malitiæ induunt.

Principio autem hic tenendum est duplicem esse fugam: vnam animi, corporis alteram. Animi fuga semper est in vitio & inexcusabilis. Corporis vero fuga ex circunstantiis causarum & finium, vt diximus, variat. Sed de animi fuga nõnulla ascribemus, quæ est & frequentior & periculosior.

Est autem fuga animi cum aliquis corpore quidem manet præsens in vocatione & officio: sed animo discedit ab officio, quæ sane fuga etsi fœdissima est & indigna seruis Dei, tamẽ in eos sæpe cadit, qui se gloriantur strenuos esse Christi milites, quique corpore fugientes, tanquam timidos mercenarios traducunt, cum tamen illorum fuga multo sit nocentior & turpior, quam horum.

Vt autem committitur hæc animi fuga, vt vel fauorem captemus hominum, vel commodum quæramus nostrum, vel periculum aliquod declinemus: ita proficiscitur vel ab ambitione, vel ab auaritia, vel a pusillanimitate. Cum ergo hi fines & hæ causæ fugæ animi, vitiosæ sunt, quis eam non dãnauerit? Sed rem exemplis declaremus. Si non doces sincere quæ necessario docenda sunt, si non arguis quæ arguenda nouisti, si non mones quæ sunt monenda. Breuiter: si non facis quæ tui officii sunt, animo turpiter fugis, etiamsi corpore manes, proditor es gregis Christi, fraudulenter opus Domini facis, atque ita in iudicium Dei incurris. Nihil hic iuuat ficta excusatio: conscientia te accusat: conscientia fert contra te testimonium: conscientia te iudicat, conscientia te torquet.

Verum hic duo iuxta consideranda sunt. *Vnum:* discrimen inter necessaria, quæ ad fundamentum pertinent: & non necessaria quæ citra magnum damnum taceri possunt. Illa nullo modo ob quanuis causam negligenda sunt. Hæc tran-

quillitatis gratia taceri possunt, præsertim si plus allatura videntur damni si dicantur, quam si sileantur ad tempus. Tempus enim multa corrigit. *Alterum* est prudentia singularis quæ media ordinat ad officium rite præstandum, vt tranquillius & pacatius omnia fiant. Sic Nathan non mox erumpit in Tragicos clamores aduersus Dauidem adulterum & proditorem exercitus Domini, non publice Regem traducit, sed prudenter media quærit, & sine tragicis clamoribus, parabola proposita, modeste deducit Dauidem in cognitionem sui peccati: Ministros Euangelij suo exemplo docens, quomodo oporteat eos agere cum principibus viris & illustribus personis, vt omnia ad ædificationem faciant. Tametsi autem nullum est discrimen in regno Christi, inter Reges & baiulos, tamen in externa disciplina videndum est prudenter, quid maxime expediat, & magis ad ædificationem faciat. Quemadmodũ Nathan hic fecisse videmus: Non enim publice traduxit Regem suum, tametsi scelus erat notorium, sed priuatim illum leniter monet, & errantem in veram viam reduxit.

Porro hanc animi fugam quatuor, si modo serio cogitantur, impedient: videlicet, amor Christi, timor Dei, pręmium fideliter præstiti officij, & pœna neglecti.

Amor Christi sincerus principem locum idque merito obtinet. Ideo Christus, vt est *Ioan*. 21. amandaturus Petrum ad pascendas oues suas, ter illum interrogat, an se amet, & toties illi asseueranti suum gregem pascendum commendat. Quo facto significat Dominus neminem esse idoneum pascendis ouibus suis, nisi qui se amat, idque intime, sincere, caste. Amat autem Christum intime, sincere, caste, qui eum nouit, qui eum animo toto complectitur, qui ei fide adhæret, qui eius honorẽ & gloriam omnibus rebus mundi antepo nit, qui seruat ipsius sermones iisq; delectatur vnice, qui imperata facit, qui se opponit ipsius aduersariis, qui nihil facit ex proposito, quod scit illi displicere: Breuiter: qui Christum anteponit omnibus rebus mundi, opibus, honoribus, voluptatibus, & vitę proprię, cum beneuola quadam ac pia lætitia, is Christum intime, sincere, caste amare putandus est. Quare & solus est idoneus ad pascendum gregem Christi. Vide quæ in postremum caput Euangelij Iohannis annotauimus.

Timor Dei qui ex fide & amore naſcitur, ſimiliter animi fugam impedit. Qui enim Deum ex fide & amore timet, cauet omnibus modis ne quid faciat: quod ipſum merito offendat, omnibus rebus mundi anteponit obedientiam erga ipſum. Et quia ſcit officium facere, illudque non deſerere, potiſſimam eſſe obedientiæ partem: omnia diſcrimina potius adibit, quam vt animo fugiat, quominus officium faciat.

Præmium non deſerti officij, ſed fideliter præſtiti ſequitur, quod eſt multiplex: videlicet, bona conſcientia, conſeruatio augmentatioque donorum in hac vita, & Corona gloriæ in futura.

De conſcientia Paulus loquitur, cum de ſeipſo in hunc modum verba facit: 1. *Cor.* 1. Gloriatio noſtra hæc eſt: teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Loquitur autem Paulus, cum de miniſterio, tum de conuerſatione ſua inter homines. Nam non ſufficit recte facere officium, niſi etiam ſis exemplar gregis, per piam & ſanctam conuerſationem. Timotheo diſcipulo ſimiliter ſcribens, ait: 1. *Tim.* Milita honeſtam militiam, retines fidem & bonam conſcientiam. Vt ergo bona conſcientia eſt comes fideliter præſtiti officij in hac ſancta militia: ita eſt præmium magnum, omnibus Perſarũ gazis preferendum. Stipendium quod accipiunt miniſtri Euangelij, pro labore præſtito, eſt quidem premium, & quædã compenſatio externi laboris, ſed nullo modo conferendum eſt cum theſauro illo magno, qui eſt bona cõſcientia. Hanc ergo multo magis quærant miniſtri Euangelij, qua mens eorum mirum in modum exhilaratur, quam bona externa, quibus corpus ſaginatur.

De conſeruatione & augmento donorum loquitur Chriſtus cum ait: Omni habenti dabitur, & abundabit: hoc eſt, Qui recte in gloriam Dei, in ædificationem Eccleſiæ, in ſubleuationem proximi, donis acceptis vtitur, hunc Deus plurimis ornat beneficiis & donis, vt abundet magis. LVTHERVS recte vſus talento ſcientiæ quod acceperat, in ædificationem Eccleſiæ, & deſtructionem Papatus (nouit enim ex verbo Dei, indulgentias Papales impoſturas eſſe) cumulatus eſt paulatim maximis donis. Principia enim in Luthero fuerunt, vt in aliis, mediocria, ſicuti ipſe audiui eum ſæpe teſtatum eſſe: Verum quia illis principiis bene vſus eſt, ſenſit

pau-

paulatim maiora incrementa, adeo vt tandem euaserit in tantum virum, quem merito omnis mirabitur posteritas. Sic etiam alij ministri Dei, donis minoribus recte in Ecclesiæ ędificationem vsi, maiora in dies ex larga Dei manu accipiunt, quo vtiliora reddantur organa in Ecclesia Dei. Nũquam enim inanis futura est hæc magnifica Christi promissio *Math.25.* Habenti dabitur & abundabit. Pij ministri Euangelij, quam efficax sit & vera hæc Christi promissio, cum summa animi voluptate experiuntur, vt de aliis taceam.

De Corona gloriæ in futura vita loquitur Paulus cum ait 2. *Timoth* 4. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, quod reliquum est reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in die illo, iustus iudex. 1. *Petr.5.* Pascite eum qui apud vos est gregem Christi, curam eius agentes, non coacte sed libenter, non turpis lucri gratia, sed liberaliter, neque vt dominantes Cleris, sed vt qui sitis exemplaria gregis, & cum apparuerit ille Pastorum princeps, reportabitis immarcessibilem illam coronam gloriæ. *Apocalyp.* 2. Esto fidelis, vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Dicitur autem eadem Corona, & iustitiæ, & gloriæ, & vitæ. Iustitiæ propter causam, id est, iustum laborem in ministerio. Gloriæ & vitæ propter effectum seu euentum, id est, mercedem gloriosam percipiendam in æterna vita.

Porro Coronæ nomen admonebit ministros Euangelij de duobus, quorum vnum est certamen, quod non exiguũ ministris verbi propositum est: alterum est, quod post certamen præmium gloriosum expectãdum est. Quod si, inquit Paulus quis etiam certauerit, non coronabitur, nisi legitime certauerit: 2. *Timot.2.* Vt enim nullus athleta præmio donatur, nisi legitime certauerit, & inuictus ad extremum perstiterit: sic nec Christianus athleta in curriculo prædicationis præmium a Christo expectabit, nisi victor euaserit, perseuerando in certamine ad extremũ vsque. Sed inter athletas mundanos & Christianos milites, hoc discrimen, quoad præmium attinet, facit Paulus 1 *Corh.9.* Illi, inquit, scilicet mundani certant, vt perituram coronam accipiant: nos vero incorruptibilem. Huc pertinet & illud *Danielis, cap. 12.* Qui ad iustitiam multos erudiunt, fulgebunt, vt stel-

læ in perpetua æternitate. Non enim cœli puritas, non stellarum fulgor, non solis claritas vincet lucem, quam Deus doctoribus & discipulis Euangelij communicabit in extremo die, resuscitatis corporibus, non abolitis, ut cõuersis in spiritus, sicut quidam garriunt. Etsi autem vita ęterna est donum Dei per dominum nostrum Iesum Christũ, quem fide cum suo merito appræhendimus: tamen Deus ex paterna bonitate, promittit officij fideliter præstiti compensationem & remunerationem. Quare & de Mose scriptum est, ad *Hebræ.*11. quod fide respexerit ad remunerationem.

Quartum quod merito fugam animi ab officio impediet est pœna. Si quis enim non flectitur amore Christi, nec mouetur præmio præsentis vitæ, nec allicitur spe Coronæ promissæ, flectatur sane cogitatione pœnæ quæ ipsi diuinitus impendet, propter neglectum officium. Hæc pœna ex antithesi præmij intelligi potest. Vt enim fideliter facienti officium, præmium est propositum, vt diximus, bona conscientia, augmentatio donorum in hac vita, & gloriæ corona in futura vita: Ita deserenti officium & animo fugienti triplex pœna est formidanda: Mala cõscientia, spoliatio donorum, quæ habet quis in hac vita, & ignominia sempiterna, cum cruciatu & maledictione in futura vita.

Quantum onus sit mala conscientia, etiam Ethnici ex parte intellexerunt, nam conscientia φύσικον κριτήριον est de hominum factis, cuius magna vis est, vt ait Cicero, in vtramque partem, vt neque timeant qui nihil cõmiserunt, & pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccarunt. Noti sunt versus Ouidij:

Conscia mens vt cuique sua est, ita concipit intra
Pectora pro meritis spemque metumque suis.

Qui ergo malam conscientiam habent, propter desertum officium, onus Aetna grauius sustinent. Quid enim grauius esse potest, quam

Nocte dieque suum gestare in pectore testem?

De spoliatione donorum loquitur Dominus *Matth.*25. Ei qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo. Hæc pœna iustissima est, nam quicquid habemus, accepimus a Deo, vt eo vtamur iuxta voluntatem ipsius. Cum igitur contra voluntatem Dei abutimur donis Dei, mirum non est, si nos iis propter ingratitudinẽ & abusum priuat.

In futura vita expectanda est horrenda pœna neglecti officij, videlicet, maledictio, sempiterna ignominia & cruciatus in omnem æternitatem. Inutilem seruum, ait Dominus, mittite in tenebras exteriores, illic erit fletus & stridor dentium. *Matt.* 25.

Hæc breuiter sint de fuga animi dicta.

Corporis fuga cum vno loco relicto fugitur in alium duplex est: Licita vna, altera illicita.

Licita fuga est cum quis animo quidem manet, corpore vero discedit, bono consilio & bono fine. Hæc interdum officij est, nemo enim debet sibi sponte pericula accersere, quando bona conscientia ea declinare licet. Nam cum Christus legitur *Ioan.* 7. fugisse, quia Iudæi volebant illum interficere: docet suo exemplo, quod nemo debeat se conijcere in manifestum discrimen, vbi sine peccato latere licet. Qui enim contra facit, reus fit tentationis Dei, & stultæ temeritatis. Vnde Syracides *cap.* 3. Qui amat periculum, peribit in eo.

Illicita fuga est cum & animo & corpore aliquis discedit, ouibus lanienæ luporum expositis. Hęc fuga proditoria est, & contra officium boni pastoris. Est enim boni pastoris animam suam ponere pro ouibus. *Ioan.* 10.

Vt autem clarius de fuga corporis licita & illicita erudiamur, libet Augustini sententiam de hac re ascribere. Hic enim grauissimus scriptor, fugæ distinctionem petit à qualitate persecutionis, quam dicit esse vel communem pastorum & ouium, vel pastorum tantum eorumque vel omniū, vel certorum. Hinc tres regulas de fuga licita extruit *epist.* CLXXX ad Honoratum.

Prima. Si persecutio est communis, eadem vel manendi vel fugiendi necessitas incumbit vtrisque, hoc est, pastoribus & gregi. Si ergo manserit grex, maneat & pastor. Si grex discesserit, discedat quoque pastor. Verum prudens pastor hic cogitabit quanta sit imbecillitas humanæ naturæ, & suadebit auditoribus suis, vt potius per fugam vitæ suæ consulant, declinantes paulisper impetum atque incursum hostium, quam vt stantes in acie certaminum & periculorum, fidei fiant desertores. Neque vllum periculum animæ adfert si quis per fugam fidem conseruet, imo confessionis testimonium talem fugam dixerim.

Secunda, si persecutio fuerit omnium pastorum simul & non gregis, forte eligantur adhibitis precibus, qui maneat, discedentibus aliis: vt seruati aliquando Ecclesiæ sedatis tumultibus seruiant. Hęc fuga cum habeat iustam causam, nempe curam gregis: & pium finem, nimirum, vt restituta pace diutius & vtilius Ecclesiæ seruiant, licita censebitur.

Tertia. Si persecutio fuerit non omnium pastorum, sed certorum duntaxat, sit Pauli exemplum *Act.* 20. pro regula. Is enim fugit rabiem persequentium se, relictis aliis apud gregem Episcopis, quibus ipsum gregem grauissima oratione commendauit, affirmans eos esse Episcopos, quorum est pascere Ecclesiam, quam ipse Deus sibi suo sanguine acquisiuit. Verum hic Augustinus vnam exceptionem addit, cum ait: Fugiat minister Christi, sicut Christus in Ægyptum fugit: fugiat qui specialiter quęritur, dum per alios est tuta salus Ecclesiæ.

Fuga corporis illicita & damnanda, est cum Pastor aliquis de loco vno in alium fugit, vel rei augendæ gratia, vt auarus, vel tædii causa, vt voluptuarius, vel ingratitudine auditorum fractus, vt non satis cordatus, vel persecutionis malo deterritus, vt impatiēs. Non ergo auari, non voluptatibus dediti, non minus cordati, non impatientes, apti sunt ad ministeriū Euāgelii. Huiusmodi ergo omnes reiicit Christus a ministerio Euangelii *Luc.* 9. cum ait: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. Abnegat autem semetipsum, qui nullis affectibus carnis indulgens, se totum cōponit ad obedientiam Christo in ministerio præstandam, adeo vt vitæ propriæ periculum pro Christo non dubitet adire, idque quotidie. Nam vt dies diem consequitur, ita vna crux aliam excipit. Semper enim finis vnius periculi initium est alterius in hac vita. Et rursus: Nemo mittens manum suam ad aratrum & aspiciēs retro, aptus est Regno Dei: id est, Ecclesiæ per ministerium verbi colligendæ. Nam cum quidam cum conditione se Christo offerret, diceretq;: Sequar te Domine, sed permitte mihi prius, vt dicā vale iis qui sunt domi meæ: Dominus illum vt ineptum Regno Dei propagādo per prędicationem Euangelii reiicit: dicitq; neminem esse aptū Regno Dei propagādo, qui rebus huius mundi implicatur. Nemo, inquit, mittens manum suam ad

ad aratrum, & aſpiciens retro,aptus eſt Regno Dei. Hæc pulcerrima collatio eſt inter agriculturam & miniſterium Euangelii,inter agricolas & miniſtros verbi, cuius hæc eſt ſententia,ſi collationis membra explicite ponas. Vt qui ſemel ſe addixit aratro,id eſt agriculturæ, & poſtea negotiis ab agricultura alienis ſe inuoluit,non eſt idoneus agricola: ita qui ſemel ſe addixit Regno Dei, ſcilicet per prædicationem Euangelii propagando, & poſtea ſe rebus a miniſterio alienis immiſcet, non eſt idoneus miniſter Euangelii. Eſt ſiquidem miniſter Euangelii tanquam agricola, aratrum ipſum miniſterium: agricolatio labor in miniſterio: ſemen verbum Dei: aruum in quod iacitur ſemen per agricolas ipſi homines ſunt. Paulus vt excitet diſcipulum ſuum Timotheum ad ſtrenue faciendum officium,confert miniſterium verbi militiæ *2.Timoth.2.*cum ait:Tu feras afflictiones tanquam bonus miles Ieſu Chriſti. Nemo qui militat,implicatur vitæ negotiis, vt ei qui ſe in militiam delegit,placeat: Quod ſi quis etiam certauerit, non coronabitur, niſi legitime certauerit. Hæc apud ſe miniſtri Euangelii ſerio expendant, ne tanquam inutiles ſerui abiiciantur in tenebras exteriores.

Hactenus de fuga. Nunc de exilio quod fugam excipit,pauca dicemus.

Nemo quam graue ſit exilii onus intelligit ſatis, niſi qui ipſe expertus eſt. Cum ſecure habitas, facile eſt dicere cum Poeta:

Omne ſolum forti patria eſt,vt piſcibus æquor.

At cum ipſe experiris, ſentis quã ſit graue illud perferre. Vt Polynices apud Euripidem matri Iocaſtæ ipſi exilium ſuadenti ait: ἀναγκαίως ἔχει
πατρίδος ἐρᾶν ἅπαντας: ὃς δ᾽ ἄλλως λέγει,
λόγοισι χαίρει, τὸν δὲ νοῦν ἐκεῖσ᾽ ἔχει.

Hoc eſt:neceſſario omnes tenentur amore patriæ.At ſi quis aliud dicat,verbis ſe oblectat,ſed animũ in patria habet.Vere proinde dicit Chorus mulierũ in Medea Euripedis: μόχθων
δ᾽ οὐκ ἄλλος ὕπερθεν
ἢ γᾶς πατρίας στέρεσθαι. id eſt,

Nihil quam priuari patria laborioſius.

Porro duo hic adiiciemus de exilio.Primũ quomodo pios exules excipere deceat.Alterũ quomodo nos ipſi cõſolemur

& erigamus si nobis aliquando exilium ferendum sit.

Quomodo ergo pios exules excipere decet? Hoc vetus mandatum, seu lex Dei æterna docet videlicet: Dilige proximũ tuum sicut teipsum. Hac enim lege omnes obligamur ad dilectionis officia præstanda proximis, id est, omnibus hominibus, propterea quod inter nos omnes societate naturæ coniuncti sumus, atque ideo proximi alii aliis iure dicimur. Ita in lege ista duæ includuntur rationes, quarum *Prior* a voluntate Dei præcipientis sumitur: Quia enim ille mandat, nobis incumbit obediendi necessitas. *Posterior* a natura sumitur. Dictat enim natura mutuam membrorum dilectionem. Est ergo sensus huius legis. Dilige quemuis hominem: Quilibet enim homo tibi societate naturæ coniunctus est, atque ideo proximus tuus & caro tua est.

Huc accedit nouum mandatum Christi Domini & redemptoris nostri. Sic enim ait: Nouũ mandatum do vobis. Diligite vos inuicẽ, sicut ego dilexi vos. Sicut ergo Christus nos exules filios Adam dilexit gratis & intime: Sic & nos exules diligamus, & præsertim eos, qui eiusdem fidei domestici sunt nobiscum. Hos enim gradus Paulus facit cum ait ad *Galat.* 6. Dum tempus habemus benefici simus erga omnes, maxime autem erga domesticos fidei. Est ergo hic ordo seruandus, vt maxime habeamus rationem domesticorum fidei, hoc est, eorũ qui eandem fidem nobiscum profitentur, quam eorum qui alieni sunt a fide nostra.

Huc accedit quod Christus sibi factum reputat, quicquid piis exulibus præstiterimus: hospes, inquit, fui & collegistis me: *Matth.* 25. In omnibus igitur piis exulibus Christus ipse excipitur. Qui ergo pium hospitem non recipit, Christum excludit, & se ab ipsius societate seiungit.

Adhęc communis Sanctorum in hac vita cõditio spectetur. Num cũ sancti in hoc mundo suis sæpe pelluntur sedibus, opus habent mutua refocillatione. Nemo enim est qui statuit serio Deum timere, præsertim si munus docendi in Ecclesia sustineat, qui certum possit sibi polliceri hospitium, ad vitæ suæ terminum. Nam principes mutantur vt aura, & alii alias relligiones sectantur, & pro arbitrio sæpe relligiones mutant. Fit etiam interdum quod pii alioqui principes ab adulatoribus, sycophantis & Sophistis decipiantur.

piantur. Vnde fit vt pii doctores,& alii eorum discipuli, qui cordate tuentur veritatem,cogantur exulare cum miseris vxoribus, tenerisque liberis,& noua sibi quærere hospitia. Hæc ergo communis cõditio flectat nostros animos ad amanter pios exules complectendos.

Dominus *Matth.*10.mercedem promittit cum ait: Quicunque iustũ receperit nomine iusti, mercedẽ iusti accipiet. Et Dauid ait: Beatus qui intelligit super egenum & pauperem : in die mala liberabit eum Dominus. Sic Abraham gloriosam mercedem accepit pro sua hospitalitate. Loth hospitum beneficio liberatur ab incendio Sodomæ. Raab meretrici cũ suis parcitur,eo quod hospites pie tractauerit & dimiserit.Helias excitauit a mortuis filium viduæ,quę se hospitio exceperat. Mulier Sunamitis præmium piæ hospitalitatis accepit:Nam Elisæus hospes ei filiũ impetrauit, & ipsum postea defunctum miraculose ad vitam reuocauit. Sed quid exempla prosequor,cum sint infinita? His ergo rationibus moti simus amantes piorum exulum & peregrinorum, eosque tanquam Christum ipsum & propriam carnem complectamur.

Prætereo pœnas crudelitatis aduersus exules & tantum hoc Iacobi dictũ addo.Iudiciũ sine misericordia erit ei, qui misericordiæ fuerit expers. *Iacob.* 2.

Porro hic iudicio accurato opus est,vt discernamus quantum fieri potest inter pios exules, qui propter iustitiam exulant, aut alioqui peregrinantur, honestas ob causas: & circumforaneos nebulones, qui leuitate vagantur,vt vel ex alieno viuant,vel explorẽt fidem aliorum,vt postea eos apud suos deforment & dissidia inter Doctores Ecclesiæ seminent. Tales sunt ipsissima flabella Diaboli,quibus excitantur dissidia & seditiones periculosissimæ in Ecclesia, in multorum scandalum & interitum.

Quomodo nos consolabimur,si propter iustitiam nobis aliquando exulandum erit?

Duo hic sunt consolationis genera consideranda: vnum generale,alterum speciale.

Philosophicum vt in Ecclesia ἄσοφον prætereo.

Generale est quod petitur ex locis consolatoriis communibus, vt qui in quauis cruce adhiberi possunt, de quibus

alias sæpe dictum est.

Speciale est quod exilio piorum mitigando accommodatum est. Huius loci præcipui sunt hi:

1. Exilium commune generis humani.
2. Causa iusta.
3. Exemplum Christi & multorum sanctorum.
4. Symbolica significatio.
5. Spiritualis fructus.
6. Collatio terreni exilii piorum, & spiritualis exilij Tyrannorum, qui pios persequuntur.
7. Comparatio exilii piorum in mundo, & compensationis gloriosæ in cœlo.

Hos locos peculiares & accommodatos mitigãdo exilio piorũ signare placuit. Si quis autẽ vel pauciores, vel plures numerauerit, aut etiam aliis titulis signauerit, me nequaquã offendet, modo ædificatio spectetur Ecclesiæ.

Iam breuiter signatos locos declaremus.

De Primo.

Commune exiliũ humani generis cogitetur. Adam enim conditus erat, vt cum tota sua posteritate habitaret securus in Paradiso Dei, cum hac conditione, si diuino pareret præcepto. Verum postquam peccauit, eiectus e Paradiso factus est exul, & in suo exilio dura patitur in posteritate sua. Quare si nos cogimur locum propter iustitiam mutare, consolemur nos communi exilio totius generis humani. Quod enim pluribus commune est, leuius fertur vt dici solet: Naufragium commune dulce. Verum hoc magnum consolationis pondus adferet, cum cogitamus Adã propter iniustitiam, nos autem propter iustitiam exulare.

De Secundo.

Causa exilii iusta (hic enim tantum de exilio piorum ago) in mentem veniat, & erigatur animus in exilio, dicto Christi. *Matth.* 5. Beati qui persecutionẽ patiuntur propter iustitiam, quia illorum est regnum cœlorum. Et 1. *Pet.* 3. Si quid patimini propter iustitiam, beati estis, Sed

Quomodo, inquies, *beati sunt qui misere affliguntur?*

Sunt

Sunt beati. *Primum* respectu impiorum qui ipsos persequuntur: Illi enim sunt extreme miseri. Deinde quia eorum causa iusta est, quam iustus Deus approbat. *Tertio* quia sunt in vera via ad veram & solidam beatitudinem. Est enim crux sanctis via ad gloriam. Non ergo beati sunt sensu carnis qui affliguntur (Est enim omnis crux carni molesta) Sed spe fructus. Vnde Epistola ad *Hebræos capite* 12. Omnis castigatio in præsens quidem non videtur esse gaudii sed tristitiæ: Postea autem fructum tranquillum iusticiæ, per eam exercitatis reddit. Et Gregorius Nissenus ait: Cur beati qui lugent? Quoniam in infinita secula solatio fruentur. Item, A malo exagitari, causa boni adipiscendi fit. Bonum autem & supra omne bonum Dominus est, ad quem cursu contendit, qui persecutionem patitur propter iustitiam.

De Tertio.

Christi exemplum & multorum sanctorum tertium locum consolationis in exilio fecimus. Christus enim ideo factus est exul, vt nos in patriam reduceret. Huius ergo exemplo animos nostros erigamus, si quando propter ipsum nobis exulandum erit. Si enim ille exulabat pro nobis, par est vt forti animo pro illo vicissim exulemus. Sint noti Studiosi versus Melanthonis:

Exul erat Christus, comites nos exulis huius
Esse decet, cuius nos quoque membra sumus.

Huc faciunt multorum Sanctorum exempla, vt Abrahæ, Loth, Iacob, Isaac, Ioseph, Danielis, Ieremiæ, Tobiæ, & Populi Dei in Ægypto & in Babylonia. Item. In nouo testamento infinitorum, tum & in prima illa & stante Ecclesia Sanctorum, qui Hæresiarchis, Arrio, Sabellio, Nestorio, Eutycheti, & aliis se opposuerunt.

De Quarto.

Symbolica significatio exilii sanctorum cogitetur, quæ est vt eos admoneat, quod simus peregrini in hac terra, vt in veram patriam contendamus. Non habemus hic, ait author Epistolæ ad *Hebræos capite* 13. manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus, nempe cœlestem Hieru-

ſalem, quã parauit nobis filius Dei. Cum ergo in exilio ſumus, leuemus mentes ad patriam cœleſtem, & inde expectemus venturum ſaluatorem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui nos de exilio reducet in veram patriam, a qua nunquam poſtea exulabimus.

De Quinto.

Quintus locus conſolationis in exilio eſt ſpiritualis fructus, quem pii in exilio percipiunt. Primum enim verbum Dei illis charius redditur, dum eius viuificum fructum per ſpiritum ſanctum percipiunt. Hæc eſt conſolatio mea, inquit Dauid *Pſalmo*.119. in afflictione mea, quod verbum tuum viuificabit me. Item: Niſi lex tua, delectatio mea, tunc periiſſem in afflictione mea, id eſt, in exilio meo. Item. Bonum eſt mihi quod humiliaſti me, vt diſcerem iuſtificationes tuas. Deinde pii exules ardentius Deum inuocant, ex corde petentes, vt cito illud glorioſum Dei regnum veniat. Breuiter: Omne genus pietatis, piis creſcit in exilio, quæ ſane pietas cuiuis homini tutiſſimus theſaurus eſt. Diſcunt præterea pii exules, in ſuo exilio, miſereri afflictorum. Qui enim nihil expertus eſt ipſe mali, aliena miſeria non afficitur. Qui vero expertus eſt, cõdolet aliis, ſicuti illa ait:

Non ignara mali miſeris ſuccurrere diſco.

De Sexto.

Collatio terreni exilij piorum, & ſpiritualis exilij Tyrannorum. Pij exulant a malis hominibus eiecti. Tyranni exulant a ſocietate Sanctorum excluſi. Pii in ſuo exilio habent Deum ſibi præſentem & fauentem: Tyranni autem ſocium Diabolum habent. Piorum exilium, eſt probatio. Tyrannorum ſpirituale exilium, eſt condemnatio. Non eſt ergo quod pij exules imprecentur ſuis perſecutoribus mala: Satis enim ſuperque miſeri ſunt, vt qui recta in infernum properent.

De Septimo.

Septimũ locũ in mitigando piorũ exilio occupat comparatio præſentis in hoc mũdo exilii, & compenſationis glo-

riosæ in cœlis. Hoc exilium piorum durat ad breue tempus, corpus affligit, facultates si quæ sunt exhaurit, ab amicis nos seiungit: Sed compensatio erit in cœlis, in perpetuum duratura, vbi animo & corpore optime habebimus, vbi abundabimus omni bonorũ copia, vbi societatẽ habebimus cũ Deo Patre, cum domino nostro Iesu Christo, capite nostro, cũ beatis spiritibus & omnibus electis Dei, in omnẽ æternitatem. Hanc veram solidam & æternam fœlicitatem, breuissimo exilio huius mundi opponamus.

SECVNDA PARS.

4. *Iehouah in templo sanctitatis suæ: Iehouah in cœlo thronus eius, oculi eius vident, palpebræ eius probant filios Adam.*

5. *Iehouah iustum probat, impium autem & diligentem iniquitatem odit anima eius.*

6. *Pluet super impios laqueus, ignis & sulphur & spiritus procellarum, pars calicis eorum.*

7. *Quoniam iustus Iehouah iusticias diligit, rectũ videbit vultus eius.*

DAuid in sua afflictione consolatur se cogitatione potentiæ, prouidentiæ, & iustitiæ diuinæ. Quasi diceret: Etsi autẽ legibus nullus locus est apud Tyrãnnos, vt innocẽs possit ad eas prouocare, & suam innocẽtiam testari: Tamen Iehouah ipse qui vniuersum mundum sua prouidentia moderatur, iuste tandem iudicabit, me liberando innocentem, Saulem autem Tyrannum damnando. Sẽsus ergo horum quatuor versuũ hoc Syllogismo cõpræhenditur. Deus cuius est summa maiestas, & omniũ rerum cura, vt amat iustos & odit impios: ita secundũ suam iustitiã iustos eripiet e periculis, impios autẽ pœnis subiiciet, eosque tandẽ perdet. Ego autẽ iustã causam habeo, nec quicquã impie gessi aduersus Saulẽ & eius socios. At ille nihilominus me summa iniuria afficit, innocentẽ persequitur, & perdere cogitat: Igitur Deus me tã dẽ gloriose liberabit, atque illũ cũ suis euertet. Sola maior ponitur, atque aliis aliisque verbis inculcatur. Minor & conclusio ex priori parte Psalmi assumentur. Porro maior prin-

cipium est in Ecclesia Dei, quo omnes pii in suis afflictionibus se sustentant, videlicet, quod Deus iuxta promissiones & comminationes suas, iustos quidem sit tandem liberaturus, impios vero perditurus. Quinam autem iusti in Scripturis dicantur, sæpius a nobis explicatum est. Iam verba Dauidis sigillatim expendamus.

Iehouah in templo sanctitatis suæ, vel in templo sancto suo. Genitiuus enim Hebræis sæpissime epitheti loco ponitur. Etsi autem Iehouah qui est Pater & Filius & Spiritus sanctus, vbique est, essentia, præsentia, potentia, tamen peculiari modo in suo templo esse dicitur, in eoque habitare.

Quare hic primum videndum est, quid sit templum, quotuplex & modus inhabitationis Dei in suo templo.

TEMPLVM proprie, si vocem Hebraicam qua hic Dauid vtitur, spectamus, palatium Regium est, in quo Rex aliquis habitat, potēter regnat & dominatur. Quia autē est Rex terrenus & Rex cœlestis, palatium duplex erit, videlicet, terrenum, & cœleste. Terrenum in quo habitat, regnat & dominatur terrenus Dominus: βασιλικὴ græce, regia latine dicitur. Cœleste in quo habitat, regnat & dominatur Rex cœlorum. Hoc palatium cœlestis Regis Latini Theologi templum, Græci ναὸν κατ' ἐξοχὴν appellant. De hoc nobis hic sermo est. Et est multiplex:

Primum enim, cœlum ipsum dicitur templum Dei, in quo thronus maiestatis eius esse scribitur, vt Dauid noster hoc loco definit. Primum enim dicit:

Iehouah in templo sancto suo. Id mox declarat cum addit:

Iehouah in cœlo thronus eius. Dicitur ergo cœlum templum Dei, quia ibi potenter dominatur & regnat Rex cœlorum, angelis & piis animabus ei seruientibus: vt Christus & Daniel testantur.

Secundo, templum Dei dicitur hic mundus totus. Nam vt in eo Deus potenter regnat & præualet, reprimit Diabolos & Tyrannos, suaque prouidentia moderatur omnia: Ita vult in toto mundo coli & adorari. Quare hic totus mundus haud immerito domus siue templum Dei, & domus orationis dicitur.

Tertio

Tertio domus a Salomone Deo ædificata, templum Dei nuncupata est. Sic enim dicit Dominus 3.*Reg.*9. Sanctificaui domum quam tu ædificasti mihi, & nomen meum ponam ibi perpetuo (id est, vocabo domum illam domum meam) vt ibi sint oculi mei,& cor meum. Et 2.*Paralip.*6. Ego ædificaui tibi o Deus domum habitaculi, & locum habitationi tuæ in secula.

Quarto, ipse Christus dicitur templum Dei vt ipse de se testatur,cum ait *Ioan.*2. Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Hic Christus (vt Euangelista testatur) corpus suum templum vocat. Ille autem,inquit,dicebat de templo corporis sui.

Quinto, ipsa Ecclesia Dei, & quilibet pius templum Dei dicitur. Sic enim Paulus ait 2.*Cor.* 6. Vos estis templum Dei viui,sicut dicit Deus. Quoniam inhabitabo in illis & inambulabo. Et ero illorum Deus,& ipsi erunt mihi populus. Et 1.*Cor.*6. An nescitis quod membra vestra templa sunt spiritus sancti,qui est in vobis?

Iam de modis inhabitationis Dei in suo tẽplo dicemus.

Etsi autem certissimum est ex verbo Dei,Deum esse vbique totum: nam ipse Deus dicit *Ierem.*33. Nunquid non cœlum & terram ego impleo? Et Dauid *Psalm.*139. Quo ibo a spiritu tuo? & quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cœlũ ecce tu ades. Et Solomon ait 2.*Paralip.*6. Ecce cœli cœlorum non capiunt te, quanto minus domus hæc quam ædificaui? Tamen discernendum est potissimum inter tres modos habitationis Dei in suo templo. Habitabat olim in domo a Solomone extructa,vt in suo templo. Habitat in Christo vt in suo tẽplo. Habitat in Ecclesia & in quolibet sancto, vt in suo templo. Et vbicunque habitat,totus & perfectus habitat, Pater & Filius, & Spiritus sanctus,ita vt secundum οὐσίαν & subsistentias personarum nullum sit discrimen quoad præsentiam.

Quomodo ergo hos inhabitationis modos discernam?

Signis externis & efficacitate siue ἐνεργείᾳ Dei inhabitantis. *Signa* intelligo hoc loco omnia Mosaica: illa enim fuerunt typica, quibus adumbrabatur veritas noui testamenti: vt tabernaculum Mosis,& templum Solomonis. Vt ergo discrimen est inter templum Solomonis & Christum: ita etiã discrimen est inter modum habitationis Dei in templo So-

lomonis & in Christo. In templo Solomonis signo visibili declarat Deus suam præsentiam, sicut scribitur 2. *Paralip.* 7. Cum finisset Solomon orationem suam, ignis descendit de cœlo, & absumpsit holocaustum & victimas, & gloria Domini repleuit domum, & non potuerunt sacerdotes ingredi in domum Domini, quia repleuerat gloria Domini domum eius. Visibili hoc signo incurrente in sensus externos hominum declarauit Dominus inhabitationem sui in templo Solomonis, quæ inhabitatio fuit temporaria, separabilis, symbolica, elementaris, vmbratilis, vt omnia Mosaica. In Christo autē qui est veritas vmbræ respondens habitat Deus corporaliter & non vmbratice. Nam splendor Symbolicus in templo Solomonis, fuit vmbra solummodo, si Christum respicis: splendor autem paternæ gloriæ & imago substantiæ Patris in Christo est veritas ipsa, vt ille merito vmbra, hic corpus dicatur. Nam vt omnia vetera vmbræ comparantur, ita ea quæ vmbræ respondent in nouo testamento, corpori conferuntur. Atque hinc est quod Paulus ad *Coloss.* 2. de Christo loquens, ait: In ipso habitat omnis plenitudo deitatis corporaliter. Quasi diceret: Non habitat plenitudo deitatis in Christo, vt in Solomonis templo, vmbratice. Sed habitat in eo corporaliter: vt corporaliter & vmbratice opponantur. Nam cum Paulus eo in loco agit de doctrina, & hortatur Colossenses, ne sinant se decipi per Philosophiam, & inanem deceptionem, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum. Sed vt maneāt in Christo constantes, sintque sola ipsius doctrina contenti, vt quæ non sit elementaris & vmbratica. Argumentatur a causa ad effectum, siue a toto ad partem, hoc modo: In ipso habitat omnis plenitudo deitatis corporaliter: hoc est, non solum deitas ipsa in Christo habitat, sed etiam omnis plenitudo deitatis, id est, cumulatissima omnium rerum diuinarū copia, vnde tanquam ex inexhausto fonte, omnes gratiæ in corpus ecclesiæ deriuantur. Igitur in illo plena sapientia & scientia salutis est reposita, adeo vt sitis in eo completi, non indigentes aliunde vllo additamento doctrinæ ad salutem necessariæ. Proinde non est quod quisquam a Philosophia aut vmbris Mosaicis additamenta quærat: siquidem Mosaica omnia in se considerata, veluti vmbræ fuerunt, quorum respectu Christus cum sua doctrina tanquam corpus iure cen-

sebitur

scitur. Vt enim Christus est veritas, quem vt corpus templum Solomonis vmbratice figurabat: ita ipsius doctrina non est vmbratilis & imperfecta, vt cæremoniæ Mosaicæ: sed vera, firma, solida, perfecta, adeò vt præter illam, nihil ad salutem requiratur. Opponit ergo Paulus Christum Dei verum, templo Solomonis vmbratico: & doctrinam Christi perfectam cęremoniis Mosis, quæ rationem vmbræ habuerunt. Sic hunc locum Pauli Gregorius Magnus intellexit, ex eo concludens Christum omnium scientiarum dominum esse, cum ait: Paulus scientiarum dominũ redemptorẽ nostrũ insinuãs dicit: Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo deitatis corporaliter. Notetur proinde hoc aureũ dictũ Pauli, vnde petitur firmissima demonstratio sufficientiæ doctrinæ Christi ad salutem, contra omnes Philosophos, Iudaizantes, Papistas & alios quosuis, qui aliunde quęrunt salutis scientiam, quam ab vno Iesu Christo.

Porro, quod iste sit verborum Pauli sensus quem posuimus, non solum scopus & περίςασις disputationis Paulinæ: verum etiam ipsa Pauli verba clare ostendunt. Sic enim concludit. Nemo ergo vos iudicet in cibo & potu, aut parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbathorũ, quæ sunt vmbra futurorum: Corpus autem Christi. Nonne hic Paulus clarissime Christum cum sua doctrina, Mosi cum suis cæremoniis, vt corpus vmbræ opponit? Accipitur autem vtrunque vocabulum, vmbra & corpus metaphorice. Vt enim vmbra doctrinam inefficacem & imperfectam: ita corpus doctrinam efficacem, & perfectam salutis scientiam significat.

Porro hic iuxta duo tenenda sunt. *Primum*: Etsi Deus perfectus, videlicet, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus ἐνεργετικῶς, in sancto quolibet habitat. Tamẽ omnis plenitudo deitatis in solo Christo personaliter habitat. *Alterum*, quod nõ solum tota trinitas, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus in Christo habitat, vt in aliis sanctis: verum etiam quod præter hoc, secunda persona diuinitatis, nempe Filius, assumpserit sibi humanam naturam in vnitatem personæ, vt idem sit & verus Deus, & verus homo, idque per veritatem & proprietatem vtriusq; naturæ, videlicet, Verbi & Hominis, seu diuinæ & humanæ naturæ, quæ sunt in vnitatem personæ vnitæ. Ex hac vnione personali pendet inhabitatio omnis plenitudinis deitatis in Christo. Nam quia λόγος, qui assum-

psit humanam naturam perfectus Deus est, recte dicitur omnis plenitudo deitatis in ipso habitare. Quod Gregorius, cuius modo meminimus, etiam testatur cum ait: Redemptor quippe humani generis, quia summi Patris est verbum, dominus est vtique omnium scientiarum.

Etsi autem nemo hominum aut angelorum modum vnionis hypostaticæ, diuinæ & humanæ naturæ in Christo perspicit, tamen magnum est didicisse, quod sic factum est. Fides enim credit verbo, etiamsi ratio id non capit. Nam res magnas, vt Magnus ille Athanasius ait, & appræhensu difficiles, non nisi fide consequi datur. Qui ergo ratione sua scrutari arcana Dei tentat, prodit suam prophanitatem. Ita Iustinus ait: σαφὴς ἔλεγχος ἀπιστίας τὸ πῶς περὶ θεοῦ λέγειν.

Tenemus discrimen inter inhabitationem Dei in templo Solomonis & in Christo. Nunc videamus quomodo in Sanctis habitet Deus: Sunt enim & Sancti (vt supra ex Paulo docuimus) templum Dei. Vos, inquit, estis templum Dei viui. Epitheton *Viuus* & opponitur falsis Diis qui non viuũt, & efficaciam Dei habitantis in Sanctis declarat. Viuificat enim eos, effundens in eos suum Spiritum sanctum, quo corda eorum creantur noua. Etsi autem tota trinitas habitat in quolibet Sancto, tamen nulla personarum trinitatis assumit aliquem sanctorum, in vnitatem personæ. Hanc inhabitationem totius trinitatis in Sanctis, Græci Theologi vocant inhabitationem κατ' ἐνέργειαν, eo quod Deus in illis efficax est, & ipsius præsentia ex ea ἐνεργείᾳ cognoscitur. Hanc inhabitationem trinitatis in sanctis, confirmant multa testimonia Scripturæ. Cum baptizamur consecramur in templum totius Trinitatis, vt Deus ipse in nobis sit, atque nos ipsum colamus. Et Paulus in fine posterioris epistolæ ad Corint. Gratia domini nostri Iesu Christi & dilectio Dei, & κοινωνία sancti Spiritus cum omnibus vobis. Et ad *Ephes.2.* Ædificati super fundamento Apostolorum & Prophetarum, cuius summus lapis angularis est ipse Iesus Christus in quo totum ædificium congruenter coagmentatum, crescit in templum sanctum in Domino: & : Quoniam & vos vna ædificamini in habitaculum Dei in Spiritu. *2. Cor. 1.* Qui confirmat nos vobiscum in Christum, & qui vnxit nos Deus, & dedit arrabonem Spiritus in cordibus no-

stris,

ſtris. In his adductis teſtimoniis, trium perſonarum expreſſa fit mentio. De hac inhabitatione Dei in Sanctis audiamus quid dicat filius Dei, *Ioan.*14. Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Habitat ergo & Pater & Filius, a quibus Spiritus ſanctus abeſſe non poteſt, in ſanctis, per gratiam, vt diximus, qua in nouos homines creantur: non tamen abolita natura, ſed gratiæ donis ornata, vt iam tanquam noua recenſque creatura appareat. Eodem pertinet, quod idem dominus ait *Ioan.*15. Manete in me, & ego in vobis: Ergo & Pater & Spiritus ſanctus manent in iis, in quibus eſt Filius. Porro hic quæri poteſt:

Num eodem modo habitat in Sanctis, Filius, vt Pater & Spiritus ſanctus? præſertim cum Filius aſſumpſerit humanam naturam, in vnitatem perſonæ?

Reſpondeo.

Cum in Chriſtum credimus, illum in nos recipimus, non ſolum vt in nobis habitet & maneat, vt Pater & Spiritus ſanctus: verum etiam vt in vnum corpus cum illo coaleſcamus, ex quo fit, vt Paulus dicat nos eſſe carnem de carne eius, & os de oſsibus eius. *Epheſ.*5. Atqui hæc coalitio, quia eſt mirabile opus Spiritus ſancti quod captum mentis noſtræ excedit, non eſt ratione ſcrutanda, ſed fide credenda, & ſenſu cordis pro fidei noſtræ modulo percipienda. Præterea quæritur etiam,

Num omnes Sancti ſimul ſint vnum Dei templum, aut ſinguli ſingula templa?

Ex Paulo hęc diſtinctio ſumitur. Cum omnes ſancti dicuntur vnum templum, ſinguli viui eius templi lapides cēſentur: at cum ſinguli ſingula templa dicuntur: fit ideo quia tota trinitas in ſingulis habitat. Et Auguſtinus ait: Simul omnes vnū templum, & ſinguli ſingula templa ſumus. Quia nō eſt Deus in omnibus quā in ſingulis maior. Et fit plerunq; vt plures eum minus capiant, vnus amplius. Quod ſane nō ad ſubſtantiam, ſed ad ἐνέργειαν referendum eſt, quæ non eſt conſimilis in omnibus ſanctis. Hanc ἐνέργειαν Dei in ſanctis Ioannes vnctionem vocat. Vnctio inquit, quā vos accepiſtis ab eo, in vobis manet. 1. *Ioh.*2. Vnctionis vocabulo virtutes

Spiritus & dona significantur. Hęc vnctio, quod experientia ipsa testatur, in aliis maior, in aliis minor, in Christo autem secundum humanitatem omnium maxima: sicuti Dauid prophetico spiritu præuidit, *Psalm.* 45. Vnxit te o Deus tuus, oleo lætitiæ, præ cõsortibus tuis. Abundat enim Christus per hanc vnctionem, noticia Dei, iustitia, sanctitate, vocatione, & gratia secundum humanitatem, supra omnes creaturas. Merito igitur addit Propheta: præ consortibus tuis.

Atque hinc est quod solus Iesus Mariæ filius dicatur Christus: consortes autem ipsius, id est, sancti, Christiani: vt qui ab eo suam habeant vnctionem: ille vero in conceptione in vtero matris vnctus est: Nos autem concepti in peccatis vngimur tunc demum quando renascimur & sanctificamur a Spiritu sancto. Huius vnctionis manemus participes, vt docet author epistolæ ad Hebręos, *c.*3. donec conceptam fiduciam retinuerimus. Si igitur genus vnctionis spectes, eadem est vnctio qua Sancti, & homo Christus vngitur: At si modum consideres, præ consortibus suis vnctus est Dominus noster, vt & *Ioan.*3. dicitur: Non ad mensuram dat Deus spiritum sc. Filio: quasi diceret: Aliis dat ad mensuram, filio autem supra omnem mensuram. Vnicuique, inquit Paulus, datur donatio spiritus ad vtilitatem, sed secundum mensuram, *Eph.*4. ita vt nemo vnus ad plenum abundet. Id quod ideo fit, vt sit inter nos mutuum fraternæ communicationis vinculum, cum nullus sibi seorsum sufficiat, sed vicissim alij aliis indigeant. Verum in Christum solum Pater immensam Spiritus sui copiam effudit, quo hauriamus omnes de ipsius plenitudine *Ioan.*1. Hominibus, ait Augustinus, ad mensuram dat, vnico filio non dat ad mensuram. Hominibus datur ad mensuram, & concordia ibi corpus facit: sed Christus qui dat, non ad mensuram accepit.

Oculi eius vident, palpebræ eius probant filios hominum.

Hisce verbis significatur vniuersalis Dei prouidentia, videlicet, quod Deus vbique adsit, omnia videat, omnium rerum curam habeat, omniaque dirigat ad sui nominis gloriam. Quod cum ita sit, non euadent impij, quin suorum scelerum suo tempore pœnas daturi sint. Nouit enim Deus omnium iustorum & iniustorum actiones, quarum iustus est iudex. Cum Deo tribuit, thronum, oculos, & palpebras

ἀνθρω-

ἀνθρωποπάθεια eſt, vt per ſimilitudinem rerum externarum deducamur ad prouidentiæ diuinæ meditationem.

Hic locus poſtularet, vt huc aliquid de prouidentia Dei adiicerem: verum quia nuper admodum ea doctrina a nobis explicata eſt, & publice propoſita, hic ſolummodo quinque regulas, quibus mens noſtra confirmetur: & tria præcepta, quibus cor noſtrum excitetur ad facienda quę oporet, aſcribam. Hæ enim regulæ & hæc præcepta, nos ita intra limites ſobrietatis continebunt, ne euagantes incidamus in labyrintos diſputationum inexplicabiles, vnde nos poſtea, vix aut nunquam expediemus. *Regulæ hæ ſunt.*

Prima.

Prouidentia Creatoris, rerum creatarum ſalus eſt. Hæc regula Lactantij eſt, & vt nititur bonitate & ſapientia Dei, ita ſcopum habet eiuſdem gloriam. Huius regulæ cogitatione mens noſtra confirmetur, ne ex prouidentiæ diuinæ certitudine aliquid concludat, quod ſaluti creaturarum noxium ſit.

Secunda.

Ex Dei potentia gubernantis omnia, vel in bonum vel in malum nullus inuitus cogitur: Voluntas enim eſt qua peccatur, & recte viuitur. Hanc regulam fere ex Auguſtino trāſ ſumpſi: qua mens noſtra confirmabitur ne prouidentiæ diuinæ aſcribamus directe, ea mala in quæ propter peccata noſtra incurrimus. Nam iudiciū Dei punientis non præcedit, ſed ſequitur hominum facta, & nullo modo ex fato pendet: Vt Iupiter apud Homerum conqueritur:

O facinus, mortale genus nos numina primum
Incuſat, cauſamque putat fontemque malorum,
Quæ veniunt: ſua ſed pereunt ob facta nefanda:
Cum præter fatum ſibi ſponte incommoda quærunt.

Tertia.

Initium bonorum timor Domini: Finis bonorum beata vita. Hæc regula mentem noſtram continebit in recto curſu, ne vel ad dexteram, vel ad ſiniſtram declinemus, ne cogitationibus huc illuc vagantibus implicemur, & tandem erroribus impliciti extra viam feramur in præcipitium.

Quarta.

Conſtanter retineantur vniuerſales promiſsiones & com minationes cũ ſuis cõditionib. verbo Dei expreſſis, quales ſunt hæ: Deus vult omnes homines ſaluos fieri,& ad agnitionem veritatis venire.Item:Nolo mortem peccatoris &c. Item: Qui crediderit ſaluabitur: Qui vero non crediderit condemnabitur: Et eiuſmodi aliæ multæ,quæ paſſim in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis occurrunt. Si quis autẽ huiuſmodi vniuerſales γνώμας Sophiſtica eludere tentat,ſtatuas eſſe ſerpentis ſibilum, quo ipſe noſtros primos parentes ſeduxit.

Quinta.

Syracid.3.Difficiliora ne quęras,& altiora te ne ſcruteris, ſed ea quæ præcepta ſunt tibi,hæc cogita. Cum hoc Syracidæ dicto conuenit illud Æſchili: τὰ μηδὲν ὠφελοῦντα μὴ μάτην ζητῇ. *Præcepta ſequuntur.*

Primum Zenonis eſt: ἕπου Θεῷ. id eſt,ſequere vel imitare Deum,quantum quidem imitari licet.Imitatur autem Deũ, qui ea diligit quæ Deus amat, & ea odio proſequitur,quæ Deus deteſtatur.

Secundum. Subditus eſto Deo: Chriſtum fide tene:in timore Dei perſeuera:piam ama concordiam:bonam conſcientiam foue:cogitãs te habere Deum inſpectorem omniũ, quæ vel in tenebris,vel in luce agis.

Tertium. In vocatione tua & officio, ardenter ora, & ſedulo labora,expectans benedictionem a Domino.

In hunc modum mente & corde cõpoſitis, in omnibus proſperis & aduerſis committito te ſapienti & paternæ prouidentiæ Dei, certo tibi perſuadens fore,quod Dauid ſcribit in fine *Pſalmi* 37.Salus iuſtorum a Domino,& protector eorum eſt,in tẽpore tribulationis adiuuabit eos Dominus, & liberabit & eruet eos ab impiis, & ſaluabit eos quia ſperant in eo.

Iehouah iuſtum probat, impium autem & diligentem iniquitatem odit anima eius.

Hic effectus eſt iuſtitiæ & prouidentiæ diuinę cuius cogitatione erigit ſe Dauid in ſuo exilio. Nam vt ipſe ſibi

conſcius

conſcius eſt innocentiæ ſuæ, ita apud animum ſuum concludit, quod Deus tandem ſe reſpiciat, ac ſuos aduerſarios iuſte puniat. Sed dicat aliquis.

Iuſtus tamen interea patitur.

Reſpondet Dauid:

Iehouah iuſtum probat. hoc eſt,

Deus ex amore iuſtum cruce caſtigat & examinat, vt eius animus purior reddatur, & virtus ipſius illuſtrior appareat. Impium autem odit anima ipſius: id eſt, Deus ex animo & vehementer puniet, vt tandem pereat. Hoc diſcrimen ſemper teneatur inter paternam caſtigationem ſanctorum quæ δοκιμασία dicitur: & iudiciariam pœnam, quæ τιμωρία appellatur τῆς ἀδικίας (vt Plato ait) ἀκόλουθος.

Rurſus obiiciet aliquis.

Omnes homines ſunt peccatores: Ergo nullus iuſtus, ſed omnes ſimul iniuſti & impii.

Reſpondeo.

Diſtinguo antecedens. Sunt peccatores non agentes pœnitentiã, nõ cõuerſi ad Deũ per fidẽ in Ieſum Chriſtum. Hi nequaquã ſunt iuſti putandi, ſed iniuſti & impii ſimul. Sunt peccatores quibus remiſſa ſunt peccata, quorũ corda purificata ſunt fide, qui ſunt ſegregati a prophanitate mundi, & ſanctificati per ſpiritũ ſanctũ. Hi iuſti ſunt, & imputatione iuſtitiæ Chriſti, & inchoatione ſãctificationis. Hi nullo modo impii iudicãdi ſunt. *Impius* enim definitur hic a Dauide, qui diligit iniquitatẽ id eſt, qui nocte dieq; mala cogitat, & male facit, ſtudetq; nocere bonis. Iuſtus ergo hoc loco erit qui iniquitatẽ nõ diligit, ſed odit fugitq; eã æquitatis amore.

Obſeruetur præterea hoc loco teſtimonium aduerſus eos qui fingunt Deum eſſe authorẽ peccati. Si enim Deus odit iniquitatem, certe non vult iniquitatẽ: ſi non vult, profecto non approbat: Si non approbat, profecto non eſt author iniquitatis, nec quenquam iniquitatem impellit. Deinde Deus non vult mortem peccatoris, ergo non vult iniquitatem, quæ eſt mater mortis, vt Theodoretus ait: Mater mortis iniquitas: pater vero Diabolus.

De probatione Sanctorum.

Deus dicitur ſuos probare quando ſinit eos quouis modo

tentari, vt ſinceritas fidei illorum & conſtantia exploretur: vtq; ipſi magis magiſq; in recto curſu pergentes purgētur, aliiſque conſtantiæ ſint exempla. Hæc probatio ſępiſsime in ſcripturis auri probationi quæ per ignem fit comparatur (ita enim ſapiens Creator condidit has res viſibiles, vt quandã comparationem habeant cũ rebus ſpiritualibus, vt illarum ſimilitudine de his erudiamur) vt *Iob* 23. Probauit me quaſi aurum quod per ignem tranſit. *Prouerb*.17. Sicut igne probatur aurũ in fornace, ita corda probat Dominus. 1.*Pet*.1. Vt probatio fidei veſtræ multo ſit pretioſior auro, quod per ignem probatur. Huius probationis in Deo cauſa non poteſt eſſe niſi bona, cũ Deus ſit ipſa bonitas, & vtiliſſima, cum Deus ſit ſapientiſsimus. Vt enim aurifaber bono conſilio igne aurum explorat: Ita Dominus hominẽ bono conſilio quaſi igne probat, cum ſinit eum variis modis tentari. Tentationis enim finis eſt probatio. *Iaco*. 1. Neque tamen hoc facit Deus, quaſi ignorans quid ſit in homine, eſt enim καρδιογνώσης, vt qui intima cordis noſtri maxime cognita habeat: Sed vt quos probat reddat puriores, ac veluti diſcernat inter ſcoriam & aurum. Eſt autem multiplex probandi ratio, vt plura ſunt tentationis genera: ſed nos duos ſtatuamus probationis modos: Vnum internum, externum alterum. De vtroque pauca adiiciam.

Internus probationis modus fit per ignem internum, id eſt, per tentationem qua mens, affectus & cor explorantur, ſinceráne ſint, an ſecus.

Mens probatur ex cogitatione quæ in ea ſuboritur. Sunt enim, vt Solomon ait *Prouerb*. 19. multę cogitationes in corde hominis: Vnde Syracides: Fornax probat vaſa figuli, homo vero in cogitatione ſua probatur. Eſt autẽ cogitatio cũ mẽs nũc hoc nũc illud, prout rationib. ducitur, cogitat, cõſulit, iudicat. Vt ergo radix in arbore fructuum principiũ eſt: ita cogitatio hominis caput & principium eſt omnis operationis & actionis, ſiue bona ſiue mala fuerit. Si ergo bona fuerit cogitatio, opus hominis bonum erit, ſi mala malum. Verum quia mala eſt cogitatio humanæ mentis a pueritia opus eſt regeneratione, vt ex mala bona fiat per gratiam. Quando ergo in mente hominis regenerati ſuboriuntur cogitationes ex radice mala, videlicet vitio originis, pugnantes cum verbo Dei: vt: dubitatio de proui-

dentia

dentia Dei, de promiſſionibus & cõminationibus, de rebus carni placẽtibus, homo quaſi igni quodã probatur. Quod ſi vincitur iſtis cogitationibus, & in examine deficit, vt ſcoria abiicitur a Deo. Peruerſæ enim cogitationes, vt ait *Sapi.* 1. ſeparãt a Deo. Nã peruerſa cogitatio parit delectationẽ carnis: Delectatio carnis cõſenſum operatur: Conſenſus in actione fertur: Ex actione iterata ſępius cõparatur cõſuetudo: Ex conſuetudine naſcitur neceſſitas: Quid poſtea bonę ſpei reliquũ erit? Sin autẽ ſuperat eas gladio Spiritus, quod eſt verbũ Dei, armatus tanquã aurũ purũ reſeruatur. Cęterum, quoniãquandiu in hac vita erimus, nõ ita purgabimur, quin ſordes quędã in fũdo remaneãt, iuxta Syracidę dictũ: Quem admodũ ſordes in excuſſo cribro remanẽt, ita ſpurcities hominis in cogitatione eius: opus eſt vt mentẽ ipſam timore Dei tanquã muro quodã muniamus, ne peruerſę cogitationes eã expugnẽt: & perpetuis precibus Spiritũ Dei imploremus, quo mentes noſtræ indies magis magiſque purgẽtur. Mentem enim (vt quidam ex Patribus ait) puræ preces illuſtrant, impediuntque ne impuræ cogitationes eã intrent.

Affectus probantur cum concupiſcentia carnis innata, eos ſollicitat ad ea petenda, quæ carni ſuauia ſunt, ſed a Deo prohibita. Hic qui ſuccũbit, tanquam ſcoria abiicitur, iuxta illud: *Rom.* 8. Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini: At qui ſpiritu vincit, tanquam purum aurum reſeruatur, iuxta illud: Si ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.

Verum hic quatuor ad victoriam requiruntur. Verbum quod monſtrat obiectum appetendum. Spiritus qui cor nouum creat, ſedẽ nouorum affectuum. Dilectio Dei, quæ cauſa, norma, & directrix aliorum affectuum eſſe debet. Et Timor Dei, cuſtos & conſeruator puritatis affectuum.

Cor piorum purificatum fide probatur potiſsimum (loquimur enim de probatione interna) dum fiducia Chriſti de remiſſione peccatorum impugnatur, trepidatione conſcientiæ, metu abiectionis, deſperatione. Hic niſi inuictus perſtiteris retinens fidem & bonam conſcientiam, actum eſt de ſalute tua. At ſi viceris, fides tua auro pretioſior a Petro prędicatur. In hac enim victoria ſita eſt ſalus hominis.

Cum in veteri teſtamento iubebantur offerre inteſtina (inter quæ cor nobiliſsimum eſt) aqua lota in holocauſtum,

adumbrata est purgatio cordis,quæ fit per viuam illam aquam Spiritum Sanctum,sine qua oblatio nostra Deo minime grata erit. Demus igitur operam,vt cor fide purificatum retineamus per bonam conscientiam: Huc illud Solomonis pertinet, *Prouerb.* 4. Omni cura custodi cor tuum:inde enim vita egreditur.

Externus probationis modus, aut est communis aut priuatus.

Communis probationis modus est,cum scandala quæ publice fiunt,fidem nostram concutiunt,vt sunt,hæreses, schismata,dissidiæ Doctorum in Ecclesia, perfidia fratrum,impunitas scelerum publice grassantium, prosper hostium Ecclesiæ successus,paucitas credentium, oppressio & interfectio plurimorum Sanctorum, defectio multorum a fide & professione doctrinæ quam antea amplexi erant: Breuiter: Tristissima facies Ecclesiæ in hac mundi senecta. Qui hic se inuictum præstiterit, merito auro comparatur septies examinato, & igni probato. Ne autem hic succumbamus,multum iuuerint preces ardentes,exempla & prædictiones Christi & Prophetarum de huiusmodi scandalis in Ecclesia futuris.

Priuatus probationis modus externus est cum non tota Ecclesia eius loci in quo habitas, sed vnus aliquis aut pauci propter doctrinæ confessionem,aut alioqui iustam aliquã ob causam patiuntur,atq; igne crucis examinãtur.Hic pius ne succumbat,erigat se bonitate causæ,promissione diuina, exẽplis Sanctorũ,spe auxilii & gloriosa tandẽ liberatione. Sed quia de cruce supra nobis dictũ est,& de modo victorię consequendę sub cruce,nolo hic de ea fusius dicere:Sed totum hũc locũ vno Iacobi dicto *cap.1.* de probatione iustorũ, claudam. Beatus,inquit, vir qui suffert tentationem,quoniã cum probatus fuerit, accipiet coronam, quam promisit Deus diligentibus se.

Pluet super impios laqueos, ignis, sulphur & spiritus procellarum pars calicis eorum.

Quid per odium Dei significetur,exponit allegorice.Sine autẽ figura sensus huius versus est:Deus impios ita puniet, & variis angustiis constringet, vt nullus sit illis euadendi locus. Respicit autem hic Dauid ad Sodomitarum & Pharaonis miserabiles exitus,qui omnibus ætatibus testi-

monia esse debent iusti iudicii Dei aduersus impios. Vt liberatio Loth cum sua familia, & eductio Mosis de Ægypto cum populo Israelitico, demonstratio est fauoris Dei erga timentes se, quod videlicet velit ipsos aliquando gloriose liberare. Est ergo hic sensus verborum Dauidis. Deus est iustus apud quem non est personarum acceptio. Hic ergo cum puniuit pœnis grauissimis impuros Sodomitas,& Tyrannum Pharaonē,& liberauit Loth &Mosen cum suis:non est quod quisquam impie agens se vindicem Dei manum euasurum existimet, aut quisquam putet innocentem & confugientem ad misericordiam prorsus periturum. Hic igitur commendatur nobis vsus exemplorum veteris historiæ, quæ sunt monumentis tradita in nostram instructionem.In hunc ergo modum hoc loco fiat applicatio.Deus puniuit impium Pharaonem,& impuros Sodomitas,& potēter e manu hostiū liberauit Mosen & Loth cū suis:Ergo etiam me liberabit perditis hostibus meis, qui & Dei hostes sunt.Proinde sicut Dauid historiam illam veterem soli accommodauit,ita nos sciamus,cum pœnas impiorum,tum liberationem iustorum istis exemplis,quasi sigillo quodam Dei obsignatam esse.

Pluere laqueos est pœnas immittere, quibus hostes Dei, quasi laqueis constringentur ex omni parte, vt non pateat illis vllus euadendi locus. Hic iuxta teneatur quod scriptura meminit duplicis pluuiæ, spiritualis, scilicet:

Gratiæ Dei in recipientes Euangelium.

Iræ Dei in contumaces.

De pluuia iræ hic Dauid loquitur,& alias sæpe.

De pluuia gratiæ loquitur Dauid *Psalmo* 68. Pluuiam largam effundet Deus, hæreditatem tuam laborantem recreas.Confertur hic vox Euangelii pluuiæ.Vt enim terra gignit fruges, partim calore solis tepefacta, partim pluuiis aquis irrigata:Sic Ecclesia reficitur & recreatur a Spiritu sancto per ministerium Euangelii.

Ignis & Sulphur pro genere ponuntur, hoc est, pro tormentis grauissimis,& potissimum conscientiæ.

Spiritus procellarum sunt impetus subiti multorum eorumque grauissimorum malorum, quæ opinione citius impios opprimunt.

Pars calicis eorum, id est, hæc, pœna sunt illis diuinitus decreta. Vocat enim partem calicis eorum vsitata Hebræis phrasi, eam pœnam quam dominus illis quasi propinauit: Metaphora sumpta ab aduersa cuiusque vini portione. In genere autem *pars calicis* est sors cuiusque seu merces, siue illa optata siue non optata fuerit. Et quoniam de amaro calice bibunt vtrique, videlicet iusti & impij, Dauid discrimen inter eos facit *Psalmo* 75. cum ait: Calix in manu Domini, vino rubicundo infuso plenus, & effundit ex hoc, vtique feces eius sugent & bibent omnes impii terræ. Dum ait: Effundit ex hoc: Sensus est, quod attribuat suam cuique mensuram afflictionis, cum iusto, tum impio: Sed feces reseruantur impiis perpetuo sugendæ & bibendæ. *Ierem*. 25. Dominus ait ad Ieremiam: Sume calicem vini furoris mei, & propina illum omnibus gentibus, ad quas mitto te. Et bibent & trement & insanient a facie gladii, quem ego mittam inter eos. Accepi itaque (ait Ieremias) calicem de manu Iehouah, & propinaui omnibus gentibus ad quas misit me Iehouah. Propinant ergo ministri verbi hominibus calicem Domini cum iis verbum Dei prædicant, de quo bibunt singuli suam portionem & inebriantur: Pii quidem admixtis suo calici spiritualibus consolationibus, inebriantur ad hilaritatem Spiritus, vt Deo laudes canant ex corde. Impii vero admixto suo calici absynthio furoris Domini, inebriãtur ad insaniam, & euomũt in Deum conuitia. Hoc discrimen piorum & impiorum cogitantes, magno animo breuia feramus incommoda. Nos enim florem tantum calamitatum gustabimus: impii autem exhaurient feces in fundo subsidentes. Congruunt hæc cũ dicto Petri 1. *Pet*. 4. Tempus adest, vt iudicium a domo Domini incipiat. Si vero primum a nobis, quis manet finis eos, qui non habent fidem in Euangelio Dei?

Quoniam iustus Iehouah iusticias diligit, rectum videbit vultus eius.

Prior pars huius versus clara est, & continet rationem sumptam a natura Dei: Deus est iustus, ergo iusticias, id est iustos, vt qui habeant iustam causam, diligit. πᾶν γὰρ ὅμοιον τῷ ὁμοίῳ φίλον. Sed hæc ratio supra sæpe & copiose exposita est, & est potissimum fiduciæ nostræ fundamentum. Posterior pars versus obscurior est. Ex Hebræo ad verbum sic

ſic redditur: *Rectum videbunt facies eorum:* vt ſit ſenſus: Quia Iehouah iuſtus eſt, & iuſtitias diligit, ideo iuſtorum facies non auertent ſe a Deo, ſed eum recta aſpicient, auxilium ab eo expectantes. Alii ad Deum referunt, & volunt pluralem numerum pro ſingulari poſitum eſſe, & vt Pagninus vertũt: *Rectum videt facies eius,* ſcilicet Dei: vt ſit ſenſus: Deus ipſe aſpicit æquitatem & non auertit faciem ſuam ab iis, quorum cauſa iuſta eſt. Hæc ſententia ſeptuaginta interpretum videtur fuiſſe. Vertunt enim: εὐθύτητας εἶδε πρόσωπον αὐτοῦ. id eſt, rectitudines vidit vultus eius. Vtraq; ſentẽtia bene quadrat.

Vſus Pſalmi Vndecimi.

Vſus huius Pſalmi eſt, vt in noſtris perſecutionibus propter iuſtitiam, nitamur promiſſionibus diuinis, & earũ cogitatione erigamus nos, ne mole ærumnarum fracti deſperemus, & vt ſimul cum Dauide in tanta veritate periculorũ quæ noctes & dies in nos impendent, petamus & expectemus liberationem a Deo per dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum, cui cum patre & Spiritu ſancto ſit gloria in omnem æternitatem.

PSALMVS DVODECIMVS.

Summa Pſalmi Duodecimi.

Dauid intuẽs formam Eccleſiæ dominante Tyranno Saule & præualentibus impiis doctoribus in extremo Eccleſiæ cœtu, conqueritur de paucitate piorum: precatur vt Deus ſuæ Eccleſiæ adſit, eamque tueatur, idque facit fretus promiſſionibus Dei, qui piorum liberator eſſe ſolet.

Ordo & dispositio Psalmi Duodecimi.

Quatuor huius Psalmi partes constituamus, quæ sunt.

Prima quæ 1. & 2. versu absoluitur est precatio, contra doctrinæ corruptores, addita querela de paucitate piorum.

Secunda quæ 3. & 4. versu continetur, est imprecatio qua Dauid totius Ecclesiæ nomine imprecatur interitum falsis doctoribus & seductoribus.

Tertia 5. versu contenta, promissio est Dei qui se suis affuturum fore recipit.

Quarta, 6. 7. & 8. versu cõprehensa est encomion verbi Dei, vnde dependet promissionis veritas & cõstantia, cui adiungit repetitionem propositionis.

Est igitur hic Psalmus conquerentis & precantis.

EXEGESIS PSALMI DVODECIMI CVM INDICATIONE doctrinarum.

PRIMA PARS.

1. *SAlua Iehouah quoniã defecit sãctus: quoniã defecerunt fideles a filiis Adã.*

2. *Vanitatẽ loquũtur quisq; cũ proximo suo, labio blanditiarum in corde & corde loquuntur.*

VOx Ecclesiæ est implorantis opẽ a Deo in tãta malorũ colluuie, & in tantis iactationibus hæresium & schismatũ in Ecclesia. *Salua*, inquit. *Iehouah*, quasi diceret: Nisi cito opẽ tuleris actũ est de Ecclesia, actũ est de pietate. Rationes tres subiiciuntur, quarum *Prima* sumitur a paucitate piorũ.

Desiit

Desiit, inquit, *sanctus*, id est, in angustum redactus est sanctorum numerus, vt plane deficere videatur. *Sanctus* autem hic dicitur qui cum erga Deum cuius misericordia nititur, tum erga homines, propter Deum pio affectu præditus est. *Secunda*, a verorum doctorum inopia: *Quoniam*, inquit, *defecerunt fideles*, id est, pii & probi Doctores, *a filiis Adam*, id est, inter filios Adam. *Tertia* a multitudine adulatorum in externo Ecclesiæ corpore, quemadmodum fieri consueuit regnantibus Tyrannis. Videmus ergo hic non esse nouũ scandala oriri in Ecclesia ex paucitate proborum in externo Ecclesiæ cœtu, & multitudine impiorum vendicantium sibi Ecclesiæ titulum, & persequentium veram Ecclesiã. Vnde monemur ne tanto scandalo fracti deficiamus a Deo ad impiorum colluuiem, quemadmodum multi fecerunt & faciunt. Similis querela fuit Eliæ, vt est 3. *Reg.* 19. Qui cum diceret: ego sum solus relictus: responsum est ei a Domino: Reliqui mihi septem millia qui non curuarunt genua coram Baal. Hoc & nos nobis responderi cogitemus, quoties piorum numerum, admodum contractum cogitamus. Cogitemus dictum Domini qui ait: Nolite timere pusille grex quia complacuit Patri dare vobis regnum. Hic Dominus primum significat numerum piorum fore pusillum. Deinde ingentia pericula huic pusillo gregi imminere. Tertio periculis opponit promissionem Regni, quod Pater illis dare statuerat. Obserua hic notas falsorum Doctorum, quæ sunt: vanitas, adulatio, duplex cor. Vanitas est doctrina falsa, hanc blanditiis accommodant suis auditoribus, aliud corde sentientes, aliud ore loquẽtes, quod est, *Ex corde & corde loqui*, adeo vt etiam sæpe pugnantia loquantur. Verum quia nuper de hoc scandalo dixi ad sequentia properemus.

SECVNDA PARS.

3. *Exscindat Iehouah vniuersa labia adulatio-num, linguam loquentem magna.*

4. *Qui dicunt linguam nostram roborabimus, labia*

IMprecatio est qua Dauid hostibus Dei & Ecclesiæ interitum imprecatur, quæ imprecatio vt proficiscitur ex amore gloriæ Dei & Ecclesiæ, ita eo tendit ne impii gloriam Dei & ædificationem Ecclesiæ

nostra nobiscum. Quis Dominus nobis? | impediant. Quàdo igitur tua imprecatio his clauditur terminis, pia, sancta, & laudabilis est, vt quæ congruat cum voluntate Dei, quæ in comminationibus ipsius nobis est patefacta.

Labia adulationum vocat sermones fraudulentos quibus impostores & falsi Doctores se insinuant magnatibus, & rudes facile decipiunt. Hos Dominus appellat falsos Prophetas qui induti pellibus ouium, intus sunt lupi rapaces.

Linguam loquentem magna, id est, superba & arrogantia, vocat sermonem, quo isti seductores, vt seipsos & suam doctrinam extollunt, ita alios & illorum doctrinam contemnunt & exsibilant, tanquam impiam, hæreticam, & prophanam. Theodoretus in hunc locum Psalmi ita scribit: Natura, inquit, sermones metiri nequeunt, nec diuinas leges respicere volunt, sed effrenato ore vtentes cum audacia quicquid volunt loquuntur, diuinam potentiam despicientes, nec se sub potestate Dei esse cogitantes. Talis fuit Pharao, ideoque dixit: Non noui Dominum. Talis & Rapsaces qui ausus est dicere: Ne te decipiat Deus tuus in quo confisus es, quod Ierusalem liberabit de manu mea. Talis Nabugodonosor, qui generosos illos pueros exterruit, atque dicere minime perhorruit: Quis est Deus qui eripiet vos de manu mea? Hactenus Theodoretus.

Hoc ergo artificium Satanæ semper fuit & erit in Tyrannis & in falsis Doctoribus: falsi enim Doctores blanditiis tāquam veneno serpentino primum inficiunt auditores suos. Deinde grandiloquentia & arrogantia muniuit se, vt omnia quæ dicunt oracula esse videantur, atque ita multos in laqueos errorum pertrahunt.

De moderatione linguæ Gregorius Nicenus in hunc modū scribit. Timor Dei erudiat linguam ea quæ decet loqui, & tacere contraria, temporis occasionem animaduertere, modum obseruare, fari necessaria, apte respondere, modeste dicere ne verborum vi veluti grandine colloquentes obruant. Idcirco etiam tenuis illa membranula, quæ cum ipsa lingua mentum inferius deuincit, frenum dicitur, ne inepte loquatur & inconcinne. Laudibus igitur, & non conuitiis vtatur, cantibus & non maledictis, commendationibus non obtrectationibus.

Sed

Sed quid hic pius contra labia dolosa & linguam magniloquam faciet?

Muniat se primum simplicitate verbi Dei, recte iuxta cōsensum totius Scripturæ & Orthodoxæ Ecclesiæ omnium temporum intellecti. Deinde pugnet aduersus illos μεγαλοῤῥήμονας ardenti inuocatione, quæ multo fortius premet aduersarios, quam acuta disputatio.

Qui dicunt linguam nostram roborabimus, labia nostra nobiscum. Quis dominus nobis?

Expressius per Mimesin fastum falsorum Doctorum ponit ob oculos, vt facilius agnosci possint, & simul ostendit arrogantiam scaturiginem esse hæresium & schismatum in Ecclesia. Hanc Mimesin παρaφράσει illustremus. Nos eloquentia nostra pertrahemus homines in nostram sententiam. Facile enim præualebimus, facile authoritatem nobis conciliabimus, cum polleamus eloquentia. Facile etiam aliorum authoritatem minuemus, efficiemusque vt non simus aliis audiendis obnoxij. Videmus hic vnde proficiscatur, & quo tendat consilium hostium Ecclesiæ. Nam vt ex arrogantia nascitur, ita tendit ad gloriam venandam & authoritatem apud homines, vt neminem sibi parem, doctiorem, & magis relligiosum habere videantur.

TERTIA PARS.

5. *Propter vastitatem pauperum, propter gemitum inopum nunc surgam inquit Iehouah: Ponam in salute, insufflabit ei.*

PRomittit Deus se affuturum suis & repressurum hostes Ecclesiæ. Hæc est absq; dubio summa sententiæ huius versus: cuius prior pars clarissima est, & verbis & sententia. Posterior & verbis & breuitate obscura est: quę tamen ex peristasi lucem mutuabitur. Prior pars est. *Propter vastitatem pauperum, propter gemitum inopum nunc surgam dicit Iehouah.*

In hac parte duo sunt, videlicet, duplex causa mouēs Deū ad ferendum populo suo auxilium, & auxilij promissio.

Prior causa mouens est *vastitas pauperum*, id est, afflictio qua opprimuntur pauperes a Tyrannis. & seducuntur a falsis doctoribus. quasi diceret: Cōmotus afflictione pauperū,

vindictam Tyrannorum & falsorum Doctorum meditor.

Secunda causa mouens est *Gemitus pauperum*, hoc est, clamor cordis ad Deum pro auxilio. Hic gemitus seu clamor cordis ad Deum sub cruce, habet promissionem Dei, vt est in *Psal.*50. Inuoca me in die tribulationis, eruam te & honorificabis me. In afflictione ergo nostra primū deploremus in vera pœnitentia causam afflictionis, quæ est peccatum. Deinde obtemperemus serio mandato Dei mandantis vt ipsum in afflictione nostra inuocemus. Tertio fide nitamur promissioni Dei promittentis auxilium. Non enim potest fallere qui promisit. Hoc si fecerimus, aut internum, aut externum, aut vtrunque simul auxilium vere consequemur.

Alterum est promissio auxilij.

Nunc surgam dicit Iehouah. Nam *surgendi* vocabulo significatur auxilium non differendum, sed mox præstandum. Est autem figura ἀνθρωποπάθεια. Nam gestu hominis ad vindictam se parantis significatur auxilium diuinum in promptu esse. Sed de hac loquendi ratione supra *Psalm.*3. item 10. dictum est.

Posterior pars versus obscurior est, quam quidam sic reddunt. Ponam in salute, insufflabit ei. *Ponam in salute*, id est, opem feram, scilicet, pauperibus, id est, populo meo iuuabo eum, & eripiam eum e manu hostium suorum. Modus auxilij sequitur.

Insufflabit ei, hoc est, Deus flatu ministerij verbi terrebit impium, atque adeo eum percutiet & interficiet spiritu oris sui. Sic Paulus hunc locum interpretari videtur. 2. *Thessalon.*2. Cum hac interpretatione congruit versio Septuaginta interpretum, sic enim habet παῤῥησιάσομαι ἐν αὐτῷ, hoc est, palam libere & efficaciter seu cum Spiritu, id est, confidentia loquar cum eo, scilicet impio, vt velit nolit verbo meo cedat & fateatur se victum.

Alij autem, vt Pagninus, sic vertunt:

Ponam in salutem, eum cui laqueum inijcit, scilicet, impius. Hoc est, eripiam iustum cui impius laqueum ponit, vt ipsum capiat.

Nonnulli in hunc modum:

Ponam in salute, eum qui loquetur pro ipso scilicet, pio, id est, excitabo aliquem qui loquetur pro iusto.

Frusterus. *Respiratio fiet iusto.*

QVARTA PARS.

6. Eloquia Iehouah eloquia munda, argentum igne examinatum in fornace terrea, defecatum septies.

7. Tu Iehouah serua eos, & custodi eum, a generatione hac in æternum.

8. In circuitu impij ambulant, cum exaltantur vilitates inter filios Adam.

HOc encomium verbi Dei eo pertinet, vt vere statuamus quod quicquid Deus prædixerit, euenturum sit, siue sit bonum obedientibus promissum, siue malum contumacibus denunciatum. Vt enim argentum sæpius igni exploratum & probatum, nihil habet scoriæ, sed est nitidum & purissimum, ideoque homines non fallit in contractibus: ita verbum Dei tot seculis ab initio mundi experimento Sanctorum exploratum nihil habet fallaciæ, nihil fraudis: sed est constantissimum & immotum: ex quo fit vt minime fallat eos, qui iuxta illud cum Deo contrahunt. Vere proinde præstabuntur quę Deus in eo vel promittit, vel minatur. Promittit autem piis liberationem gloriosam, & cōminatur contumacibus pœnas ęternas. Quapropter hę promissiones & cōminationes Dei cōplebuntur suo tempore, quod ipse solus optime nouit. Proinde cum verbum seu eloquium Dei purissimū nominat, vt illud vendicat a mendacio & hypocrisi: ita ipsum cōmendat a constantia & certitudine, vt mens pia possit in illo tuto acquiescere. Mens enim hominis sensu & ratione impulsa non potest prius ad timendum Deum se rite cōponere, quam statuerit veritatem verbi Dei infallibilē & immotam esse. Ideo Dauid alicubi in hunc modum precatur: Confirma seruo tuo eloquium tuum, vt timeam te.

Tu Iehouah serua eos, & custodi nos a generatione ista in æternum. Precationis repetitio est, quam extruit ex encomio verbi Dei, & est sensus. Cum eloquia tua adeo sint pura & sincera, vt nihil sit eis purius, nihil sincerius, nihil constantius, serua quæso pauperes, confugientes ad te & custodi eos ab hominibus prauis, sicuti pollicitus es,

Teneat ergo quilibet pius hâc firmissimam rationem,quauis Euclydea demonstratione firmiorem. Quicquid Deus promisit præstabit.Promisit autem afflictis se inuocantibus auxilium in tempore oportuno.Proinde absque omni dubio aderit eis & opem feret,cum ipsius sapienti consilio oportunum esse videbitur.

In circuitu impij ambulant, cum exaltantur vilitates inter filios hominum. Ratio est repetitæ propositionis cuius hic sensus est: Falsi doctores secure circumcursitant,vt pios seducant,vbi principatum tenent Tyranni: Quare tu Domine eos reprime. Tyrãnos vocat *vilitates*,propterea quod a Deo contempti sint & reiecti tanquam res vilissima, & coram ipso abominabilis,qualescunq; sibi coram mundo videãtur.

Vsus Psalmi Duodecimi.

Breuis quidem hic Psalmus est,sed maximus eius vsus erit, si circumferamus animos per historias Ecclesiæ omnium temporum. Vnde apparebit,quod eadem sit conditio Ecclesię omnium temporum,quoad crucem & persecutionem attinet. Qualis enim erat Ecclesia prima post lapsum primorum parentum: talis & postea fuit & erit vsque ad extremum diem. Abel contemptus est a fratre Cain,eo quod opera Abel fuerint bona,& ipsius Caini fuerint mala,vt Ioannes testatur.Hinc persecutio& interfectio innocentis Abelis. Quid quęso aliud Ecclesia Dei hodie facit? offert Deo verum sacrificium, colit Deum iuxta ipsius verbum,atque ideo placet Deo.Hinc ira exardescit in Tyrannis & falsis doctoribus,ex quo fit quod Ecclesia miserrime a Tyrannis affligatur: quæ tamen vel in media morte triumphat. Quare cum hodie videmus Cainitas & Saulitas persequi pusillum

gregem Christi, cogitemus eloquia Dei promittentis liberationem esse purissima & infallibilia, & exemplo piorum Martyrum aduersus hostes Ecclesiæ pugnemus verbo, innocentia & inuocatione, certi quod Dominus noster Iesus Christus sit nos vel in media morte liberaturus, nec spectemus præsentia, sed potius gloriam suo tempore reuelandam filiis Dei cogitemus.

PSALMVS DECIMVS TERTIVS.

Summa Psalmi Decimi tertij.

DAVID *valde perturbatus intus & foris: intus quidem metu abiectionis perculsus, foris vero ab hostibus petitus, conqueritur de magnitudine calamitatum suarum, vnde nullus euadendi locus patebat. Deinde cogitans de misericordia Dei omnibus promissa, petit veniam & impetrat, in qua petitione nascitur fides, qua se erigit Dauid & eluctatur e desperationis baratro. Hinc fides victrix læta triumphat, ac gratitudinem Domino pollicetur.*

Non potest magis illustris orationis Christianæ forma præscribi, quam hic Psalmus est, quam formam quilibet Christianus in suis tentationibus vel tacitus apud se concipit. Principium enim est lucta conscientiæ cum cogitatione de abiectione propter peccatum,

quæ lucta oritur ex lege. Huc mox subiungit inuocationem, in qua nascitur fides ipsa, qua eluctatur & vincit tentationem, quod est beneficium Euangelij. Hinc sequitur triumphus fidei cum gratiarum actione, quæ est fidei fructus. Atque ita hic breuis Psalmus, non solum optimam Christianæ orationis formam præscribit, verumetiam qualisnam sit Christiana pœnitentia, & quæ sint eius partes apertissime ostendit.

Siue autem hic Psalmus intelligatur de exilio Dauidis persequente illum Saule, siue de exilio cum pulsus esset a filio Absolone, perinde est: nam genus idem manet, quod recte Ecclesiæ, & singulis eius membris accommodari potest.

Ordo & dispositio Psalmi decimi tertii.

Tres partes sunt huius Psalmi, aptissimo ordine distinctæ, quæ sunt:

Prima (versu primo & secundo) est querela grauissima conscientiæ luctantis cum desperatione, & conquerentis se destitutum a Deo.

Secunda (versu tertio & quarto) est precatio cum suis rationibus, in qua fides nascitur, qua eluctatur ex desperatione.

Tertia (postremo versu) est victoria fidei, ex fiducia misericordiæ, vnde gaudium cordis nascitur, cum gratiarum actione.

Est ergo hic Psalmus partim conquerentis, partim precantis, partim gratias agentis.

EXEGESIS PSALMI DECIMI TERTII CVM INDICATIONE doctrinarum.

PRIMA PARS.

1. *Vsquequo Iehouah obliuiſceris mei? in perpetuum? vſque quo abſcondes faciem tuã a me?*

2. *Vſquequo ponam conſilia in anima mea, dolorem in corde meo? quotidie? vſquequo exaltabitur inimicus meus ſuper me?*

Hæc querela grauiſsima non tam verbis exponi, quam mente concipi, & corde ſentiri poteſt. Qui enim ſentit molem peccatorũ ſuorũ, qui iudicium legis ſerio cogitat, qui cõſciẽtiæ terrores experitur, qui pœnas ęternas peccati ſtipendium eſſe perpẽdit, qui animo recolit quam multi deſperatione abſorpti ſub ira Dei iacent ęternis pœnis reſeruati, is demum intelligit aliquo modo quanta ſit hæc Dauidis querela. Quocunque enim ſe vertebat omnia minabantur ipſi interitum. Trium enim rerum cogitatione coarctabatur, vt ordine declarabimus.

Vſquequo, inquit, *obliuiſceris mei? num perpetuo?*

Hæc prima tentatio eſt, qua animus Dauidis mirum in modum percellebatur. Obliuiſci autem Deus dicitur humano more, cũ non videtur curare nos, cum ſinit nos ſine conſolatione affligi, variiſque procellis tentationum huc illuc iactari.

Vſquequo abſcondes faciem tuam a me?

Vt obliuiſci negligentis & non curantis eſt: ita geſtus auertentis faciem, & abſcondentis ſe iudicium eſt iraſcentis & abiicientis. Qui enim abſcõdit faciẽ ſuã ab aliquo, & auertit ſe ab illo, teſtatur ſe ei iraſci, contemnere & plane reiicere illũ a ſe ſine omni auxilii expectatione. Quanta autẽ hæc fuerit tẽtatio in animo Dauidis, nemo cogitare poteſt, niſi qui ſimilia expertus eſt. Cain & Manaſſes hoc tentationis genere examinabantur, Sed Cain miſere ſuc-

cubuit: Manaſſes autem glorioſe eluctatus eſt, & vicit, fretus miſerationibus Dei multis. Sic & alii omnibus temporibus tentantur, quorum alii triſtiſsime ſuccumbũt, alii glorioſe per Chriſtum triumphant. Caueat ergo vnuſquiſque ne ſe ita immergat in peccatorũ cœnũ, vt obrutus tandem in eo pereat: quod illis profecto timendum eſt, qui peccatis contra conſcientiam indulgentes, ſępius admoniti reſipiſcere recuſant.

Porro quoties Diabolus venenatis ſuis telis adoritur, vt nos in deſperationem adigat, propter ſcelerate anteactam vitam: opponamus ei in vera pœnitentia, quatuor: videlicet:

Primo, Vniuerſales promiſsiones gratiæ, inter quás quaſi gemma quædam lucidiſsima eſt illa Ezechielis: Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat.

Secundo, λύτρον pro peccato noſtro ſolutum, videlicet mortem Domini. Vnde Bernhardus: De remiſſione peccatorum validiſſimum teneo argumentum, dominicam paſsionem. Vox ſiquidem ſanguinis eius inualuit multo plus, quam vox ſanguinis Abel, clamans in cordibus electorum remiſsionem peccatorum. Traditus eſt enim propter peccata noſtra. Nec dubito quin potentior & efficacior ſit mors illius in bonum, quam peccata noſtra in malum.

Tertio, Exempla, Adami, Dauidis, Manaſſis, Latronis & multorum aliorum, qui reſipiſcentes in gratiam ſunt recepti. In his exemplis & ſimilibus declarat Deus quomodo ſit affectus erga omnes reſipiſcentes, quantumuis maximi fuerint peccatores, præſertim cum Deus ſit ἀπροσωπολήπτης.

Quarto, Gemitum cordis, quo vere impetratur conſolatio & victoria, ſuper triſtiſſima tentatione abiectionis. *Pſalm*. 38.

Vſquequo ponam conſilia in anima mea, dolorem in corde meo?

Hæc ſecunda tentatio eſt, qua pulcre deſcribitur, quid poterit homo in ſpiritualibus tentationibus ſibi relictus. Cogitat quidem varie & verſat conſilia, nunc hoc nunc illud in mentem venit. Sed quid tandem lucratur? Quanto plura conſilia mente voluit: eo maiorem dolorem cordi inſerit.

inſerit. Atque ita humana conſilia, ſine Deo nihil aliud pariunt,quam dolorem cordis. Neque enim inueniunt humana conſilia viam euadendi vindictam irati Dei. Cain poſt occiſum fratrem, Achitophel poſt nefarium cõſilium,Iudas poſt proditum Dominum, conſilia propria ſecuti ſunt,ex quibus nihil aliud quam dolorem, deſperationem,& mortem æternam ſunt conſecuti.

Quouſque exaltabitur inimicus meus ſuper me?

Hæc tertia eſt tentatio. Vt enim priores duæ animum Dauidis horrendum in modum cruciabant: Ita hæc tertia externa eſt,ad fortunas corpus & nomẽ Dauidis pertinens. Graue eſt fortunas amittere, grauius eſt corpus affligi & occidi: ſed omnium grauiſſimũ eſt nomẽ bonum amittere, & in infamiam incurrere. Fortunis & corpori inſidiantur Tyranni. Nomini & famæ potiſſimum inſidias ſtruunt falſi Doctores. Nam cum vident ſe falſi Doctores non poſſe pro arbitrio dominari fidei eorum, quos blandiloquentia in ſuam ſententiam pertraxerunt, niſi aduerſariis eorum, hoc eſt,piis Doctoribus oppreſſis:hoc callide opprimere ſatagunt, cum eos apud magnates & vulgus tanquam blaſphẹmos,hæreticos & ſchiſmaticos traducunt. Atque ita non ſolum nomen & famam bonorum obſcurant,quod potiſsimnm quærunt. Verum etiam odio vulgi & rapinæ Tyrannorum,eos exponunt.

SECVNDA PARS.

3. *Aſpice, reſponde mihi Iehouah Deus meus: illumina oculos meos, ne forte dormiam mortem.*

4. *Ne forte dicat inimicus meus, prævalui ei, hoſtes mei exultent ſi motus fuero.*

PRecatio eſt veniæ & auxilii, in qua obſeruatur,compellatio,precatio ipſa, atque eius ratio tripartita, quorum ſingula ſuas doctrinas & admonitiones habent.

Compellatio eſt: *Iehouah Deus meus.*

Hic Dauid obtemperat mandato: inuoca me in die tribulationis. Neque enim in anguſtiis noſtris licet quenquam inuocare prẹter Deum, qui eſt Pater, & Filius,& Spiritus ſanctus,*Iehouah* facultatis

& voluntatis eſt ſignificatio, quemadmodum ſupra a nobis annotatum eſt. *Deus meus* fidei vox eſt applicantis ſibi promiſsionem diuinam. Fides enim Deũ vniuerſorũ quaſi ſuũ propriũ facit, non quod ſpoliet alios gratia, ſed quia ſinguli quod cõmune eſt omnibus, quaſi propriũ habeãt. Dominus enim ſe totũ ſingulis eorũ, qui ſe illi fide adiũgũt, impertit.

Precatio eſt: *Aſpice, reſponde mihi, illumina oculos meos.* Quaſi diceret Dauid: Hactenus auertiſti faciem, tacuiſti, & me tenebris conſiliorum meorum reliquiſti: Nunc quæſo, cum promiſeris miſericordiam confugientibus ad te, conuerte faciem tuam & aſpice me oculis miſericordiæ tuæ, ſuccurre mihi, exaudi gemitus cordis mei, & lucem gratiæ tuæ in corde meo accende.

Phraſis non eſt obſcura.

Aſpicere fauoris eſt indicium. *Reſpondere* per Metalepſin eſt opem ferre. *Illuminare oculos* eſt conſolationem in corde excitare, aduerſus tentationes. Vt enim tenebrę ignorantiã & afflictionẽ, cauſam & effectũ: ita illuminatio eluctationẽ e tenebris, conſolationem per ſpiritum Chriſti notat. Quoties enim Dauid & Prophetæ luminis meminerunt, mentẽ leuant ad promiſſum ſemen, qui ſolus lux mundi eſt. *Ioan. 1.*

Ratio precationis tripartita ſequitur.

Prima. *Ne dormiam mortem.* Ex Hebræo. *Ne dormiam mortis*, ſcilicet, ſomnum: Hoc eſt, ne dolore animi abſorptus deſperem, ſeu ne vulnere conſcientiæ confoſſus moriar, ac æternum pereum. Vide quanta vis ſit mentis, male ſibi conſciæ.

Secunda. *Ne forte dicat inimicus meus præualui ei*, hoc eſt: illum prout volui oppreſsi & perdidi, quaſi diceret Dauid: tua gloria o Deus agitur. Nam iis oppreſſis qui tibi fidunt, quis tuam gloriam prædicabit?

Tertia. *Ne hoſtes mei exultent, ſi motus fuero.* hoc eſt: me oppreſſo ſuperbient hoſtes mei, tãquam iuſtiorem cauſam habeant. Solet enim mundus ex euentu rerum iudicium de perſonis ſumere. Hæc autem ratio non tantum de Saule & Abſolone, vt ſecunda, qui Dauidem perſequebantur intelligenda eſt: ſed etiam de aliis hoſtibus Sauli & Abſoloni coniunctis, & de falſis doctoribus, qui Dauide regnante tacere coacti ſunt, ſed nunc oppreſſo, exultãt. Hoc Dauidis exemplum docet, quid faciendum ſit cum Tyranni & falſi

Doctores

Doctores nos oppugnant, videlicet, quod ad preces sit confugiendum, quibus nostram causam Deo commendemus, petamusque ab eo auxilium.

Porro collatio primæ & secundæ partis huius Psalmi docet quomodo cum Sanctis Dei hominibus sub cruce, & præsertim sub tentatione de abiectione res se habeat. Nam vt ex cogitatione peccati, metus abiectionis animum percellit: ita ex semine fidei (quod est spes veniæ ex cogitatione promissæ misericordiæ cõcepta) in corde hominis per Spiritũ sanctum iacto incenditur affectus precãdi, quo impulsus homo petit & impetrat veniam, in qua petitione fides prius ex spe veniæ concepta nascitur & prodit integra, cuius comites inseparabiles sunt: Spes vitæ æternæ, ex qua patientia nascitur, & Charitas Dei, quæ est mater gratitudinis erga Deum, & vniuersalis obedientiæ erga legem ipsius. Hinc proinde clare intelligi potest, cur tres numerentur virtutes Christianorum propriæ, videlicet Fides, Spes, & Charitas.

TERTIA PARS.

5. *Et ego in misericordia tua spero, exultabit cor meũ in salute tua, cantabo Jehouah, quoniam retribuit mihi.*

HIc victrix fides triumphat. Sunt autem hic ordine obseruanda tria.

Primum. Quod fides nitatur non dignitate hominis, non prærogatiua carnis, non excellentia donorum, sed sola *misericordia* Dei in Christo, in quo omnem salutis spem collocat.

Secundum. Quod cum fide coniuncta sit pax conscientiæ & gaudium in Spiritu sancto:

Exultabit, inquit, *cor meum in salute tua.* Salus proinde a Domino, & Dominus salutis author obiectum est & causa gaudii Sanctorum. In quo apparet discrimen gaudii huius mundi & Ecclesiæ. Illud vanum & temporarium: hoc firmum solidum & æternum.

Tertium. Cantabo Iehouah quoniam retribuit mihi. hoc est, pro dolore gaudium reddidit, seu gaudio dolorem compensauit. Huic gaudii mei authori agam gratias, hunc

celebrabo, vt multi meo exemplo imitentur, vt & eum colant, & eum prædicent.

Vſus Pſalmi Decimi Tertij.

Vſus huius Pſalmi eſt, vt quoties mens noſtra in horrendas conflictationes Conſcientiæ cum deſperatione mergitur, exemplo vniuerſæ Eccleſiæ nos conſolemur. Fuit enim Dauid typus totius Eccleſiæ, quæ non aliter eluctatur ex fluctibus & procellis tentationum, quam hic videmus Dauidem eluctatum eſſe, videlicet, per pœnitentiam veram viuam & ſalutarem, cuius partes diſtinctæ hic in illuſtri exemplo, nempe Dauide nobis commendantur. Si vis ergo hunc Pſalmum in tuum vſum ſalutarem transferre, exemplum Dauidis in eo propoſitum inuitare, ac tria cum Dauide facito, quæ ſunt.

Primum aſpice tabulas legis diuinæ in quibus vt norma viuendi tibi præſcribitur: ita maledictionis & mortis pœna tibi denunciatur, ſi vel in minimo ab ea norma deflexeris. His tabulis adiunge librum conſcientiæ tuæ, in quo Chirographum Dei inuenies ſcriptum, quo legis ſententia confirmatur. Ad has tabulas & ad hunc conſcientiæ tuæ librum examina cor tuũ, vitam moreſque tuos, vt inde iuſto examine facto cognoſcas teipſum. Quod ſi recte, vt par eſt, feceris, haud dubie cum Dauide exclamabis.

Vſquequo Iehouah obliuiſceris mei? num in finem. Et cum tota Eccleſia dices, ſine omni ſimulatione

mulatione:Si iniquitates obſeruaueris Domine,quis conſiſtet? Hinc naſcitur dolor maximus & metus abiectionis,mirum in modum animum crucians. Qualis fuit in Saule & in Dauide: quorum ille hic ſubſiſtit & deſperatione abſorptus eſt:Hic veroeluctatus eſt. Nam in mediis terroribus reſpexit ad verbum promiſſionis vt ſequitur.

Secundum. Cum Dauide leua mentem ad promiſſionis verbum,videlicet,quod Deus nolit mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat: Et ardenter pete cum Dauide vt ipſe te reſpiciat oculis miſericordiæ ſuæ, reſpondeat tibi per Spiritum ſanctum in corde tuo,illuminet oculos mentis tuæ, & tenebras diſpellat. Quod ſi feceris ſerio ſine omni hypocriſi, abſque dubio audies in corde tuo reſponſum Spiritus ſancti. Vnde fides ex promiſſionis verbo concepta naſcitur,vt iam te in gratiam propter meritum Chriſti receptum ſtatuas.

Tertium. Vbi hanc fidem cordi tuo infuſam ſenſeris tria cum Dauide facito.Spera, gaude,canta. Spera in miſericordia Patris:Gaude in ſalute Filii.Canta Iehouah per Spiritum ſanctum,idque Mente,corde,ore & facto. Mente, recte de Deo ſentiens. Corde, fiduciam in illum collocans. Ore,beneficium prædicans & confitens.Facto,vt quemadmodum, tu miſericordia Patris e tua miſeria es eluctatus, ita tu conſeruis tuis miſericordiam præſtes exemplo Patris,cui cum Filio,& Spiritu ſancto ſit honor in ſecula.Amen.

PSALMVS DECIMVS QVARTVS.

CVm Paulus Rom.3.testimonio ex hoc Psalmo petito probet & gentes & Iudæos, adeoque totum genus humanum sub peccato esse, eius authoritate freti, hunc Psalmum interpretemur esse vniuersalem accusationem totius generis humani propter peccatum, in quo simul discernitur inter hostes Ecclesiæ & veram Ecclesiam, promittiturque Ecclesiæ salus ex Sione, hostibus Ecclesiæ deletis & perditis.

Ordo & dispositio Psalmi Decimi quarti.

Tres sunt huius Psalmi partes præcipuæ.

Prima (1.2.& 3.versibus) est vniuersalis accusatio peccati in omnibus hominibus, antequam ad Deũ conuertantur.

Secunda (4.5.& 6.vers.) est discrimen inter duos populos, videlicet, cœtum impiorum & ecclesiam Dei vna cum admonitione vindictæ diuinæ in persecutores Ecclesiæ.

Tertia (versu 7.) est promissio Messiæ qui salutem & lætitiam adferet Ecclesiæ.

Est ergo hic Psalmus partim demonstratiuus, partim Propheticus.

EXE-

EXEGESIS PSALMI DECIMI QVARTI CVM INDICATIONE doctrinarum.

PRIMA PARS.

1. *Dixit insipiens in corde suo, nō est Deus, corruperunt, abominabile fecerunt studium, non est qui faciat bonum.*

2. *Iehouah de cœlo prospexit super filios Adam, vt videat an sit intelligens, requirens Deum.*

3. *Omnes declinauerūt, pariter inutiles facti sunt, non est faciens bonum, non est etiam vnus.*

IN hac prima parte Propheta docet, quod omnes filii Adam, hoc est, propagati ab Adam secundum communem nascendi legem, sint peccatores & rei coram Deo, nemine plane excepto. Hæc summa sententiæ est huius partis. Iam verba expendamus.

Dixit, inquit, *insipiens in corde suo, non est Deus.* Hic fundamentum ponit omnium peccatorum, quod est defectio a Deo, seu dicere Deū non esse, id quod tribuit insipienti. Est autem *insipiens* proprie, si Hebraicam vocem spectamus, qui aliquando sapuit: sed postea desipuit, vt herba quæ prius floruit, & postea emarcuit: sic homo Adam prius, scilicet ante lapsum, sapuit: sed post lapsum & in se & in sua posteritate desipuit, & veluti emarcuit. Nam ab herbis & arboribus marcescentibus transfertur nomen Nabal ad hominem stultum & insipientem.

Quidnam est, dicere Deum non esse? Est non recte sentire de Deo. Qui enim non recte de Deo sentit, Deum quodammodo negat, etsi nemo est mortalium qui non naturæ sensu intelligat Deum esse. Vnde Cicero: Deos esse natura opinamur, qualesque sint ratione cognoscimus. Item: Omnibus

innatum est & in animo quasi sculptum, esse Deos. Item: Firmissimum hoc afferri videtur, cur Deos esse credamus, quod nulla gens tam fera: nemo omnium tam sit immanis, cuius mentem non imbuerit Deorum opinio. Item: Quid potest esse tam apertum, tanquam perspicuum, cum cœlum suspeximus, cœlestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod numen, præstantissimæ mentis, quo hæc reguntur. Epicurus, quod ridiculum est, dicebat Deum otiosum esse, & res humanas non curare, & tamen mortem & Deos timebat. Negabat igitur Epicurus Deum esse. Siue ergo mente, siue voce, siue facto aberras a vero Deo, Deum quodammodo negas. Vnde Paulus ad Titum 1. Fatentur se nosse Deum, factis autem negant, cum sunt abominabiles & increduli, & ad omne opus bonum reprobi. Notemus ergo hic fontem omnium malorum & scelerum esse, non recte sentire de Deo, quod est commune omnibus filiis Adæ, postquam ipse a Deo defecit. Cum hac defectione a Deo coniuncta est ignoratio Dei, & corruptum de Deo iudicium: Vnde omnia mala tanquam ex fonte scaturiunt, concupiscentia carnis in homine regnãte, vt sequitur.

Corruperunt, & abominabile fecerunt opus. Describit effectus defectionis a Deo. *Corruperunt* inquit, scilicet vitam suã concupiscentiis Carnis & sceleratis actionibus. Vel, vt alii vertunt, *Corrupti sunt*, scilicet, corde, anima, virtute mentis & viribus corporis.

Abominabile faciunt opus, id est, quicquid faciunt non renati, abominabile coram Deo est, vel, Abominabiles facti sunt studio, id est, studiose, vt vertit Hieronymus. Est autem *abominabile*, a quo quis & animo & omni sensu abhorret, adeo vt nec illud videre, nec audire, nec olfacere, nec gustare, nec attingere sustineat. Ex quo fit vt illud toto animo auersetur & execretur.

Non est qui faciat bonum. Occupatio est, quasi dicat: Etsi multi videntur magnis virtutibus excellere, vt Aristides, Scipio, Cato & multi alii: tamen reuera omnia ipsorum opera sunt corã Deo abominabilia, vt quæ ex impuro fonte fluant, ac a vero fine aberrent. Fixum enim manet dictum Pauli: Quicquid non fit ex fide, peccatum est *Rom.* 14. Fides enim sola vt est causa boni operis: ita sola dirigit opus recta ad proprium suum finem.

Tenendum

Tenendum eſt autem hoc loco diſcrimen operum quæ fiunt a non conuerſis. Sunt autem triplicia. Alia enim ſunt ſpecie & vſu bona: Alia ſunt ſpecie & vſu mala: Alia ſunt ſpecie quidem media, ſed vſu & fine nunc bona, nunc mala cenſentur.

Specie & vſu bona fuere Ariſtidis iuſtitia, militia Scipionis, & alia congruentia naturæ & facientia ad eius conſeruationem. Sed quoniam hæc proficiſcuntur ab impuro fonte, & aberrant a vero fine, abominabilia ſunt coram Deo: Etſi propter eorum vſum in humana vita Deus ornat ea præmiis. Auguſtinus ait: Ipſa opera quæ dicuntur ante fidem, quamuis videantur hominibus laudabilia, inania ſunt. Item; Nemo computet opera ſua bona ante fidem, vbi fides non erat, bonum opus non erat. Bonum enim opus intentio facit, intentionem fides dirigit.

Alia ſunt ſpecie & vſu mala, vt libidines, helluationes, Tyrannis, & multa alia ſcelera quibus mundus refertus eſt, quæ naturæ aduerſantur, eamque deſtruunt tandem.

Specie media, ſed quę vſu nunc mala, nunc bona cenſentur, vt ſunt, philoſophari, militare, vxorem ducere, & eiuſmodi multa alia, quæ nec præcepta ſunt nec mandata diſerte. Hęc opera talia iudicanda ſunt, qualis eſt animus eius, qui eis occupatur. Sed quia non reguntur a fide, & non tendunt in verum finem, abominabilia ſunt coram Deo.

Iehouah de cœlo proſpexit ſuper filios Adam, vt videat an ſit intelligens, requirens Deum.

Ἀνθρωποπάθεια eſt. Loquendi enim hanc formulam ſumit a conſuetudine hominum, qui audita non ſtatim credunt, præſertim cum fuerint nimis abſurda, niſi ipſi oculis ſuis videant rem ſic ſe habere. Simili phraſi vtitur Moſes *Geneſ.* 11. Deſcendit Iehouah vt videret ciuitatem & turrim, quam ædificauerunt filij Adam. Introducit ergo Dauid Deum inſpectorem & examinatorem factorum filiorum Adam, vt omnes cogitent ſe in eius conſpectu verſari, adeo vt quicquid agant, eum latere non poſſit.

Admoneamur ergo hic timoris & reuerentiæ numinis, ne quid in conſpectu Dei audeamus, cuius nos in conſpectu hominum pudeat. *Proſpexit* autem *Iehouah an ſit intelligens, requirens Deum*, hoc eſt, an ſit qui recte iudicet de Deo, atque eum requirat, & colat,

Sed quid Deus proſpiciens de cœlo depræhendit?

Omnes declinauerunt, pariter inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, ne vnus quidem.

Proſpexit Dominus e cœlo vt videret an ſit intelligens, & requirens Deum: Nunc quid depræhenderit Deus inſpiciens & examinans hominum facta exponit, & concludit ne vnum quidem inuentum eſſe qui faciat bonum.

Hinc apparet quod Deus longe aliter iudicat quam homo. Homo enim externam tantum ſpeciem intuetur, nec vltra penetrare poteſt. At Deus intima & ſecreta cordis examinat & iudicat. Sed quomodo Deus ſuum examen inſtituit? Plane humano more. Nam per remotionem cauſarum bonarum actionum, quæ ſunt tres, videlicet, intelligentia recta, voluntas prompta, & facultas ſeu vires præſtandi, nullas eſſe bonas actiones in homine concludit: Sed contrarias, idque ex contrariis cauſis. Nam cum dicit, *Non eſt intelligens*, remouet intelligentiam, primam cauſam, videlicet gubernantem bonas actiones. Cum addit, *aut requirens Deũ.* Item: *Omnes declinauerunt*, remouet voluntatem, cauſam imperantem bonas actiones. Poſtremo cum dicit: *Omnes inutiles eſſe factos ſeu corruptos*, facultatem præſtandi omnibus adimit. Atque hinc concludit neminem prorſus eſſe qui faciat bonum. Cum his congruit dictum *Iob. cap.* 15. Cœli non ſunt mundi coram oculis eius, quanto magis abominabilis & contemptibilis homo, bibens ſicut aquam iniquitatem? ſcilicet, non eſt purus coram eo. Et illud Pauli ad *Tit.* 1. Pollutis & infidelibus nihil eſt mundum, ſed polluta eſt eorum & mens & conſcientia, Deũ profitentur ſe ſcire, ſed factis negant, cum ſunt abominabiles & immorigeri, & ad omne opus bonum reprobi. Cum ergo nullus mortalium ante regenerationem vel recte iudicet, vel prompte velit, vel valeat præſtare quæ bona ſunt, concluditur neminem iuſtificari operibus ſuis coram Deo. Quemadmodum & Paulus ex hoc loco ad *Rom.* 3. concludit.

Porro hic locus poſtulat vt nonnulla huc adiiciamus de iudicio humano, voluntate, & facultate, ſeu viribus hominum in duplici hominum ſtatu, videlicet, ſub peccato, & ſub gratia, quantum quidem ad bonas & morales actiones attinet.

Iudicium iis qui ſunt ſub peccato, adhuc non regeniti, quantum

quantum ad bonas actiones attinet, aliquando in obiecto, semper in causa, forma, & fine bonæ actionis errat, & sæpe affectibus abripitur. Aliquando dico intelligentiam in obiecto errare: Nam interdum satis dextre de obiecto iudicat, vt cum ratio humana iudicat amandos esse parentes, amandos esse liberos, magistratum honorandum esse, societatem humanam honeste conseruandam esse, virtutem sectandam esse, iustitiam colendam, iniustitiam vitandã, &c. Hic profecto ab obiecto non aberrat ratio. Nam duce natura hic recte iudicat. Congruit enim eius iudiciũ cum interna lege Dei. Verum cum ad causam, formam & finem, quæ qualitatem boni malive actionibus humanis imponunt, vẽtum fuerit, toto cœlo iudicium humanum aberrat. Nam cũ nihil boni moralis rationem habet sine causa eius propria, quæ est fides, iuxta dictum Pauli: Quicquid non fit ex fide, peccatum est. Item, Impossibile est Deo placere sine fide: Firmissime concluditur remota fide, nullum opus hominis bonum censeri posse coram Deo. Similiter, quia Deus vult omnia fieri in suam gloriã, tanquam in verum & vnicũ finem: Qui ab hoc aberrat, a fine aberrat, quem sola fides monstrare nouit. Iam autem causa remota & fine peruerso, erratur etiam in forma actionis, quæ est: Procedere ex fide, & recta tendere in gloriam Dei.

Quantum ad Deum attinet, homo in peccato constitutus errat & in obiecto, & in causa forma & in fine. In obiecto errat quia non statuit esse vnum Deum, qui est Pater & Filius & Spiritus sanctus, creatorem & gubernatorem omniũ: sed fabricat sibi vel Deum Platonicũ, qui sit mundi anima, vel Deũ qui non habeat Filium, vt Mahomet, vel Deum otiosum, vt Epicurus, vel multos Deos vt Græci. Cum igitur ratio sine luce Dei aberret a vero Deo, sequitur quod a vero cultu Dei etiam aberret. Atq; hactenus de iudicio dictũ sit.

De voluntate breuius dicemus, quæ qualis sit in statu hominis sub peccato, promptum est ex superioribus intelligere. Est autem voluntas naturalis quædam vis, qua homo potest naturaliter eligere ex pluribus monstratis quæ vult. Est enim προαίρεσις propria voluntatis actio quam si tollis, volũtatem tollis, & ex homine truncum facis. Est enim προαίρεσις voluntatis, qua voluntas pluribus propositis, eligit quod placet, auersatur quod displicet, idq; alias humano, alias bru

to iudicio. Humano quidem quando ſequitur rectæ rationis conſilium. Bruto vero quando affectuum impetu abripitur, vt Medea cum ait:

Laudo meliora, proboque,
Deteriora ſequor.

Atque ita voluntas in non renatis premitur & vincitur a concupiſcentia. Sunt ergo in homine non renato duo conſiliarij, vnus prudens & nobilis, videlicet ipſa ratio, alter imprudens & plebeius, videlicet affectus carnis. Quorum ille hortatur ad virtutem & ſapientiam, hic ad voluptatem honores & opes ſollicitat. Sed quia vterq; hic conſiliarius in actionibus cultus aberrat, fit quoq; vt volūtas nec velit nec imperet actiones cultus, ſed manet ſerua peccati, etſi libere & nō coacte ſeruiat. Coacta enim voluntas proprie dici nō poteſt. Mercator periclitans in mari merces proiicit, ne mari ſubmergatur: hoc etſi non ſponte, volens tamen facit, & non coacte. Poſſet enim eas nō proiicere, ſed motus periculo, & non coactus hoc facit. Manet ergo voluntas in homine, nec homo a Diabolo, ſeu per peccatum, voluntate priuatus eſt, ſed voluntatis ſanitate, vt Auguſtinus loquitur. Breuiter cum Auguſtino concludo: Voluntas ipſa niſi Dei gratia liberatur a ſeruitute peccati, qua facta eſt ſerua peccati, & vt vitia ſuperet adiuuetur, recte pieque a mortalibus viui non poteſt.

Facultas ſeu vires præſtandi nullæ plane ſunt, quoad cultum diuinum attinet, in hominibus nō renatis, quemadmodū ex Pſalmi verbis & innumeris ſcripturæ locis, & hominum propria experiētia manifeſtū eſt. In corde enim eſt cæcitas & dubitatio. In anima concupiſcentia & contumacia. In διανοίᾳ ſeu cogitatione error & ſeductio. In viribus corporis languor & imbecillitas, idque non in paucis, ſed in omnibus hominibus, nondum regenitis.

Porro in ſtatu hominis ſub gratia cor illuminatur luce Dei, vt iudicet recte, anima Spiritu ſancto mouetur, vt concupiſcat & velit quæ pia & ſancta ſunt, διάνοια ſeu cogitatio verbo Dei gubernatur, vt vera inquirat, vera concludat, & recta ducat ad Deum, & in eius cultum. Breuiter vires interiores & exteriores iuuantur, vt nunc & intelligere & requirere Deum, & aliqua ei grata facere poſſemus. Tametſi autem plenam obedientiam ſecundum partes & gradus ſimul

ſimul in hac vita præſtare non poſſumus:tamen iuxta menſuram fidei creſcit obedientiæ alacritas.

Quare piorum eſt qui primitias Spiritus acceperunt, ne Spiritum ſinant ſua ſegnitie extingui,ſed eum quotidie pietatis exercitiis excitent,ne Diabolus eos in tẽtationem impellat.Ideo Dominus ſuos hortatur vt vigilent & orent, ne intrent in tentationem.Cum vigilias requirit ſignificat inſidias nobis ex omni parte ſtrui a Diabolis:vult eas a nobis caueri:vult vt inſtructi aduerſus eum militemus.Nunc enim Diabolus hac,nunc illa via nos aggreditur. Cum vt oremus iubet, indicat nos infirmiores eſſe, quam vt tantum hoſtem noſtris viribus poſſimus reprimere. Vult ergo vt auxilium petamus ab eo qui ſolus victor eſt Diaboli:Inuocatio, inquit, me in die tribulationis,eripiam te,& glorificabis me. Deum proinde nobis præſentem παρεχστάτην precibus retinemus, quem ſegneſcentes in precibus omittimus,iuxta dictum Gregorij Niceni: A Deo recedit qui ſe per orationem ei non coniungit. Deinde cogitemus exitum militię noſtræ.Si perſtiterimus,coronabimur.Sin arma abiecerimus,cum impiis ſcribemur & confundemur.Proin de hoc Cypriani dictum firma mente teneamus. Hæc ſit inquit,armorum noſtrorum præparatio,hæc diurna ac nocturna meditatio, ante oculos habere atque cogitatione ſemper ac ſenſibus voluere impiorum ſupplicia,& præmia iuſtorum:quid impiis comminetur Deus ad pœnam,&quid contra piis promittat ad gloriam.

Quoniam autem hæc omnis cæcitas humana,voluntatis auerſio & contumacia,&iudicij error eſt a peccato,huc quędam nobis adiicienda ſunt de peccato:Sed nolo tamen hic perſequi peccatorum genera,ſed tantum quæſtionem quandam recens quidem hac noſtra ætate natam,ſed olim ex impuro Manichæorum ſemine conceptam tractabo. Quæſtio autem hæc eſt :

Num peccatum ſit ſubſtantia,num totus homo anima & corpore ſit ſubſtantialiter peccatum,nec ne?

Huius quæſtionis theſin,affirmantem, quidã vir doctus noſtra ætate tueri conatꝰ eſt,bono vt opinor cõſilio,ſed malo euentu.Conſilium quidem ipſius fuit,vt malum peccati vt par eſt,exaggeraretur,quo gratia Dei nobis efficacius cõmendaretur.Putabat enim,ſi peccatũ dicatur accidens tan-

tum, nimium extenuari peccati malũ & gratiam non tantĩ fieri vt oportet. Euentus vero fuit pessimus, nam disputãdo eo tandẽ progressus est, vt ex creatura Dei bona, nẽpe homine, figmẽtum Diaboli fecerit, quod cogitare sane horribile est: sic prolabi solẽt noui dogmatistę, qui cõceptis suis opinionibus, tanquã fœtu quodã adeo delectãtur, vt nihil pulcrius ducant, non cõsiderantes sordes, quas secũ adducit infœlix partus. Verum cũ sordes ipsæ apparere incipiũt & culpari ab aliis. Scripturas violenter torquẽt, vt suũ infœlicem partũ ornẽt, non sine scandalo, & magno Ecclesię periculo.

Verum ne hic quasi in limine impingamus sciendum est quod vox Substãtiæ in hac quæstione non sumatur pro eo, quod cuiusq; rei definitione explicatur: vt cũ dicitur: Substãtia peccati est defectio Dei, virtutis substantia est viuere secũdũ rectã rationẽ, fidei substãtia est firmiter credere promissionib. diuinis &c. qua ratione vocabulũ substãtiæ in omnibus rerũ generib. versatur. Sed quod pro primo rerum genere sumatur, cui nouẽ ordines rerũ, qui accidẽtiũ sũt, oponũtur, & definitur hoc pacto: Substãtia est res quæ per se subsistit, & cui ipsa accidentia innituntur, Gręce οὐσία dicta. Hac cõstituta substãtiæ definitione, scripturarũ authoritate & orthodoxæ Ecclesiæ sentẽtia freti, clare & perspicue dicimus & pronũtiamus, quod nec peccatũ, vllum sit substãtia, nec homo substantialiter sit peccatũ, etsi omnis homo pręter vnum Christum peccator est. Huius veræ & catholicæ Ecclesię assertio firmissimis nititur demõstrationibus, adeo vt qui illi reclamat videatur cũ Deo ipso bellũ gerere. Recitabo autem ex multis paucas, quibus nouũ istud dogma funditus euertetur, & assertio nostra confirmabitur.

Prima. Necesse est eum qui Scripturis credit, fateri aliud esse hominem, aliud peccatum, de quocunque hominum statu loquaris. Adã enim ante peccatum formatus est, & idẽ Adam & non alius post lapsum, de substantia sua hominem genuit ad similitudinem suam, hoc est, naturæ suæ, quam ipse accepit in creatione. Etsi autẽ post lapsũ peccator fuit, non tamen peccatum aboleuit naturam, sed cum priuatione iustitiæ originalis vitiosam qualitatem: quæ vere accidens est, in naturam induxit. Sumamus exempla filii Saræ, & filii Batzebæ. Abraham iustificatus fide, sanctus & acceptus Deo, dormit cum vxore sua Sara, thoro impolluto,

concipitur

concipitur Isaac operante Deo, formatur in vtero Saræ manibus Dei, educitur in lucem hanc, eodem Deo authore. Dauid amissa iustitia fidei, concupiscentia alienæ coniugis pollutus & displicens Deo, dormit cum vxore aliena Batzeba, thoro maculato, concipit Batzeba Deo similiter operante, formatur proles in vtero adulteræ eiusdē Dei manibus, educitur in lucem, eodē Deo authore. Hic si naturam respicis, non minus filius Batzebæ quam filius Saræ, bona Dei creatura est: Vterq; enim ipsissimū Dei opus existit. At si qualitatem attendis, vtriusque par ratio inuenietur. Nam nec Isaac ab Abrahamo natus, sanctus erat, quia ex semine sancti viri conceptus est, nec filius Batzebę magis quā Isaac pollutus erat, quia a semine patris polluti est cōceptus. Sed vterque æque pollutus & reus fuit, propter communē originē, & ordinē diuinę iustitię. Vterq; enim ab Adamo peccatore, in quo natura non est abolita, vt diximus, sed vitiata, originem ducit, ex quo fit vt vterq; iustitię diuinę, qua reus peragitur, subiaceat. Hęc cum ita sint, quis non videt distinguendam esse naturam a vitio, quod cum natura bona propagatur, vt accidens actu inseparabile a natura in hac vita? Cum igitur aliud est natura, aliud peccatum ei adiacens, nec homo peccatum, nec peccatum substantia dicetur.

Secunda. Si homo, quoad substantiam attinet, est peccatū: Deus qui nullius mali author est, quique omne peccatum auersatur & odit (Scriptum est enim: Non Deus volens iniquitatem tu es. Item: Odisti omnes operantes iniquitatem) nihil agit in conceptione, in formatione, in eductione hominis in hāc lucē. Nā si hoc faceret, peccaret vtiq;, & contra suā naturā faceret. Sed quid dicit Scriptura? Scitote, inquit Dauid, quod Dominus fecit nos, & nō ipsi nos. Iob apertius adhuc loquitur cum ait, *cap.* 10. Manus tuæ Domine fecerunt me. Nonne sicut lac liquefecisti me? (id est, fecisti me liquido semine, lacti simili) & tanquam caseum coagulasti me? carne & cute vestisti me? atque ossibus & neruis coopeRuisti me? Vitam & misericordiā fecisti mecum. Quid quęso hac demōstratione clarius? Deus nō est vllius peccati formator. Deus format hominē in vtero materno: Proinde homo nequaquā substātialiter peccatū est. Etsi autē peccatū accessit, eadem tamen humana natura manet in omnibus iis, qui secundum communem nascēdi legem, ab Adamo propagati

ſunt. Peccatum proinde quod eſt acceſſorium malum à natura omnino diſtinguendum eſt. Quapropter nec ſubſtantia hominis peccatum eſt, nec peccatum ſubſtantia, etſi homo totus peccati ſubiectum eſt, & peccatis pollutus.

Tertia. Peccatum non poteſt per ſe extra ſubiectum in quo eſt ſubſiſtere, quod eſſe accidētis propriū nullus dubitat. Quis igitur dixerit peccatū eſſe ſubſtantiā, niſi qui rerū ordines peruertere, & cum natura ipſa pugnare velit? Nec eſt ferendum ſi quis nobis nouum aliquod Subſtantię genus obtrudere moliatur, quod hactenus nec Theologis nec Philoſophis notum fuit. Impoſita ſunt rebus nomina, ea qui confundit, res ipſas confundit, & multa abſurda inuehit. Quod ſane eſt hominis & vani & arrogantis.

Quarta. Chriſtus homo natus, nobis eſt ὁμοούσιος ſecundum totam humanam naturam, hoc eſt, nobis per omnia ſimilis excepto peccato. Proinde cum nobis ſimilis eſt natura, proprietatibus naturalibus, & infirmitatibus communibus quę non ſunt peccata, nemo ſine errore dixerit naturam, proprietates naturales, & infirmitates cōmunes eſſe ſubſtātialiter peccata. Cū Chriſtus nobis nō ſit ſimilis ratione peccati.

Quinta. Originalis iuſtitia in Adamo non fuit ſubſtantia, ſed donum gratuitum, & ornamētum perſonæ Adami, idq; ſeparabile, quod triſtiſsimus euentus docuit. Ergo neque peccatū originis, quod iuſtitiæ originali in Adamo ſucceſſit, ſubſtantia eſt. Peccatū ſiquidē originis in Adamo, priuatio fuit originalis iuſtitię, cui ſucceſſit caligo in mente, auerſio voluntatis, cōtumacia cordis, quæ omnia accidētia ſunt. Quod autē originalis iuſtitia nō fuerit ſubſtātia, ex eo manifeſtū eſt, quod idem ſubiectum vtriuſq;, videlicet, iuſtitię, & peccati remanſerit. Nam idem homo qui ornatus erat iuſtitia originali, poſtea deformatus eſt vitio ſuccedēte. Proinde vtrūque accidens erat, ſi modo accidens eſſe receperis, quod mutabiliter ſubiecto ineſt. Nec dici recte poteſt, quod peccatum originis in Adamo quidem fuerit accidens, ſed in nobis ſubſtantia. Nā eadē eſt ratio peccati originis in Adamo & in nobis. Genuit enim nos tales, qualis ipſe fuit. Sed hoc ſolūmodo eſt diſcrimē, quod peccatum originis in Adamo fuerit priuatio iuſtitiæ originalis. In nobis autem ſit carentia eiuſdem iuſtitiæ, vt Augelius loquitur. Nam in nobis habitus non præceſsit.

Sexta. Peccata actualia, videlicet, cogitata, dicta, & facta, contra legem Dei nulla ratione substantiæ dici possunt, cum sint maxime mutabilia. Ergo neque originale peccatũ erit substantia. Nam sunt generis eiusdem, videlicet, defectionis a Deo, quę defectio non substantia, sed accidens est. Tametsi autẽ deformitas quędã in subiecto inest, post priuationem seu carentiã iustitiæ originalis, propter quam subiectum reum fit & destruitur, nisi fiat remissio: tamẽ aliud est ipsa deformitas, aliud subiectum in quo est: quorum illa accidens est, hoc substantia. Vt enim vinum & venenum distincta sunt, ita homo & peccatum. Vinũ iniecto veneno fit venenatum, & qualitate quam attraxit ex veneno nocet bibentibus. Homo peccato in eum superueniente fit peccator & reus. Sed quemadmodum substantia vini manet, etsi qualitate veneni infecta est: ita hominis substantia eadẽ remanet, tametsi peccato vitiatur. Atque hoc omnino est, quod Dominus ait: Quod natum est ex carne, caro est. Caro hic & subiectum & qualitatem vitiosam notat. Subiectum quidem est homo ipse, quoad substãtiã bona Dei creatura. Qualitas vero vitium, vna cum homine propagatum, propter quod homo abiicitur, nisi fiat regeneratio.

Septima. Regeneratio hominis non est abolitio substãtiæ hominis quæ prius erat, & formatio nouæ: sed est abolitio veteris hominis id est, peccati, & indutio noui, hoc est, indutio nouæ qualitatis per Spiritũ sanctum, in eundẽ hominẽ, id quod hinc manifestum est: Idem regeneratur qui iustificatur. Iustificatur autem impius, iuxta illud: Qui iustificat impium. Ergo idem homo, qui fuit impius & postea est iustificatus, regeneratur. Non est ergo homo peccatum, nec peccatũ substãtia, quandoquidẽ tollitur per regenerationẽ, & radicitus exuetur in sanctis in resurrectione a mortuis. Non ergo obstat quod peccatum originis non prorsus exuatur in hac vita, quandoquidem in resurrectione ipsa sanctorum fiat separatio, vt nusquam amplius sit. Ex quo intelligitur, quod vere sit accidens inseparabile, subiecto remanente, & nullo modo substantia.

Octaua. Peccatum Diabolorum non est substantia, sed accidens, etiamsi in æternum est inseparabile. Igitur nec peccatum in homine est substantia, sed accidens. Nam certũ est & indubitatũ Diabolos retinere eandẽ substãtiam

quam acceperunt in creatione. Igitur & homines. Etsi autẽ in hominibus multiplicatur substantia numero, tamen eadẽ specie eadem manet, & suam sapit originem.

Nona. Deus dilexit homines post lapsum *Ioan.* 3. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret &c. Deus autẽ nõ diligit peccatũ vt supra ostẽdimus. Igitur homo post lapsum substantialiter non est peccatum, sed peccator. Hominem ergo vt bonã suã creaturã adeo dilexit Deus, vt daret filiũ, quo eũ liberaret a peccato quod odit.

Decima. Lex Dei sicut præcipit vt diligamus omnes homines bonos & malos: ita iubet vt odio habeamus malum & iniquitatem, hoc est, peccatum. Igitur aliud est homo, & aliud peccatũ. Ex quo sequitur, quod nec homo sit peccatũ, nec peccatum Substantia. Cum autem Dauid ait: Perfecto odio oderam eos, non naturam, id est, essentiam mutari sed vitium culpari sciamus.

Vndecima. Cum Dominus noster iubet vt precantes inter alia dicamus: Remitte nobis debita nostra: nonne inter nos homines & peccata nostra distinguit? Et Dauid dicit: Dele iniquitatem meam. Non dicit dele me, sed iniquitatem, vt ipse seruetur. Et Dominus apud Esaiam: Ego sum qui deleo iniquitates tuas: scilicet, vt tu liberatus ab iniquitate saluus fias. Similiter omnes sancti Dei petunt conseruationem sui & delectionem peccati. An non huiusmodi & similia dicta, qualia sunt infinita in Scripturis manifeste distinguũt inter homines ipsos & peccata? Nõne clarissime docent, quod nec homo sit peccatũ, nec peccatũ substãtia, sed accidẽs, a quo homo liberatus vere beat⁹ efficitur?

Duodecima. Prima promissio quę est vniuersalis, similiter discernit inter ipsum hominem & peccatũ propter quod homo reus est. Facta est enim promissio non peccato, sed homini peccatori, vt quod a Deo est sanetur, & quod a Diabolo est aboleatur, hoc est, non tantũ actuale, verumetiam originale vitium. Nam si homo substantialiter per lapsum factus fuisset peccatum, Deus plane illum destruxisset, sine omni gratiæ promissione. Nec aliter est iudicandum de posteris Adæ, vt in prima ratione supra declarauimus.

Decimatertia. Eadem corpora quæ cadunt cum Sanctorũ, tum reproborum resurgent, iuxta fidem Symboli, quæ ex promissione Christi pendet: Similiter & eædem animæ redi

bunt

bunt in corpora,ſingulæ in ſua, peccato ſanctorum cum o-
riginali,tum actuali prorſus abolito.Hoc autem nullo mo-
do fieret,ſi homo ſubſtantialiter peccatum eſſet. Ex quo ſe-
quitur peccatum in homine accidens eſſe.

Decimaquarta. Scriptura definit peccatum eſſe ἀνομίαν, id eſt,ἀδικίαν,quam nemo recte dixerit οὐσίαν eſſe , ſed potius triſtiſſimam defectionem a lege Dei , qua gloria Dei iniuſte læditur, quæ profecto non poteſt dici ſubſtantia. Quare cum omne peccatum continetur ſub genere ἀνομίας, quæ eſt ἀδικία,nullum profecto peccatum erit ſubſtantia, ſiue ſit blaſphemia ſpiritus,quod peccatorum maximum eſt, ſiue infirmitatis,ignorantię aut malitiæ,ſiue omiſſionis aut cõmiſſionis,ſiue voluntariũ aut inuoluntariũ , ſiue veniale aut mortale: Sed accidens deſtruens ſubiectum in quo eſt, niſi per Chriſtum fiat remiſſio,qui ſolus eſt propitiatio pro peccatis noſtris.

Decima quinta. Vt peccatum,veteris hominis nomine cenſetur,quem nos exuere iubet Paulus: ita iuſtitia noui hominis appellatione,quem induere iubemur, ſignificatur. Ergo alius eſt qui exuit & induit , aliud quod exuitur & induitur. Qui exuit & induit eſt homo proprie ſic dictus, qui eſt bona Dei creatura. Quod autem exui debet eſt peccatum ſeu iniuſtitia, quod indui, eſt iuſtitia. Hoc eſt quod Theologus Græcus ait: τὸ μὲν ὑποκείμενον ἓν ἐστιν ,τὰ δὲ ἐνδύματα δύο: τὸ δὲ ἐκδυόμενον καὶ τὸ ἐνδυόμενον. Quis hic non videt diſcerni hominem ipſum a peccato, & iuſtitia , quæ mutabiliter inſunt homini. Ex quo ſequitur,quod nec homo peccatum ſit,nec peccatum ſubſtantia.

Ratio appellationum veteris hominis & noui hominis ſumitur a duobus hominibus,videlicet,Adamo & Chriſto: quorum ille vetus & terrenus,hic nouus & cœleſtis a Paulo dicitur.Hinc per Metonymiam quicquid habemus ab Adamo , videlicet, veteri & terreno homine propagatum cum natura,quæ per ſe bona eſt , vetus homo dicitur. Et quod habemus a Chriſto , videlicet, nouo homine & cœleſti per regenerationis gratiam,nouus homo nominatur. Appellationes ergo iſtæ veteris & noui hominis, nos admonent de origine & cauſa,cum peccati , tum iuſtitiæ. Ab Adamo peccatum habemus,a Chriſto iuſtitiam.

Decima sexta. Conformitas nostri cum Christo in omnem æternitatem erit accidentaria. Nam per eam non tollitur natura, sed ornatur & perficitur. Cum apparuerit, ait Iohannes, similes ei erimus. Vt ergo hic sumus Christo ὁμοίωσει ita illic similes abolito peccato erimus. Ergo deformitas in hac vita cum originalis tum actualis est accidentaria, qua natura ipsa non tollitur, sed deformatur. Hinc similiter concluditur, quod nec homo peccatum sit, nec peccatum sit substantia.

Decima septima & postrema. Consensus Catholicæ Ecclesiæ omnium temporum, nostram sententiam confirmat. Nullus enim vnquam catholicus definiuit peccatum esse substantiam: sed tristissimam priuationem boni, præuaricationem boni, carentiam iustitiæ originalis, præuaricationem mandatorum Dei, contumaciam & rebellioné aduersus Deum, auersionem ab incommunicabili bono, iniusticiam, imaginem Diaboli &c. Hæc omnia cum sunt accidentia, negant profecto Patres hisce suis definitionibus peccatum esse substantiã. Ambrosius de peccato originali disserens, expresse dicit: Quomodo inhabitat in carne peccatum, cum non sit substantia, sed præuaricatio boni? Augustinus. Non substantialiter manet, sicut aliquod corpus aut spiritus, sed affectio est quædam malæ qualitatis. Atque hactenus recitauimus rationes quibus veritas confirmatur, videlicet, quod nec homo sit peccatum, nec peccatum substantia, de quocunque peccati genere loquaris. Iam tametsi demonstrata veritas euidens est refutatio contrariæ opinionis: In omni enim re, vna est tantum constans veritas: tamen præcipua fundamenta, quibus nititur author huius noui paradoxi, attingam. Nam omnia persequi nec est nostri instituti, nec est necesse, præsertim cum istud deliramentum paulatim per seipsum flaccescat, & fortiter repressum est, imo oppressum a doctissimo viro Doctore Iacobo Andrea, vt alios prætercam.

Summum suum præsidium tanquam in arce inexpugnabili collocat istius noui dogmatis author, in hac demonstratione, quæ si expugnata fuerit, frustra se ad infirmiora præsidia recipiet. Demonstratio autem istius authoris hæc est:

Quicquid

Quicquid est inconforme legi Dei est peccatum.
Totus homo quantus quantus est: anima videlicet & corpore, est inconformis legi Dei. Ergo
Totus homo est peccatum.

Hinc sequitur peccatum esse substantiam, cum nemo negauerit hominem esse substantiam. Quid ad hanc demonstrationem dicemus? Si consequentiam examinauerimus depræhendimus hoc barbarum argumentum in Barbara conclusum, quæ omnium consequentiarum facile potentissima est, ideoque inuicta. Sed si rerum instituerimus examen, assumptionem authoritate Scripturæ conuicti, fatebimur esse verissimam. Restat igitur propositio maior, in qua author victoriam sitam esse sibi pollicetur, quaque in suam sententiam multos pertraxit: præsertim eos, qui ipsum Magistrum agnoscunt, & ex eius ore pendent. Verum quidam ex sociis ipsius, viri cordati & docti absurditate istius paradoxi offensi, fortiter se illi opposuerunt, etiam editis scriptis. Quid igitur dicemus de propositione maiore in qua victoriam collocabat? Hanc dicimus & affirmamus esse vanissimam & falsissimam, modo proprie accipiatur, vt author eam accipit. Quis enim Grammaticus, ne dicam Dialecticus, admittet substantiua adferri de adiectiuis? Quis feret abstracta prædicari de concretis, siue eiusdem siue diuersi generis? Quis patietur minora de maioribus prædicari? Si hæ sunt vitiosæ prædicationes, quemadmodum reuera sunt, certe hæc vitiosa est:

Omne inconforme legi Dei est peccatum.

Hic enim substantiuum de adiectiuo adfertur, abstractū de concreto, minus de maiori prædicatur: Quemadmodū quilibet qui elementa Grammaticæ & Dialecticæ didicit agnoscit. Est proinde propositio illa proprie accepta falsissima. Verum si sic concluderet:

Omne inconforme legi Dei est peccans & reum, videlicet, propter peccatum quod in ipso est.
Totus homo est inconformis legi Dei, Ergo
Totus homo est peccator & reus:

Demonstrationem veram & immobilem agnoscerem. Proinde inconformitas peccatum est, non autem ipsum inconforme, id est, subiectū in quo illa est incōformitas. Tri-

buit ergo author iste subiecto quod est accidentis, propter quod ipsum subiectum reum est. Simile est si sic cōcluderē: Quicquid est cōforme legi Dei est iustitia. Etsi autem hæc enuntiatio speciem veri habet, tamen est falsa proprie loquendo. Sed hæc vera est: Quicquid est conforme legi Dei est iustum, scilicet propter iustitiam quæ in eo est. Addo autem proprie loquendo: quia tales locutiones figura aliqua molliri ita possunt, vt gratiam non paruam habeant: sed tunc abstracta prædicata pro concretis ἐμφατικῶς ponuntur: Vt cum Dauus scelus dicitur a Poeta, vbi scelus pro admodum scelesto ponitur. Sic nos iustitia Dei dicimur in Christo, quia vere & perfecte iusti sumus in Christo, ipsius nempe iustitia nobis credentibus imputata. Si nouus iste author hoc pacto maiorem suam propositionem acciperet, quod tamen non facit, nihil concluderet. Nā in æquiuocationis vitium incideret, homine docto, qualis ipse reuera fuit, indignum, mutato figurate dicto in proprium. Ex his quæ hactenus diximus, facile est respondere ad ea quæ adferuntur ex Patribus, & præsertim Luthero nostri seculi Propheta, qui aliquoties hac formula loquendi vtuntur: Totus homo quantus quantus est, est peccatum. Hic enim vocabulum abstractum pro concreto ponitur, ad exaggerandum peccati malum. Porro cum Christus dicitur peccatum, nemo est tam rudis qui non intelligat figuratam esse locutionem & peccatū poni pro sacrificio pro peccato. Nam sensus est: Christus est sacerdos vnicus, seipsum offerēs in sacrificium propitiatorium, pro peccatis totius mundi. Prætereo quod ex Dauide & Ieremia opponitur: facile enim diluitur. Dauid cum dicit: Cor nouum crea in me Deus: non loquitur de substantia cordis, sed de qualitate, vt ipse se explicat cum ait: Et spiritum firmum innoua in visceribus meis. Non petit ergo viscera, inter quæ cor ipsum præcipuum locum occupat, tolli, & alia reponi, sed spiritum innouari in ipsis visceribus quæ habet, vt motus noui in corde per Spiritum sanctum creentur, legi Dei conformes. Nec aliter intelligendum est dictum Ieremiæ, de corde lapideo, quod Deus promittit se ablaturum, & corde carneo, quod Deus promittit se daturum. Sic enim Dominus se declarat cum ait: Et faciam vt in præceptis meis ambuletis. Reliqua argumenta quæ nouus

iste

iſte dogmatiſta accumulauit, omitto. Nam facile ex iis quæ diximus iudicari poſſunt. Quare hic finem facio, & auditores admonitos volo, vt cum noua aliqua dogmata adferuntur, ſtudiose inquirant quæ fuerit conſentiens ſententia omnium temporum Eccleſiæ, & quibus fundamentis nitatur. Atque illum conſenſum amplectantur, nec ſinant ſe ab eo abduci vlla Sophiſtica, quantumuis magnos authores habeant, & plauſibilia videantur, quæ adferuntur. Breuiter: Sint omnia noua ſuſpecta.

De propagatione peccati Adami in poſteros.

Quoniam Dauid omnes homines pronuntiat vitioſos ac reos, idque propter peccatum originis: quæritur in Eccleſia, quomodo in nos propagetur peccatum, quod vocant originale. Etſi autem Epitheton, originale, rationem propagationis indicat, videlicet, quod nati ab Adamo originē ſuam ſapiant, iuxta Poetæ dictum:

Naturæ ſequitur ſemina quiſque ſuæ.

Peccatores enim a peccatore naſcuntur, non ſecus atque ex radice putri ſeu ſemine corrupto, putres & corrupti fructus naſcuntur: & ex maſſa acida, panes acidi pinſuntur. Tamen vt ad hanc quæſtionem dilucidius reſpondeamus, in primis tenendum eſt hoc principium: Omnes homines ſecundum communem naſcendi legem propagati ab Adam, non ſunt vt diuerſæ perſonæ, a perſona Adæ, quantum quidē ad originem attinet, conſiderandi: ſed tanquam vnius & eiuſdem perſonæ partes ſeu membra. Ita vt Adam & nos veluti vnus homo reputemur, non ſecus atque Eua antequam deſumpta eſt de latere Adam, pars & membrum Adæ fuit. Et ſicut panes deſumpti ab vna maſſa, quantum ad originem attinet, vna eademque maſſa ſunt omnes.

Hoc conſtituto principio, ordine ſpectentur quæ ſequuntur.

Primum, Adam conditus eſt ad imaginem Dei, cuius & membrum & vxor Eua fuit, perſuaſus a diabolo, libere & nō coacte, ſpe magni alicuius boni conſequendi, labitur in peccatum, tempore nobis plane incognito, niſi quod antequam genuerit, factum conſtet. Cum ergo de vetito fructu comedebat Adam, ſibi & nobis comedebat: quapropter lapſus quoque communis eſt,

Secundo. Cum ergo nos concipimur in vtero materno, suo tempore in hanc lucem prodituri, transit in nos, id est, in nostras personas, non factum personæ Adami, sed culpa ob factum, propter vnam eandemque naturam Adæ & nostram, idque naturaliter. Quicquid enim ab alio nascitur, eius originem sapit, a quo nascitur.

Tertio. Transit in nos pœna vna cum culpa (cuius rei natura sumus) videlicet, a fœlici statu, in quo eramus in Patre nostro, exclusio, maledictio, corruptio, & mors vtraque, scilicet, temporalis & gehennæ. Conuertitur autem hæc ratio: Culpa in nos transit, ergo & pœna. Et rursus: Pœna in nos transit, ergo & culpa. Quod tamen quidam Scholasticorum negant. Volunt enim pœnam transiisse, non culpam, quod minime congruit iustitiæ Dei, qui neminem insontem punit. Pelagianorum commentum qui asserunt imitatione propagari peccatum, facile refellitur, cum multi infantes moriantur, qui per ætatem non poterant imitatione peccare.

Quarto. Vt Adam amisit lapsu suo originalem iustitiam, seu imaginem Dei, seu harmoniam omnium virium animi & corporis, quo præstabatur Deo perfecta obedientia, in iustitia & sanctitate vera: & propter hanc homo Deo acceptus erat: ita nos gignimur ab eo sine illa imagine. Vt enim accepit sibi & nobis imaginem Dei, ita & sibi & nobis eandem peccando amisit.

Quinto. Quia harmoniæ omnium virium congruenti cum voluntate Dei, quam amisit Adam, & sibi & nobis successit ἀταξία omnium virium, corruptio, infirmitas, inclinatio praua, seu concupiscentia: nos eorundem hæredes sumus. Nascimur itaque vitiosi, infirmi, ad malum propensi, seu, vt Paulus loquitur, filii iræ.

Hinc concludamus & quomodo transeat peccatum originis in nos, & quid sit peccatum originis.

Quomodo ergo transit peccatum originis in nos?

Vt ab origine sua, quæ inde proueniunt, hoc est, vt mali fructus ex mala radice: vt ex acida massa acidi panes. Breuiter: Quale semen talis & fructus.

Quid est peccatum originis?

Est cum carentia iustitiæ originalis, quæ fuit imago Dei in iustitia & sanctitate vera, tum ἀταξία omnium virium, vitiositas, infirmitas, inclinatio praua seu mala concupiscentia, propter quod peccatum rei sumus, & damnati, donec fiat remissio.

Nihilne iuuat posteros Adæ, quod Adam sit receptus in gratiam, sit fide iustificatus & sanctificatus, antequam genuit filios? An non quia sanctus erat, sanctos etiam procreauit filios?

Nequaquam. Nam generatio hominis ab Adamo carnalis fuit, & facta est ex ea parte qua non fuit regenitus. Idem iudicium sit de omnibus qui nascuntur a sanctis parentibus. Similitudinem quam quidam huc accommodant, videlicet, tritici, quod tametsi purum seminatur, nascitur tamen cum paleis, non probo.

Porro quia hic variant Doctorum sententiæ de anima, quæ est altera pars hominis, eaque nobilior, qua videlicet homo ab aliis creaturis differt, huc adiiciẽdum iudico, quid de anima hominis sit pie sentiendum. Est autem hoc in primis sciendum, quod anima hominis sit spiritus, quo homo non solum viuit & sentit, sed etiam intelligit, appetit, eligit, auersatur, qui cum a corpore discedit, destructo domicilio suo, per se subsistit & manet immortalis, vt quæ est simplicissima, ideoque incorruptibilis. Iam ad varias opiniones de anima descendamus, inter quas prima occurrit Origenis error, qui ex principio, non satis ab homine doctissimo animaduerso, extruit animas ab initio creatas esse, quæ postea corporibus in vtero materno infunduntur. Principium Origenis hoc fuit. Scriptum est, Compleuit Deus opus suum, & requieuit die septimo. Hinc conclusit nihil amplius a Deo creari. Quare animas ab initio creatas esse censuit. Sed fallitur Origenes: non enim distinxit inter formam opificij quam instituerat Deus, & eius conseruationem, inter perfectionem operis, & continuam eiusdem gubernationem, inter rerum genera quæ creata erant, & nouarum rerum formationem, inter quietem Dei a completo opere, & perpetuam eiusdem operationem. Pater, ait Filius, vsq; modo operatur, & ego operor. Quare opinionem

Origenis vt falſam doctiſſimi quique in Eccleſia repudiauerunt. Origeni igitur opponatur conſenſus totius Eccleſiæ, de quo Auguſtinus in hunc modum loquitur: Credendum eſt & firmiter tenendum, quod animæ non ſint ab initio creatæ, vt Origenes finxit.

Inepti quidam, nihil anguſtius cogitantes de anima hominis, quam de bonis, ſentiunt animas & oriri & interiri cum corporibus. In qua opinione ſunt Epicurei, & in illa omne ſuum ſolatium ponunt. Ex quo fluit hoc illorum dictum ab apoſtolo non diſſimulatum ad Corinthios. 15.

Φάγωμεν καὶ πίομεν, ἄυριον γὰρ ἀποθνήσκομεν.

Item. *Ede, bibe, lude, poſt mortem nulla voluptas.*

Horum ſententia non multum abſimilis eſt eorum, qui fingunt animas hominum poſt ſeparationem a corporibus, carere omni ſenſu, atque alto quodam ſopore ita correptas eſſe, vt ſeſe ſupereſſe neſciant. Sed vtriſque oppono dictum Domini: Animam non poſſunt occidere. Item, hiſtoriam Lazari & diuitis Epulonis.

His tribus ſectis iam pridem exploſis & damnatis, duæ ſunt ſententiæ Doctorum Eccleſiæ reliquæ, de quibus inter doctos hodie diſputatur, quarum vna eſt eorum, qui cenſent animas hominum oriri ex traduce, altera eorum, qui exiſtimant animas de nouo creari & infundi in corporibus. Vtraque ſententia magnos & graues habet authores.

De origine animæ, ait Gregorius, inter ſanctos Patres requiſitio non parua verſata eſt: Sed vtrum ipſa ab Adam deſcenderit, an certe ſingulis detur, incertum remanſit.

Qui ſentiunt animas oriri ex traduce, hoc eſt, animas cum ſemine ab animabus traduci, inde vſque a primo homine Adamo, tanquam propagines vitium: putant ſe iſto facto propagationem peccati originis, quod potiſſimum eſt in anima, tueri poſſe commodius & efficacius. Quod etſi non nego, tamen ab altera parte metuendum eſt, ne confirmata iſta ſententia in animis hominum, aperiatur feneſtra ad Epicureiſmum. Nam ſi anima eſt ex corruptibili ſemine, profecto & ipſa corruptioni obnoxia videtur.

Porro qui dicunt creari a Deo animas, atque creatas in corpora in vtero materno formata infundi, nituntur profecto non leuibus argumentis, ex quibus quatuor ſolummodo

modo notabimus.

Primum. Si anima humana (inquiunt) oritur ex traduce, necesse est, vt id fiat vel per decisionem seu defluxum partis animæ paternæ, vel per transitionem totius animæ paternæ cum semine. Tertius modus nullus dari potest: Ex accidente enim substantia non gignitur. Sed nec fit per decisionem partis animæ paternæ, nec per transitionem seu infusionem totius cum semine. Igitur anima non oritur ex traduce, hoc est, non facit propagationem sui ex se. Assumptionis partes quæ duæ sunt hoc modo confirmantur. Prior est. Non fit per decisionem partis animæ paternæ, quod sic probant. Omnibus in confesso est animam humanam esse absolute simplicem & spiritualem. Iam autem de simplici natura absolute pars sumi non potest, est enim insecabilis. Anima enim cum sit simplex, nihil de ea nec secerni, nec diuidi, nec distrahi potest. Ex quo fit, vt nec interire possit. Impossibile est igitur per decisionem seu defluxum partis animæ paternæ fieri propagationem animæ in prole. Posterior est: Nec fit per transitionem aut infusionem totius paternæ animæ cum semine. Quod sic probant. Si tota anima patris transit vna cum semine, nihil remanet patri, quare illum necesse est exspirare amissa anima cum semine. Et contra. Si tota remanserit, nihil confertur proli. Hæc profecto ratio multis doctis persuasit, quod anima humana nequaquam oriatur ex traduce, quemadmodum multorum scripta hodie testantur: Sed creetur a Deo & corpori humano formato in vtero materno infundatur.

Secundum. Quando Deus alia animantia creauit, simul & animas & corpora creauit. Sed longe alia ratione hominem fecit. Nam primum formauit corpus: deinde formato corpori animam inspirauit. Sicut ergo in primo homine corpus de terra sumptum, spiritus vero a Deo datus legitur: ita & ratio postulat vt in posteris Adæ omnibus, caro quidem ex carne descendat, spiritus vero a Domino credatur creari, & corpori formato infundi. Quod ergo Deus legitur inspirasse in faciem Adæ spiritũ vitę: Symbolicum fuit, quo significabatur, quomo-

do etiam hodie animæ humanis corporibus adueniant: vt inde animarum præstantia & excellentia concludatur: vtq; magnifaciamus hoc Dei opus, animam videlicet.

Tertium. Solomon in Ecclesiaste *cap*. 12. sic ait: Reuertatur puluis in terram quemadmodum erat, & spiritus redeat ad Deum qui dedit eum. An non clarissime videtur hic Salomon ostendere, quod Spiritus non de Spiritu, vt caro de carne traducitur? An non videtur quasi digitum intendere in primam hominis creationem, tanquam in exemplar creationis aliorum hominum, quorum corpora format in vtero materno ex terreno semine & formatis iam corporibus animas à se creatas infundit.

Quartum. Etsi autem inter Patres catholicos fuere tres discrepantes opiniones. Quidam enim non dubitabant asserere animas oriri ex animabus, vt supra diximus. Quidam contra creari & diuinitus infundi corporibus, quemadmodum modo declarauimus. Quidam pendebant in medio nihil certi affirmantes, vt inter alios Hieronymus & Gregorius: Ego tamen eos sequor qui medium locum occupant, nemini quicquam præscribens. In hoc numero multi fuere olim, & sunt hodie quidam viri doctissimi. Inter hos primus occurrit Nazianzenus, cuius hæc verba sunt: Ψύχη δὲ Θεοῦ κρατέοντος ἄημα ἔκποθεν εἰς πίπτουσα.

Augustinus quem facile multis oppono, constanter ait: Credendum est & firmiter tenendum, quod animæ non sunt ab initio creatæ, vt Origenes finxit, aut in corporibus seminantur, vt Luciferani & Cyrillus & quidam Latinorum affirmant: sed a Deo animam creari, & infundi corpori creato & composito & formato. Hilarius ait: Anima hominis opus Dei est: Generatio carnis semper ex carne est. Qui prædicat animæ cum corpore occasum, audiat animam non esse terrenam, sed ex afflatu Dei ortam. Ambrosius similiter constanter ait: Moses nos informauit & instruxit de insufflatione animæ, vt non laberemur opinionibus diuersis. Et paulo post concludens ait: Substantia animæ diuinus est spiritus: sicut ait scriptura: Quia insufflauit in animam eius spiritum vitæ. Et alibi. Ex nullo homine generantur animæ. Sed, Quid, dicat aliquis, *respondes ad Dilemma, quod multi insolubile esse putant*? hoc videlicet:

Si anima

Si anima est de substantia Adami, cum carne nascitur, & cum carne moritur.

Si anima à Deo creatur noua, vnde immunda & rea peccati?

Respondeo.

Hoc axioma ante omnia teneatur. Deus est & animarum & corporum conditor. Anima ergo est bona Dei creatura, & caro est bona Dei creatura. Sed homo totus, conceptus & natus vitiosus & reus est propter aliud nempe propter peccatum primorum parentum. Nam vt Adam non sibi tantum, sed posteris quoq; suis accepit imaginem Dei, vt supra diximus: ita eandem sibi & aliis amisit. Ex quo factũ est, vt Deus iuxta suam comminationem creet & infundat animam corpori mundam quidem, sed sine imagine Dei, quæ quia corpus in Adamo est, in eo polluitur & fit rea: nõ secus atque vnguentum nobilissimum, in vas putridum infusum. Si cui hæc solutio non satisfacit, sed hæret adhuc dubius: is audiat Augustinum qui sic ait: Potius nobis cogitandum est de remedio peccati originalis, quam quærendum quomodo ad illud malum peruenimus, & in eum puteum incidimus.

SECVNDA PARS.

4. *Nonne cognouerunt omnes operantes iniquitatem? comedentes populum meum, ac si panem comedant. Iehouah non inuocauerunt.*

5. *Ibi timuerunt timore, quod Deus in generatione iustorum.*

6. *Consilium pauperis pudore afficitis, quoniam Iehouah fiducia eius est.*

DEscripsit Dauid in prima parte huius Psalmi totum genus humanum quale sit ab origine sua, nempe ita peccatis immersum, vt ne vnus quidem sit inuentus qui faceret bonum. Nunc autem in hac secunda parte Psalmi, in duas partes humanum genus distinguit, quarũ vna persistit in sua malitia: altera per gratiã quodammodo eluctatur, & se iungit se a Diabolo, & se Deo adiungit. Nam post lapsum primorum parentum Deus remedium proposuit, nimirum verbũ promissionis, quod

qui recipit, a suis peccatis paulatim eluctatur, & Deo se submittit. Qui vero non recipit remedium oblatum, manet in peccatis suis sub maledictione. Hinc duæ ciuitates initium sumunt, vna Dei: altera Diaboli. En dignitatem humanam: vide præparantia opera, cogita merita congrua & condigna: æstima vires hominum. Nam omnes ad vnum quotquot sumus, in eundem puteum incidimus: vnde nemo nisi manu Dei eripi potest, id est, per gratiam, quę est in Domino nostro Iesu Christo, omnib. oblata. Atq; hactenus de summa sentētię horū triū versuū. Nūc singula expēdamus.

Nonne cognouerunt omnes operantes iniquitatem? Operantes iniquitatum: Hoc Epitheton, tribuit Dauid omnibus hominibus ad Deum non cōuersis per fidem in Iesum Christum, quales sunt Tyranni, Sophistæ, Alastores & Hypocritæ. Hi enim omnes operantur iniquitatem. Non igitur *operator iniquitatis* dicendus est is qui quouis modo labitur; sed is qui ex malitia peccat, qui malitia sua delectatur, quique malitia sua cuiuis pio nocere studet, atq; nihil magis in votis habet, quam vt voluptatem capiat ex aliorum miseria. Atque ideo Dauid operarios iniquitatis comparat Epicureis, qui summam voluptatem ponunt in cibo & in potu, aliisque rebus quæ carni sunt suaues. Atque ideo subiungit:

Qui comedunt populum meum, ac si panem comederent.

Hoc est: An non cognouerunt quod cum persequuntur afflictos qui me inuocant, meum populum persequantur ac veluti comedant, dum illos opprimunt, illorum bona rapiunt, atque illis tanquam singularibus delitiis saturantur? Hæc implicitam comminationem habent: quasi diceret: Non sunt impune facturi quod faciunt. Atque hic videmus in qua re suam voluptatem ponant impii, videlicet in miseria & oppresione piorū, quæ voluptas Græce dicitur ἐπιχαιρεκακία. Contra vero pii delectantur cōuersione impiorū, & voluptatem suam statuunt summam, gustare & videre suauitatem Domini, & vero corde sentire quam beati sint qui sperant in Domino. Sed

Quænam est causa huius persecutionis?

Hanc supra notauimus, videlicet, inimicitiam inter semen Diaboli & semen mulieris, quæ inimicitia in diuersis eorum studiis cernitur. Atque hoc est quod hoc loco Dauid

Dauid indicat cum ait:

Dominum non inuocauerunt: quem pii ſedulo inuocant. Diſpar ergo ſtudium impiorum & piorum cauſa eſt cur impii perſequantur pios, vt de Cain & Abele Ioannes ſcribit *1. Ioan.* 3. Non ſicut Cain qui ex maligno erat, & occidit fratrem ſuum. Et propter quid occidit eum? Quoniam opera eius maligna erant, & fratris eius iuſta. Quæ autem fuerint opera Abelis ex hiſtoria patet: Deo ex fide obtulit ſacrificium, eumque ex fide inuocauit. Quod non ferens Cain, ipſum occidit. Nec aliam cauſam perſecutionis Eccleſiæ hodie habent filii Cain, quam quod Eccleſia Deum verum inuocet, & damnet hypocriſin Cain, & omnium qui veræ religioni præferunt ſuos fictitios cultus, quibus volunt Deum ſibi promereri. Cum ergo hodie audimus Tyrannos, Hypocritas & Sophiſtas ſtudere Eccleſiæ perdendæ: ſciamus nos habere cauſam communem cum innocente Abele, cũ rege Dauide, & ſanctis omnibus. Quare & nos illorum exemplo conſtanter Deum inuocemus, non fracti perſecutionibus, certi nos quoque eundem Deum habeamus, qui nos ſuo tempore glorioſe eſt liberaturus.

Sed *Vnde eſt hoc diſpar ſtudium, quod alii Deum inuocant, alii non inuocant, cum vt lapſus fuit vniuerſalis, ita & reſtitutionis promiſsio?* Reſpondeo.

Hoc non proficiſcitur ex fatali neceſsitate, non ex horoſcopi diuerſitate, non ex diſpoſitione materiæ, cum Deus ſit omniũ Deus, diues in omnes, & volens omniũ ſalutem, iuxta dictum: Deus vult omnes homines ſaluos fieri: Sed ex eo quod quidam ſua innata inſipientia, adeo delectãtur, vt ſe ſolos ſapere exiſtiment, ideoque verbo Dei aurem non præbeant: quidam agnoſcunt ſuam ſtultitiam verbo Dei & proprio malo edocti: atque ideo verbum promiſsionis amplectuntur, ac rectius ſapere diſcunt.

Eſt autem *vere ſapere*, inter mala & bona recte diſcernere, mala declinare & bona amplecti, bene beateque viuendo. Sunt autem mala præcipua Diabolus & eius opera, id eſt peccata. Bona vero Deus & eius opera, id eſt, quæ ipſe mandat. Ex quo patet, quod vera ſapiẽtia in vera cognitione Dei, & vera obedientia erga ipſum poſita ſit: quam obedientiam excipit vita æterna & beata. Huc ergo multi &

ante & post diluuium omnia studia conferebant, vt segregarent se ab insipienti posteritate Cain, quæ Diabolum sequitur & eius opera facit, & adiungerent se Abeli, qui Deum sequitur & opera Dei medicatur, atque hi soli verã sapientiam adepti sunt. Quoniam autem huius sapientiæ custos est purus timor Dei, Dauid & Solomon recte dicunt: Initium sapientiæ timor Domini. Hic timor Domini, vt ex noticia Dei vera & viua fiducia in ipsum nascitur: ita omnem offensam Dei cauet, studetque totam suam vitam illi approbare. Demus ergo operam, vt segregemus nos a societate filiorum Cain, & adiungamus nos Ecclesiæ Sanctorum, vt quilibet nostrum vero corde dicere possit cum Dauide: Socius sum ego omniũ timentium te,& custodientium mandata tua. Hoc profecto nemo non faceret, si magnitudinem peccati, & iræ Dei, vt par est, cogitaret.

Ibi timuerunt timore, quod Deus in generatione iusti.

Aliud discrimen inter impios, & pios, ex priori natum. Impii ad tempus secure viuentes tandem scelerum suorum conscientia excitati, agnoscent Deum potenter regnare in generatione iustorum, eosque tueri aduersus omnes suos hostes suo tempore opprimendos. Hinc incipiunt terreri impii,& iudicium Dei metuere. Obseruetur hoc discrimen inter impios & pios seu iustos. Impii foris & ad tempus exultant, intus trepidant sine omni consolatione: foris sibi successum aduersus pios pollicentur, intus se victum iri potenti manu Dei horribiliter formidant. Contra vero iusti corporaliter trepidant, intus & in animo propter spem quam habent exultant: foris sæpe succumbunt, intus victoriam sibi certam pollicẽtur, freti promissione Christi qui dixit: Confidite, ego vici mundum. Huc illud Ioannis pertinet: Hęc est victoria quæ vincit mundum, fides vestra. Opponit autem hic Dauid potentiam Dei, quæ significatur vocabulo Elohim, de quo supra diximus, potẽtię hostium Ecclesiæ. Vt ergo impii scelerum suorum conscientia, & metu pœnarum subinde torquentur: ita pii præsentia Dei freti,& conscientia bona erecti, spem bonam fouent.

Consilium pauperis pudore afficitis, quoniam Iehouah fiducia eius est.

Mutatio

Mutatio personæ est, vsitata in Scripturis. Sensus autem est: Impii derident consilium Ecclesiæ, quod est fiduciam suam in Deum collocare, & omne suum præsidium in eo ponere. Sed

Vndenam hoc consilium habet Ecclesia?

Ex verbo Dei iuxta illud Dauidis dictum: Testimonia tua gaudium meum, & viri consiliarii mei. In omni ergo angustia & persecutione sit hoc consilium nostrum vnicũ, videlicet, spes in Domino Deo nostro: quę spes nõ cõfundit. Si quærimus, ait Augustinus, consilium, habemus copiam non sapientis sed ipsius sapientiæ, qui est Christus. Et Origenes ait: Nullus fidelior ad consilium tibi potest esse, quam qui non tua sed te diligit.

Notetur ergo hic tertium discrimen inter impios & pios. Impii sua potentia opibus & sapientia freti despiciunt ac rident pios. Pii vero spe bona ex promissionibus Dei concepta expectant defensionem & liberationem, vel in media morte. Est proinde sacra anchora in mediis fluctibus & procellis huius vitæ, vera in Deum fiducia, iuxta consiliũ Dei quod in ęternũ stabit, iuxta dictũ Esaię *cap.* 46. Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet. Et *Psalm* 33. Consilium Domini manet in æternum.

Verum ne quis seipsum spectro spei fallat, sciat viuam spem ac veram in Domino manare ex viua fide in Iesum Christum, habere comites rectum timorem Dei quo omnis offensa Dei cauetur, ardentem inuocationem qua petimus nos diuinitus propter Christum iuuari, veram patientiam quæ facit vt non frãgamur aduersis, certam victoriæ expectationem in Christo Iesu.

Tertia Pars.

7. *Quis dabit de Sion salutem Israelis? cum conuertit Iehouah captiuitatẽ populi sui, exultabit Iacob, lætabitur Israel.*

Promissio est salutis per Messiã, voto inclusa. Nã forma dicendi: *Quis dabit?* optantis est, quasi diceret: Vtinam tandem det salutem qui daturus est. Vnde monemur in genere votum piorum debere esse, vt salus promissa cito appareat.

In hac autem promissione plures hic sunt circunstantiæ

consideranda, videlicet, quis? vnde? quid? cui? per quē? quādo? fructus. Has septem circumstantias, breuiter vt propositæ sunt declaremus.

Prima *Quis*, inquit, *dabit*? Cum salus vera a nemine esse possit, nisi a Deo, hic absque omni dubio Iehouah salutis authorem intelligit, sicuti in alio Psalmo expresse dicitur. *Psalm* 3. A Iehouah est salus. *Deut.* 13. Populus saluatus est in Iehouah. *Esa.* 45. Israel saluatus est in Iehouah, salute æterna. *Psalm.* 69. Iehouah saluator Syon. *Prouerb.* 20. expecta Iehouah & ipse saluabit te.

Porro quia Iehouah essentiæ diuinæ nomen est, in qua essentia vna & simplicissima sunt tres personę characteristicis proprietatibus distinctæ, videlicet, Pater & Λόγος, & Spiritus sanctus: Et singulæ hæ personæ idem Iehouah & æternus Deus est: Sciendum est quod vt mundus per λόγον creatus est, ita etiam per λόγον est saluatus. Hic enim solus λόγος inde vsque ab initio mundi & interpres Patris sui fuit: per hunc siquidem suam voluntatem de salute generis humani patefecit: & postquam venit plenitudo temporis, missus a Patre est in mundum, natusę est homo, & factus est sub lege: vt eos qui sub lege erant redimeret. Ita Zacharias *cap.* 9. ait, applicans promissionem patribus factam de semine ad Christum Dominum: Venit, inquit, rex tuus & saluator tuus. *Matth.* 1. Ecce concipies & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum, ipse saluabit populum suum a peccatis eorum. Et apud Lucam ait: Filius altissimi vocabitur. Item ipse ait: Veni saluare quod perierat. *Luc.* 19. Filius hominis non venit animas perdere sed saluare. 1 *Timoth.* 1. Iesus Christus venit in hunc mundum peccatores saluos facere.

Cur autem Iehouah λόγος factus sit homo, explicat Epistola ad Hebræos, cum ait: Particeps factus est carnis & sanguinis, vt haberet quod offerret. Nam quia vnus homo peccauit, cuius peccatum in omnes manauit, requirebat iustitia Dei, vt per vnum hominem fieret pro peccatis omnium hominū satisfactio. Verum quia purus homo non potuit, factus est λόγος homo, vt posset. Vide quæ annotaui-

mus

mus in hunc versum: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.

Secunda. Vndenam venit salus? De Sione. Est autem Sion nomen montis in cuius vertice erat arx constructa, quæ a Dauide capta ciuitas Dauidis est vocata. 2. *Regum* 5. In latere huius montis Aquilonari erat ciuitas, sicut *Psalm.* 48. testatur: Pulcher surculus gaudium totius terræ mons Sion ad latera Aquilonis ciuitas regis magni. Dicitur autem salus ex Sion dari, quia ex Sion, vt Psalmus habet, perfecta pulchritudine Deus emicuit, hoc est, Messias ibi auspicatus est suum regnum: indeque prodiit salutis verbum iuxta vaticinium Esaiæ dicentis: De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem. Est enim lex seu verbum Domini, id est, vox Euangelij qua salus offertur omnibus hominibus, primum quidem Iudæis, deinde gentibus, sceptrum regis Christi. Deinde quia Sion fuit typus Ecclesiæ id est, ciuitatis regis magni: sciamus apud solam Ecclesiam repositum esse salutis thesaurum, vnde verbum salutis, adeoque salus ipsa per Christum est expectanda. Præterea cum nominatur hic circumstantia loci vnde proditura erat vox Euangelij simul cogitemus plures: vt plurium circumstantiarum collectione & collatione confirmentur animi nostri, ne Iudaicis aut Turcicis insidiis circumuenti vel hæsitemus, vel prorsus a Christo deficiamus. Sunt enim multæ circumstantiæ huc pertinentes in Scripturis signatæ, quæ vanitatem Iudæorum & Mahometistarum validissime refutant.

Tertia. Quid salus? Salutis vocabulum tribuitur & causæ & effecto. Causæ quidem figurate: effecto vero proprie. Figura est cum ipse author salutis salus dicitur, cuius figuræ ratio est, vt sciamus non aliunde esse salutem quam a solo Deo, qui est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Saluat enim Pater, saluat Filius, saluat & Spiritus sanctus. De hac salute diximus in prima circumstantia. Proprie autem salus dicitur ipsa liberatio a quouis malo, quare genera salutis petenda sunt a malorum a quibus liberamur discrimine, & a liberandi modis.

Mala quibus expositi sumus, vel ad præsentem vel ad futuram vitam pertinent. Nam vt homines præsentibus malis sæpe premuntur, ita metuũt imminẽtia mala post hãc vi-

tiam. Est ergo duplex salus: Vna præsens & temporaria, alia futura & æterna. Deinde quia præsentia mala aut sunt corporalia & externa, aut spiritualia & interna, erit salus eorum respectu aut corporalis & externa, aut spiritualis & interna. Siquidem salutis ratio ex aduerso respondet ei malo a quo liberamur.

Corporalia & externa mala sunt quæ vel corpora nostra attingunt, vt carcer, morbus, exilium, fames &c. Vel nomen nostrum seu famam, vt calumnia, obtrectatio, infamia. Vel facultates, vt spoliatio fortunarum. Vel ea quæ ad nos quouis modo pertinent, vt sunt, vxor, liberi, amici, socii, ciues &c. Aduersus hæc mala solus Deus salutem efficacem adferre potest. Nam quicquid boni est, a solo Deo est, qualiacunque sunt media, quibus nobis illud offertur. Sed aliter aduersus mala corporalia, aliter contra spiritualia salus nobis confertur.

A malis enim corporalibus & externis salutem præstat Deus variis modis:

Alias enim per media, vt cum excitat Dominus pios iustitiæ patronos contra iniqua impiorum iudicia: vt cum Susannam per Danielis sapientiam e media morte eripit.

Alias repugnantibus mediis saluat, vt cum tres viros in camino Babylonico illæsos conseruat. Sic Danielem in lacu leonum liberat. Sic multos alios miraculose e periculis eripit.

Alias tollit e medio qui pios persequuntur, vt vtrunque Herodem persecutorem Ecclesiæ sustulit.

Alias mutat hostium piorum animos, vt ex hostibus amici fiant. Sic mutauit animum Alexandri Magni, agnito habitu summi Sacerdotis, qui illi antea in sõnis apparuerat.

Alias hostibus Ecclesiæ impedimenta obiicit vt non perficiant malum quod decreuerunt inferre piis, vt cum Saul a persecutione Dauidis (qui iam in angustum adeo redactus erat, vt nullis humanis consiliis elabi posset) per nuntium qui subitam irruptionem hostium in Iudæam nuntiauit, reuocatur.

Alias fortitudinem animi in mediis malis largitur suis, vt suppliciis non frangãtur. Quemadmodum accidit matri, vt est in libris Machabæorum, quæ vna cum septem filiis

fortiter

fortiter mortem cõtempsit pro lege Domini. Quemadmodum legimus etiã de Stephano, Laurentio, & infinitis martyribus. Sed quis potest omnes modos recitare, quibus Dominus Deus noster Ecclesiam suam quotidie in hac vita liberare soleat? Nunquam enim extra pericula est. Est siquidem Ecclesia in hoc seculo instar Cymbæ quæ in mari cum fluctibus & procellis luctatur, ac non nisi diuinitus liberari potest, vt Dauid *Psalmo* 107. ostendit: Clamauerunt, inquit, ad Dominum cum tribularentur, & ex omnibus tribulationibus eorum saluauit eos.

Teneamus proinde hæc tria, videlicet, promissionem salutis, exempla salutis præstitæ, & imitationem Sanctorum.

Promissio salutis sæpe repetitur in Scripturis, qualis illa est quæ est in *Psalmo* 50. Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, & glorificabis me. Cum hac promissione congruit vox Dei apud Esaiam *capite* 43. Noli timere serue mi Iacob, quia ego tecum sum. Cum transieris per aquas, tecum ero, & flumina te non operient. Cum ambulaueris per ignem, non combureris, & flamma non ardebit in te. Quia ego Dominus Deus tuus Israel, & saluator tuus.

Exempla qualia sunt illa quæ recitauimus, & quæ referuntur ad *Hebræos* 11. cogitentur. Sunt enim promissionum diuinarum quasi diuina quædam sigilla, quibus promissio salutis confirmatur.

Imitatio Sanctorum necessaria est. Nam si volumus Sanctorum exemplo salutem consequi, debemus eos imitari, cum in vera pœnitentia qua & deploramus errores nostros, & ad Dominum conuertimur per fidem in Iesum Christum, tum in ardenti inuocatione, qua auxilium diuinum propter Christum imploramus, cum proposito gratitudinis erga Deum per totam vitam. Ac imitemur sanctissimum regem Iosaphat, qui cum angustiaretur vndique, nec humanis consiliis poterat periculum euadere, suos hortatur ac dicit: II. *Paral* 20. Credite in Dominum Deum vestrum & securi eritis: credite Prophetis eius & fœlices eritis. Et inter alia precatur dicens: Cum nescimus, Domine, quid facere debeamus, oculos nostros ad te conuertimus.

Mala spiritualia & interna quæ nos in hac vita molestant tria sunt potissimum, videlicet, Conscientia peccati. Ten-

tationum tempestas, & Desperatio seu metus abiectionis. De his malis & de eorum curatione ordine dicemus.

Inter spiritualia mala in hac vita, primum locum Conscientiæ peccati tribui, qua durius hominis animus premitur, quum vere sentitur, quam corpus quouis onere vel grauissimo imposito. *Cum vere sentitur* dico, quia in multis veluti callo inducto non sentitur, id quod certum est imminentis interitus iudicium, nisi ante mortem remedium allatum fuerit, quo sensum recipiat, & ita sanari possit. Nam de nemine omnino desperandum est ante vitæ exitum. Huius conscientiæ vulneri solus mederi nouit per se & suos, qui se animarum medicum profitetur Iesus Christus. Alii adhibent quidem emplastra foris, intus relicta sanie exitiali. Hic autem pharmacum adhibet salutare & efficax, quo conscientia plane purgari poterit & sanari. Huius proinde sanitas, quo est pretiosior, eo maiori studio est expetēda & quærenda. Verum hic deplorā da est humana cœcitas, & peruersitas iudicii nostri: Si corpus vel leui vlcere molestatur, nullis sumptibus parcitur, vt restitui possit corpori pristina sanitas: at cū anima tristissima lepra infecta moribunda iacet, pauci medicum consulunt.

Quoniam autem *Christus* salus nostra se medico confert sæpius in Scripturis, non erit inutile a corporis curatione exemplum petere, illudque ad nostrum propositū transferre. Nam Analogia quadam aptissima sibi mutuo respondent medicina corporis, & curatio animæ. Vt ergo in curatione corporis, parasceue, remediū, applicatio, sanatio, & sanitatis adeptæ cōseruatio spectantur: ita eadem analogicōs in curatione animæ spectari possunt, idque eo modo qui sequitur.

Parasceue primum locum occupat. Vt enim medicus corpus præparat potionibus aut pillulis, pro ratione morbi, quo aptum efficiatur corpus ad remedium intra se recipiendum: ita medicus animarum minister Euangelii animā hominis præparat, vt sit spiritualis medicinæ capax, quo conscientia a peccati labe sanari possit.

Quomodo, inquies, *fiet hæc spiritualis parasceue, quæ ante sanationē conscientiæ necessario requiritur?*

Quia Christus dicit, non opus habere medico, qui sani sunt, sed qui male habent: (Vt sanos vocat non eos qui

reuera

reuera sani sunt, sed qui non sentiunt animi morbũ vt phrenetici, & propterea medicum contemnunt tanquã sibi nullo modo necessarium: ita male habentes appellat eos, qui vere animæ suæ morbum intelligunt & sentiunt) oportet vt prius intelligamus nos non esse sanos, sed ægrotos & male habere: adeo vt nisi iuuemur opera medici, omnino de nobis actum sit. Erit igitur parasceue ad curationem animæ necessaria, nouisse morbum, & pro ratione morbi applicare purgantia, quo apta reddatur anima ad recipiendum intra se remedium quo conscientia a peccato sanari possit.

Etsi autem omnium hominum conditio vna est in vniuersum, videlicet, quod ante regenerationem corda habeant dura seu lapidea, vt Propheta loquitur: tamen vt lapidum alii sunt duri, alii duriores, alii durissimi: ita corda hominum affecta sunt. Alia enim facilius præparantur ad remedium intra se recipiendum: alia difficilius: alia difficillime, pro qua diuersitate cum hominibus ægrotis agendum est.

Homines simpliciores qui nondum induruerunt longa peccandi consuetudine, etsi dura & lapidea corda habent, tamen malleo legis diuinæ percussa facile conteruntur, & mollia fiunt aptaque ad recipiendum intra se spirituale remedium.

At homines quorum corda longa consuetudine peccandi indurata sunt, non facile cedunt malleo legis: sed vt duriora saxa percussa resiliunt, & sæpe eos lædunt qui malleum legis illis conterendis & molliendis adhibent: vt Herodes fecit, qui Iohannem percutientem se malleo legis trucidauit. Huius exemplum multi Tyranni & alii omnibus temporibus sequuntur: id quod ministri Euangelii haud raro experiuntur.

Sed quid hic faciendum?

Præcones Euangelii qui sunt vnici nostri medici Christi ministri, non cessent officium facere, strenue malleo legis rebelles pulsent, proponant illis iram Dei, exempla iræ recitent, Cain, Saulis, Iudæ & aliorum, pericula dilatæ pœnitentiæ exaggerent, & nihil non faciant quo frangant duritiem istam veternosam. Interdum si commodum esse videtur, adhibeant excommunicationis fulmen. Quod si hoc pacto tandem corda contuderint rebellium & mollia effecerint,

agant gratias Deo qui suo labori propitius aspirauit, remedium monstrent & applicent. Verum si nihil plane profecerint, Deo de hoc conquerantur, eumque rogent, vt ipse manum adhibeat, præstetque singulariter quod per ipsos præstare dignatus non sit, vt tanto certius ipse in vero opere suo glorificetur. Vt ergo medicus corporis qui ægrotum vult sanare, videt cõuenire sectionem, vstionem, aut amarissimum potum, eis vtitur, vt locus sit remedio: Sic Deus cum homines diuinæ legis malleo non cedunt, adhibet crucem, morbos, carcerem, exilium, vt isto modo corda duriora frangantur, atque adhibito remedio sanentur. Sic cor Manasse, quod malleo legis adhibito ab Esaia & aliis non cessit, tandem igne & ferro exilii & carceris fractum & emollitum, sanatum est. Exempla sæpissime occurrunt hominum, qui cum nullis verbis diutissime flecti poterant, nullo legis malleo frangi, tandem rapti ad supplicia pro suis facinoribus cedunt cruci, & malleo legis fracti resipiscunt, sanantur, agunt gratias medico, qui igni & ferro id tandem perfecerit, quod ipsius ministri malleo legis efficere non poterant.

Hypocritæ hominum genus durissimum sua iustitia quam fingunt se habere, quum sint omnium sceleratissimi, inflati, vix apti & idonei reddi possunt ad salutare remedium recipiendum. Putant enim se non solum sanos esse, verum etiam ita abundare meritis, vt alios communicata sua iustitia sanare possint. De his loquitur Dominus cum ait *Ioan*.3. Qui male agit odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius, quia mala sunt. Hinc est quod Dominus de Hypocritis agens *Matth*.21. ait: Meretrices & publicani præcedent vos in regnum cœlorũ. Cuius ratio hæc vnica est, quod meretrices & publicani multi percussi malleo legis conteruntur, molliores efficiuntur, agnoscunt enim se reos esse, agnoscunt iustam iram Dei, ex quo fit vt trepident ad vocem legis metuentes abiectionem. Atque hac ratione efficiuntur idonei quibus remedium salutare adhiberi debeat. Contra vero hypocritæ se sanctos esse gloriantur: tantum abest vt agnoscant morbum suum, & remedium expetant. Nota est historia Simonis & peccatricis *Luc*.7. Simon honestus ciuis & humanus, sed hypocrita fuit, ægre ferens quod Christus pateretur mulierem peccatricem se accedere & attingere, osculari pedes, lauare eos lachrymis, & abstergere

capillis

capillis. Putat enim illam vt indignam reiiciendam esse a tanti Prophetæ conspectu. Verum mulier illa peccatrix agnoscit suam miseriam, metuit iram Dei & abiectionem. Sed audita fama de Christo, videlicet, quod omnes ad se peccatores vocaret, offerret remedium aduersus peccata: venit & ipsa ad Christum. Quam Dominus exaudit & sanat: illa autem sanata audit hanc absolutionem dulcissimam: Filia, fides tua te saluam fecit. Contra vero Hypocritæ, quia se sanctos fingunt, non afficiuntur pœnitudine suorum delictorum quæ nulla agnoscunt, quare nec sanari possunt, nisi admodum pauci. In quorum numero fuit Nicodemus *Ioan.*3. Is enim conuictus doctrina & miraculis Christi, cessit Christo doctori, & mundus ministerio legis factus sanatur a Christo. Verum innumerabiles alij fuerunt in isto populo Hypocritæ, quos Christus a sua hypocrisi, nec doctrina, nec obiurgatione, nec minis reuocare potuit. Sed illi magis offensi doctrina, admonitionibus & minis Christi, insurgunt aduersus ipsum, illumque persequebantur vsque ad mortem. Sed inquies:

Christus potuisset vt Deus eos flectere, cur ergo hoc non fecit?

Respondeo cum Augustino. A potentia Dei nullus neque ad bonum neque ad malum inuitus cogitur. Cum Augustino etiam sentit Nazianzenus qui ait: ὁ γὰρ θεὸς οὐκ ἄκοντα σώσει Cία. Mouet quidem omnes Deus suo sancto spiritu, cum audiunt Euangelium. Sed possunt homines contumaciter se opponere spiritui Sancto. Quemadmodum Stephanus suis contribulibus obiicit, *Acto.*7.

Cæterum vt rem vniuersam in summam redigam, nemo potest sanari a conscientia peccati sui, nisi hæc quatuor in illo præcesserint. 1. Notitia legis diuinæ, in quo tanquam in tabula proponitur quid homo facere, quidque declinare debeat. 2. Notitia sententiæ iudiciariæ legi addita, videlicet quod maledictio & mors denuntietur omnibus qui vel in minimo legem Dei violant. 3. Iustum examen conscientiæ ad normam legis, vnde venitur in cognitionem iræ Dei, & meritæ mortis æternæ. 4. Hoc examen excipit dolor in corde ingens & metus abiectionis. In hunc modum præparatus publicanus Euangelicus *Luc* 18. orabat. Sic etiam alij omnes præparari debent. Nemo e-

nim remedium petit, nec eius præstantiam agnoscit, nisi qui grauitatem morbi sui ita intelligit, vt nisi medicina adhibeatur mature, actum sit de vita & salute sua.

Quæ hactenus dixi de pręparatione, vna voce contritionis seu compunctionis notari solent. Cuius illustre exemplum habetur. *Act.2.* vbi eo plane modo Petrus deducit suos Iudæos in agnitionem sui morbi, vt a nobis modo ostensum est.

De remedio.

Cum homo ita fuerit præparatus malleo legis contusus, & quasi euomuerit omnes propriæ iustitiæ & dignitatis sordes, tempestiue illi remedium proponitur: siquidem nunc demum capax cor eius factum est salutaris remedij. Est autem salutare remedium vnicum, quod est Iesus Christus. Estque homini iam præparato ad medicinam spiritualem recipiendam diligenter explicandum qua ratione Christus sit & medicus & medicina, idque in hanc sententiam.

Cum lapsus est Adam volens, & non coactus, nos in illo lapsi sumus, & facti rei maledictionis & mortis geminæ, corporis videlicet & animæ, idque propterea quod nos Adami veluti membra sumus, quemadmodum supra dictum est. Deus autem ex immensa sua bonitate edidit promissionem seminis, id est, hominis nascituri: qui quemadmodum Adam omnes secum cõiecit in puteum peccati, maledictionis & mortis: ita ipse homines lapsos medicinam non recusantes eriperet e puteo peccati, liberaret a morte, & vindicaret a maledictione, donata æterna benedictione. Hoc enim congruebat iustitiæ Dei, vt quemadmodum per vnum hominem introiuit peccatum, maledictio, & mors: ita per vnũ hominem fieret iusta compensatio pro offensa Dei, atque ita homo liberaretur a peccato, maledictione & morte.

Verbum promissionis hoc fuit, absque omni dubio voce τῶ λόγῳ per quem mundus factus est, prolatum: *Semen mulieris conteret caput serpentis.* Hoc verbum postea repetitum est ad Abrahamum diuersis quidem verbis, sed eodem plane sensu, *Benedicentur in semine tuo omnes cognationes terræ, seu omnes gentes.* Quod autem in prima promissione dicitur semen mulieris, hoc in promissione repetita dicitur semen

Abraha-

Abrahami, hoc est, vtri. Vtrumque hoc est mulieris & Abrahami semen ex vno Adam est, ex quo factum est quod Christus sępe in Euangelica historia, se filium hominis hoc est, Adæ nominet: vt ostendat se vere nobis esse ὁμοούσιος hoc est, esse verum hominem, perinde atque nos sumus: vt qui ab eadem origine pendemus. Neque hic vlla ἀντιλογία est, quod idem dicatur semen mulieris & semen viri. Nam si originem remotam spectas Christus est semen, id est filius viri, quemadmodum & nos sumus: idcirco & nobis ὁμούσιος dicitur. At si originem proximam attendis semen mulieris dicitur & non viri. Est enim conceptus de spiritu sancto absque virili semine. Atque hoc vult prima promissio in qua vocatur semen mulieris: quæ promissio clarius proponitur a propheta *Esaia cap. 7.* hisce verbis: *Ecce virgo concipiet, &* (scilicet virgo) *pariet filium & vocabit nomen eius Emanuel.*

Porro regnum serpentis destruendum a semine mulieris iuxta promissionem, est regnum Diaboli fraude partum, quod vt mendacio & homicidio acquiritur & propagatur: ita peccato, maledictione & morte continetur. Huic ex aduerso opponitur regnum seminis mulieris, id est, Christi qui venit vt destruat opera Diaboli. Hoc Christi regnum iuste partum, vt verbo veritatis & Spiritu sancto acquiritur & propagatur: ita iusticia benedictione & vita continetur æterna.

Sed quomodo, inquies, *potuit vnus homo tam potens regnum Diaboli destruere, cum vel vnus Diabolus totum humanum genus potentia facile superet?*

Fateor hoc longe verissimum esse, & addo quod nulla potentia creata nec peccatum delere, nec maledictionem tollere, nec mortem abolere possit: tantum abest vt restituat nos in pristinum statum in quo iusti fœlices & immortales simus. Vtrunque enim beneficium continetur in prima promissione facta Adamo post lapsum. Quapropter necesse fuit vt is qui erat destructurus regnum Diaboli, aliqua singulari virtute præcelleret, qua creaturarum aliarum conditione superior esset.

Quomodo ergo hoc factum est?

Sapientia Dei hic consilium inuenit. Vt enim in creatione hominis tres illæ diuinitatis personæ: Pater &

Λόγος, & Spiritus sanctus quasi deliberantes inter sese introducuntur, non quod deliberent more hominum, sed vt nos in tanti operis admirationem adducant: ita in redemptione hominis seu noua creatione eos fecisse cogitemus, vt ex *Psalm.* 2. apparet. Deus itaque cum sit ipsa iustitia noluit aliquid iniuste per potentiam facere: hoc enim fuisset Tyrannicum. Cum sit ipsa bonitas seu misericordia, noluit miserum hominem prorsus abiicere, vt erat meritus. Cum sit ipsa sapientia non solum finem operis sui prospexit, verumetiam modum optime nouit, quo hominem lapsum repararet, vt ipsius maiestas, quæ sita est in summis gradibus potentiæ iustitiæ, bonitatis seu misericordiæ, & sapientiæ, illustraretur. Hic ergo Deus potens, iustus, bonus, & sapiens, qui promisit reparationem hominis per hominē solus inuenit modum quomodo hoc per hominem fieret. Quandoquidem ergo homo debuit & non potuit: factus est Deus homo, vt idem esset & Deus & homo. Potuit proinde quia Deus, debuit quia homo, qui personam totius generis humani in se suscepit. Hæc sapientia Dei nec ab angelis nec ab hominibus vnquam exhauriri potest. Hoc vult Ioannes cum ait: Et λόγος caro factus est, id est: Filius Dei factus est homo. Et Angelus ad Mariam *Luc* 1. Ecce concipies in vtero, & paries filium. Et paulo post modum conceptionis exponit, dicens: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: ideoque & quod nascetur Sanctum vocabitur, Filius Dei. Et Saluator ipse ait: Sic Deus dilexit mundum vt filium suum vnigenitum daret, scilicet vt homo factus destrueret regnum Diaboli. Et memorabile est dictum Magni Athanasij: Ea, inquit, ratione Filius Dei homo factus est, vt nos filij hominis, hoc est, Adæ, filij Dei efficeremur. Factus est igitur Filius Dei homo, vt vna eademque persona Deus verus & homo verus esset: Idque alio modo fieri non potuit, nisi salua veritate vtriusque naturæ, diuinæ videlicet & humanæ, & saluis earum naturalibus & essentialibus proprietatibus, sine quibus naturæ omnino saluæ & integræ manere non possunt. Vnde (inquit Vigilius) Christus & verus Deus & verus homo, nisi per veritatem vtriusque naturæ? Habemus qualis sit noster medicus, nempe verus Deus & verus homo, vna persona, vnus Christus.

Nunc

Nunc videamus qualem medicinam vulneribus conſcientiæ noſtræ ſanandis adhibeat, quomodo regnum Diaboli deſtruat, id eſt, quomodo peccatum, maledictionem & mortem aboleat, quomodo nos Patri reconciliet, quomodo que iuſtitiam, ſanctitatẽ, benedictionem adeoque plenam redemptionem conferat. Hæc enim ſunt ſumma beneficia Meſſiæ, medici animarum noſtrarum.

Præclara eſt ſententia Pauli qua omnia hæc Chriſti beneficia ſummatim complectitur 2. *Cor.* 5. Eum qui non nouit peccatum, fecit peccatum: vt nos fieremus iuſtitia Dei in ipſo. Hoc eſt, Chriſtus qui mundus erat & purus ab omni peccato (niſi enim ille fuiſſet a peccato immunis, non potuiſſet alios a peccato mundare. Quomodo enim manus ſordida alteram purgabit a ſordibus?) factus eſt a Patre peccatum: cum quia imputatus eſt illi reatus noſtri peccati: tum quia factus eſt ſacrificium pro peccato noſtro expiando. Sacrificium enim Chriſti ſufficiens λύτρον eſt pro peccatis totius mundi, iuxta illud: Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi. Item. 1. *Ioh.* 2. Ipſe eſt ἱλασμὸς pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantum, ſed pro totius mundi. Et ad Hebræos 10. Vna oblatione conſummauit in perpetuum ſanctificandos. Item 1. *Timoth.* 2. Dedit ſeipſum ἀντίλυτρον pro peccatis totius mundi.

Addit Paulus: Vt nos fieremus iuſtitia Dei in ipſo, id eſt, vere iuſti, iuſtitia Chriſti nobis imputata. Vt enim morte ſua expiauit peccatum, ita iuſtitia ſua nobis imputata nos iuſtos fecit, vt iam appareamus non peccatores, ſed iuſti in conſpectu Dei, non noſtra, ſed Chriſti iuſtitia. Hoc modo purgati a peccatis, reconciliati Deo, & iuſti effecti liberamur a maledictione legis, donamur benedictione & vita æterna. Quod cum fit, deſtruitur in nobis regnum ſerpentis, erigitur regnum Chriſti, gloria ſapientiæ, iuſtitiæ, bonitatis & potentiæ Deo tribuitur.

Habemus breuiter quomodo Chriſtus ſit & medicus & medicina animarum noſtrarum.

Nunc de applicatione dicemus.

De applicatione.

Vſitate dicitur & recte modo dextre intelligatur. Ap-

plicationem huius salutaris medicinæ, fieri tribus: videlicet, Verbo, Fide, & Sacramento. Verbo enim offertur, Fide recipitur, sacramento salutaris animæ medicina confirmatur. In his & cum his intus arcano modo agit Spiritus sanctus, qui nunquam a ministerio Euangelii excludendus est: sine quo reliqua omnia plane otiosa sunt, & inefficacia. De his ergo quatuor pauca ascribemus, quo animi nostri magis confirmentur.

In verbo Euangelii quo medicina animæ offertur spectentur: Mandatum, Promissio, Amplitudo, Authoritas.

Mandatum Patris est vt audiamus Filium, iuxta illud: *Math*.17. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi cõplacui, hunc audite, Mandatũ Filii est, *Matth*.28. vt Apostoli eant per vniuersum orbem, & verbum Euangelii annuncient. Hoc mandatum Patris & Filii non solum nos de voluntate Patris qui misit Filium, & voluntate Filii passi pro nobis certificat: verumetiam contumaciæ detestandæ arguit omnes qui hoc mandatum contemnunt.

Promissio quæ verbo Euangelii offertur omnibus pœnitentibus id est cõuertentibus se ad Deũ per fidem in Iesum Christum est liberationis a peccato, maledictione legis, & morte æterna, & donationis remissionis peccatorũ, iustitię, & vitæ æternæ. Quæ bona cũ sunt amplissima, intolerabilis ingratitudo eorum est qui hæc bona contemnunt, quod tamen audacter faciunt præ aliis Hypocritæ & Epicurei.

Amplitudo est quod hoc verbum non destinetur vni & alteri nationi, sed vniuerso terrarum orbi, hoc est, omnibus in mundo hominibus. Ita enim habet mandatum Christi diserte: Prædicate Euangelium omni creaturæ. Omnis creaturæ nomine intelligitur vniuersitas omniũ hominũ, cuiuscunq; fuerint cõditionis. Est enim Deus, vt Paulus loquitur diues in omnes. Nec vllũ a sua gratia excludit, modo oblatã ipse non recusauerit. Quod qui facit sua culpa & iuste perit.

Authoritas sequitur. Etsi autem authoritas verbi in mandato Patris & Filii continetur: tamen ne quis verbum contemnat propter eius ministros, qui, vt nos, homines sunt infirmi & peccatores: Christus Dominus huic errori occurrit *Matth*. 10. dicens: Qui vos audit, me audit: Qui vos spernit, me spernit. Quicunque igitur vel verbum contemnit, vel inefficax esse existimat, vel minus reue-

renter audit propter ministrum quo vtitur Dominus: is & Patrem & Filium contemnit. Quod non impune est facturus. Similiter cum hac muniti sunt authoritate ministri Euangelii, admonentur ipsi sinceritatis, grauitatis, & constantiæ, cum in doctrina, tum in moribus, ne verbum Dei propter ipsos male audiat.

Fides secundum locum occupat in applicatione spiritualis medicinæ animæ. Hæc fides cum sit firma notitia Euangelii, & fiducia promissæ misericordiæ in Christo appræhendit Christum totum, cum sua medicina, id est, cum merito mortis & passionis suæ.

Sacramentum sequitur duplex, videlicet, Imitationis, nempe Baptismus, & Confirmationis, Cœna Dominica. Vtroque & applicatur & confirmatur fides nostra. Quomodo autem id fiat, alibi copiosius explicatur.

Spiritus sanctus in his instrumentis efficax est, & intus obsignat quod verbo foris offertur, & fide cordis accipitur. Hic Spiritus arcano motu solis fidelibus cognito animos hominum de gratia certificat. Ideo 2. *Corinth.* 1. dicitur: Qui confirmat nos vobiscum in Christo, & qui vnxit nos Deus, & qui obsignauit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris. Ad *Rom.* 8. Accepistis spiritum adoptionis in quo clamamus Abba pater. Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Ad *Galat.* 4. Quoniã estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem Abba Pater. Hic queri possit: Si mittit Deus Spiritum Filii sui in nos quia sumus filii, videmur esse filij per fidem, antequã accipiamus Spiritum sanctũ, & adoptio videtur precedere donationẽ Spiritus: quod etiã dicto Pauli videtur cõfirmari ad *Gal.* 3. Vt pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem.

Quomodo ergo stabit quod constanter docetur in Ecclesia, quod fides sit opus Spiritus sancti?

Hic nulla prorsus ἀντιλογία est modo distinguas inter causam & effectum, seu inter duplicem actum Spiritus videlicet, primum & secundum. *Primus* actus Spiritus est quod in verbo est efficax, & in assentientibus verbo operatur fidem, qua appræhenditur Christus. *Ioan.* 6. Hoc est opus Dei, vt credatis in eum. *Secundus* actus Spiritus est

persuasio adeptæ adoptionis,& efficacia qua Spiritus sanctus in nobis est efficax ad obedientiam Deo præstandam. Hunc Spiritum seu Spiritus efficaciam fide accipimus iuxta dictum Pauli.

De Sanatione.

Sanitas conscientiæ hominis est ipsa gratuita iustificatio & sanctificatio, quam tandem excipiet plena redemptio. Vt iustificatio opponitur reatui:ita sanctificatio medetur corruptioni.Iustificatio fit subito & perfecte: mox enim quando credimus Euangelio, iustificamur fide,hoc est,imputatur nobis credentibus iustitia Christi, qua plene iusti sumus coram Deo. Sanctificatio duplex est,videlicet,passiua,& actiua. Passiuam habemus a Christo,iustitiæ imputatæ comitem.Hac segregamur a prophanitate mundi, & ascribimur societati sanctorum. *Actiua* est efficax in nobis, quæ constat mortificatione carnis,& viuificatione spiritus. Hæc adeo cum priori coniuncta est, vt simul sint tempore. Etsi illa natura prior est & perfecta, hæc habet sua incrementa, & absoluetur tandem in futura vita per plenam redemptionem in Christo Iesu, quæ est totius hominis perfecta sanatio. Quam autem hæc actiua sanctificatio sit necessaria docet Paulus ad *Rom.* 8. Iustificatio,inquit, legis impletur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. Item, Si secundum carnem vixeritis, moriemini,si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei. Etsi autem hæc sanctificatio non est causa adoptionis, aut iustificationis, tamen eius est infallibile indicium. Nam vbicunque vera fides est qua iustificamur, ibi necesse est esse Spiritum sanctum authorem fidei,qui non poterit esse otiosus.

Porro de hac sanitate notetur pulcerrimus aphorismus Pauli qui est *1.Cor.* 1. Christus est nobis natus a Deo sapientia,& iustitia,& sanctificatio,& redemptio:vt, quemadmodum scriptum est,qui gloriatur,in Domino glorietur.

De sanitatis adeptæ conseruatione.

Vulgo & recte iactatur versiculus:

Non minor est virtus,quam quærere, parta tueri.

Magnum

Magnum thesaurum adeptus est, quisquis credit. Quare summa cura cauere oportet, ne eũ sua culpa amittat. Quod vt non fiat, ante omnia vitanda est ingratitudo. Nam ingratis auferre suam gratiam Deus solet, qua ablata rursus incidit homo in puteum peccati, vnde per gratiam emersit. Vt cum Sol suam lucem subtrahit, mox succedunt tenebræ. Adeptus igitur sanitatem gratus sit Deo qui se sanauit: idque mente, corde, voce, ac tota vita. Mente recte de Deo sentiens: Corde viua fiducia in illum recumbens: Voce ipsum prædicans, aliosque suo exemplo ad Deũ celebrãdum inuitans: Ac tota vita, priuatim & publice, honeste, iuste, & pie viuens, summa cura vitet peccandi occasiones. Breuiter. In vero timore Dei se contineat, qui timor Dei & custos est bonæ conscientiæ, & gubernator optimus totius vitæ.

Tentationum tempestas secundum vt proposuimus genus malorum est cui nos mortales, præsertim pii & fideles in hoc mundo expositi sumus. Vt enim Adam in Paradiso collocatus, & ornatus imagine Dei, fœlix erat donec ipsum Satan seduxit: ita & nos reparata in nobis quodammodo imagine Dei iusti Christi iustitia, donati Spiritu sancto, fœlices sumus donec in hoc statu perstiterimus. Verum idem qui primos nostros parentes seduxit, conatur & nos seducere: nihil non agit, vt nos rursum in peccati cœnum vnde emersimus impellat. Idque tentationibus variis facit, quibus non aliter impelluntur huc illuc miseri homines, quam cimba in mari, quæ ventis & procellis huc illuc impellitur. Quare Dominus mandat suis discipulis & vigilent & orent, ne intrent in tentationem. Et inter precandum iubet nos dicere: *Ne nos inducas in tentationem sed libera nos a malo.* Quasi diceret; Malus ille aduersarius vester nunquam non vobis insidiatur, vt vos per tentationes varias ad defectionem a Deo impellat. Idque facit nunc per doctrinæ abnegationem aut corruptionem, nunc per morum peruersitatem, nunc per scandala infinita. Hic ergo labor, hoc opus est, ne vel in minimo admittamus aduersarium, qui nunquam non circuit, quærens quem deuoret. Quotiescumque igitur aliquid suggerit nobis malignus ille Spiritus, cõfugiamus ad ardentem inuocationem, qua sola repellitur. Maneamus in simplicitate doctrinæ,

Omnia noua dogmata suspecta habeamus. Retineamus articulos fidei, vt eos intellexerũt sancti hucusq; in Ecclesia. Tueamur innocentiam morum. Non frangamur scandalis vllis, memores dicti Domini: Qui perseuerabit vsque ad finem, hic saluus erit. Faciamus officia vocationis in timore Dei. Feramus mutuam infirmitatem, alii aliorum onera portantes. Atque ita futurum est vt Diabolus repulsus salutem quam adepti sumus in Christo non euertat. Vide quę supra annotauimus in II. Psalmũ, de probatione Sanctorũ.

Desperatio seu metus abiectionis tertium genus malorũ spiritualium est, cui medicus noster Christus medetur eodem plane modo quo nos sanat. Est enim sanationis nostræ effectus a metu abiectionis securitas, non carnis sed spiritus in Christo Iesu.

Verum quia hæc desperatio sæpius venit ex cogitatione indignitatis nostræ, & particularitatis de remediis aduersus eam iam dicam in explicatione sequentis circumstantiæ.

Quarta circumstantia. Cui?

Hoc est, Cuinam salus destinatur, omnibus ne an paucis? De hac circũstantia dicendum est, propter duas grauissimas tentationes, quarum vna oritur ex indignitate nostra, altera ex somnio particularitatis. Quomodo autem vtrique occurrendum sit, paucis indicabo.

Quando indignitas tua ad desperationem te sollicitat, agnoscere vero corde indignitatem tuam maximam esse, agnosce te indignum esse gratia, qui sępius relapsus in priora scelera Deum offenderis. Sed huic tentationi in vera pœnitentia opponito misericordiã Dei, quæ maior est omniũ hominum miseria: opponito gratiam quæ superat peccatũ: opponito Christi dignitatem, quæ tua credentis indignitatẽ obsorbet: opponito λύτρον pro peccatis solutũ, quod omniũ peccatorum totius mundi sufficiens est compensatio.

Particularitati Stoicæ constanter opponito gratiam vniuersalem, de qua Paulus diserte ait: Deus vult omnes homines saluos fieri. Item Petrus ait 2. *Pet.* 3. Deus est longanimis erga vos nolens vllos perire, sed omnes ad pœnitentiam recipere. De hac ergo gratia vniuersali non iudicandum est ex euentu (quod Stoici faciunt) qui pendet ex hominum culpa, sed ex voluntate Dei reuelata in verbo quæ confir-

matur quatuor potentissimis argumentis, quæ sunt: Mandatum Dei vniuersale, Promissio vniuersalis, Λύτρον vniuersale & Signaculum Dei vniuersale. De quibus alias copiosius.

Quinta circumstantia. Per quem?

Hæc circumstantia commendat nobis ministerium Euangelii, & vult vt audiamus ministros Euangelii, tanquam salutis nostræ cooperatores. Qui enim vult nos saluos fieri Deus, vult etiam media salutis, id est, vult nos venire in cognitionem veritatis per verbum. Huc pertinet dictum Pauli 1. *Timot.* 4. Attende tibi ipsi & doctrinæ, persiste in his: hoc enim si feceris, & teipsum saluum facies, & eos qui te audiunt. Cogitent ergo non solum ministri Euangelii quanta sit dignitas sui officii, quibus Filius Dei communicat suum nomen: (sunt enim suo modo saluatores eorum qui se audiunt.) Verum etiam auditores ipsi, quo in loco habendi sint sinceri præcones Euangelii, quorum ministerio erudiuntur ad salutem.

Sexta circumstantia. Quando?

Cum conuerterit Iehouah captiuitatem populi sui. Captiuitas est duplex: Spiritualis & corporalis in hac vita: post resurrectionem autem impiorum quidem captiuitas erit perpetua piorum vero soluetur. Plene enim liberabuntur tunc a captiuitate spirituali in hac vita, a seruitute tristissima peccati liberamur per Christum fide appræhensum. Sic enim ait Dominus *Iohann.* 8. Si Filius vos liberauerit, vere liberi eritis. Captiuitas corporalis duplex est: Vna cum ab hostibus abducti miseram seruitutem patimur, vt Iudæi abducti in captiuitatem Babylonicam. Altera cum in paterno solo quasi captiui tenemur variis oneribus grauati, vt visum est potentioribus. Ab hac captiuitate Iehouah liberat nunc hoc nunc illo modo, prout ipsius sapientiæ expedire videtur, vt supra a nobis expositum est. Plenissima liberatio futura est in extremo die, quando Dominus veniet & assumet in cœlum secum omnes qui hic suo nomine duriora sunt passi, hostibus Christi & Ecclesiæ in perpetuam captiuitatem abductis.

Septima circumstantia. Quis fructus?

Exultabit Iacob & lætabitur Israel. Ecclesia Dei vocatur & Iacob & Israel ab vno & eodē patriarcha cuius propriū no-

mẽ erat Iacob, qui Iſrael poſtea cognominatus eſt. Vocatur autem Eccleſia Iacob quidem quia vilis reputatur a mundo, & a ſynagoga impiorum & hypocritarum contemnitur: Iſrael vero propter glorioſam victoriam quam tandem obtinebit, vnde & gaudebit & exultabit in omnem æternitatem.

Vſus Pſalmi Decimi Quarti.

Quoties hunc Pſalmum legimus, veniet nobis in mentem primi hominis lapſus, quem excepit ruina totius generis humani, admiremur ac prædicemus miſericordiam Dei, qui poſt lapſum edidit promiſſionis verbum: quod qui fide appræhendunt, ſegregantur a cœtu eorum qui contumaciter ſe Deo opponunt. Adiungamus nos cœtui piorum. Deum veris cultibus colamus. Et quia fieri aliud non poteſt, quam vt pii crucem ferant in hoc mundo, feramus crucem infracto animo. Subiiciamus nos per patientiam voluntati Dei, ac ſapientiſſime ipſius prouidentiæ: fide expectantes plenam liberationem per liberatorem & ſaluatorem noſtrum vnicum Ieſum Chriſtum, cui honor & gloria in omnem æternitatem. Amen.

PSAL-

PSALMVS DECIMVS QVINTVS.

Summa Psalmi Decimi quinti.

Descriptionem hominis pij, qui & in hac vita iure in Ecclesia Dei locum habet, & in futura cum Deo perpetuo habitabit, hic Psalmus continet. Agit enim de copulatiua obedientia, quam Deus a suis requirit. Huius Psalmi summam Michæas cap. 6. his ce vebis expressit. Quid, inquit, Dominus requirit a te? vtique facere iudiciū & diligere misericordiam, & sollicite ambulare corā Deo tuo. Et Paulus 1. Tim. 1. Summa percepti est dilectio ex corde puro, conscientia bona, & fide non ficta. Hæc doctrina sæpissime aliis atque aliis verbis in Psalmis & alibi repetitur quæ veri cultus Dei regulam præscribit. Habet autem hic Psalmus vim exhortationis, quasi diceret: Cum is solus sit futurus hæres vitæ æternæ, qui pie in hoc mundo viuit: demus operam pietati, viuamusque integre coram Deo & cū hominibus. Pertinet autem hic Psalmus ad tertiam partem pœnitentiæ.

Ordo & dispositio Psalmi Decimi quinti.

Quatuor sunt partes huius Psalmi, quarum prima est Dauidis interrogatio, reliquæ responsum Domini continent.

Prima continetur 1. versu. Interrogat Dauid Dominum, quisnam iure locum occupet in tentorio Dei, & in monte sancto eius, hoc est, quisnam in hoc mundo iure locum obtineat in Ecclesia Dei, & in futura vita perpetuo cum Deo sit habitaturus.

Secunda quæ 2. versu absoluitur, est affirmatiua descriptio hominis iure obtinentis locum in Ecclesia Dei. Describit enim qualis coram Deo, in se & erga alios esse debeat.

Tertia pars continetur versibus 3. & 4. & dimidio 5. & est descriptio negatiua hominis pii, quæ descriptio ad secundam tabulam pertinet.

Quarta postremi versus posterior pars, est promissio perpetuæ & æternæ vitæ cum Deo. Deus enim omnibus iis qui iuxta normam quam præscribit viuunt, promittit æternam vitam. Qui facit, inquit, hæc: non mouebitur in æternum.

Est proinde hic Psalmus, si materiam spectes, generis Didascalici: at si finem & vsum consideres, Parænetici. Proponit enim Dauid hunc Psalmum, vt sit veluti calcar ad bene pieque formandam vitam.

EXE-

EXEGESIS PSALMI DECIMI QVINTI CVM INDICATIONE doctrinarum.

PRIMA PARS.

I. *IEhouah, quis peregrinabitur in tabernaculo tuo? quis habitabit in mõte sancto tuo?*

DAuid descripturus vitam hominis pii, Dialogũ instituit, in quo duo sunt collocutores, videlicet, Dauid ab vna parte, DEVS autem ab altera. Idque ideo facit, vt maius sit orationis pondus, & magis auditorum animos ad obedientiã flectat. Plus enim homo mouetur quando Deum sibi loquentem cogitat, quam si hominem summæ authoritatis audiret. Nam & authoritas loquentis maior est, & grauitas orationis augustior. Recte enim a quodam Patrum dicitur: Sola demonstratio rerum sufficit, quando probatio in authoritate dicentis posita est. Quicunque ergo hoc Domini responsum vel deprauare, vel corrigere ausus fuerit, is Deum non sine suo magno malo tentare putandus est. Nos proinde hoc Dei responsum tanquam ipsissimam Dei veritatem amplectamur. Interrogatur autem a Dauide Deus, in hunc modum:

Iehouah quis peregrinabitur in tabernaculo tuo, & quis non? Quasi diceret: Cum fœlix sit omnis qui tecum moratur, qui summe bonus es, & infœlix qui a te excluditur, vt qui cum Diabolo coniunctus est: dic quæso, quisnam iure tecum habitauerit?

Per tabernaculum Dei, & per montem sanctum eius significatur Ecclesia, extra quam Diabolus regnat in filiis contumaciæ. Esse ergo extra Ecclesiam est sub Diabolo esse, ab eo regi, & eius opera facere, quorum finis est sempiterna miseria. Hinc intelligitur, quantum decus sit & quanta gloria, habere locum in Ecclesia Dei, hoc est, in Dei familia, quæ re-

gitur a Deo, defenditur & saluatur.

Vtitur autem hic Dauid duobus vocabulis ad vnam Ecclesiam designandam, propter duplicem eius statum. Israel enim peregrinatus in tabernaculis siue tentoriis, typus fuit Ecclesiæ militantis & peregrinantis in hac vita: contra vero Israel habitans in monte sancto Dei, id est, in terra promissa, typus est Ecclesiæ triumphantis & secure habitantis in cœlesti Hierusalem. Vt ergo Israel non peruenit ad montem sanctum Dei, seu ad terram promissam priusquam peregrinatus est multis annis, & habitauit in tentoriis varia expertus pericula: ita nec ingrediemur nos in requiem nobis promissam in cœlo, nisi prius in Ecclesia peregrinati fuerimus in hac vita. Et sicut multi ex Israelitis propter incredulitatem (dubitarunt enim se posse terram promissam occupare) prostrati sunt in deserto, & non venerunt in terram promissam: ita multi hodie peregrinantes in externo Ecclesiæ cœtu, propter incredulitatem suam a cœlesti Hierusalem excludentur. Hodie ergo cum vocem filii Dei audimus, ne obduremus corda nostra, sicut illi fecerunt. Vide *Hebr.* 3. & 4.

SECVNDA PARS.

2. *Qui ambulat integer & operatur iustitiam, & loquitur veritatem in corde suo.*

RESponsio Dei est, qua affirmatiue describitur is qui ius habet ciuitatis Dei, id est, qui iure locũ possidet in Ecclesia Dei in hac vita, & futuræ gloriæ erit particeps in cœlo.

Hic tenendum est in primis, quod Dominus hic non loquatur de causis propter quas ciues Ecclesiæ & domestici Dei, & hæredes vitæ æternæ efficimur, sed de notis seu indiciis eorum qui iam hæredes inscripti sunt vitæ æternæ. Vt enim sani hominis actiones non sunt sanitatis causæ, sed indicia: ita in iustificatione hominis charitas & bona opera, non sunt iustificationis causæ, sed iustificati hominis indicia. Nã postquam Adam exclusus est e Paradiso, omnes qui secundum communem nascendi legem nascimur, simul exclusi sumus de familia Dei, in quam nemo rursus intromittitur, nisi per vnum Iesum Christum qui propterea & via & ianua regni Dei, id est, Ecclesiæ dicitur, cum militantis in hac vita, cum

tum triumphantis in futura.

Deinde vt recte intelligatur, quisnam hoc loco a Domino integer seu perfectus dicatur, considerandus est hominis quadruplex status, videlicet, innocentiæ, peccati gratiæ, & gloriæ.

In statu innocentiæ hominis perfectio fuit imago Dei ad quã conditus erat homo, in qua relucebat clara notitia Dei, & omnium virium animi & corporis harmonia. εὐταξία & obedientia, eaq; absoluta cum partibus tum gradibus, qualem lex Dei requirit. Atq; ideo hæc perfectio Legalis dicitur.

Similis imo multo perfectior erit integritas seu perfectio hominis in statu gloriæ, qui expectatur resuscitatis mortuis. Dixi, perfectior multo: Primum quia in statu innocentiæ Adã potuit & peccare & mori: at in statu gloriæ nec peccare nec mori poterit. Deinde in statu innocentiæ Adamo similes fuissemus, at in statu gloriæ similes Christo erimus, qui multo quã Adamus perfectior est. Tũ in statu glorię vocabimus metu lapsus & insidiarum Diaboli. Postremo in statu gloriæ erit visio Dei perfecta, & fruitio in omnem æternitatem. Sed quid dico? cum nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec cor intelligit quæ præparauit Deus diligentibus ipsum.

Quoniam autem statu innocentię excidimus, & ad statũ glorię nondum peruenimus, nequaquam de integritate hominis legali, qualis fuit in innocentiæ statu, nec de statu futuræ gloriæ intelligendum est respõsum Domini hoc loco.

Porro in statu peccati, cum videlicet homo adhuc est sub peccato & legis maledictione, nulla plane est hominis perfectio: Nam ne inchoare quidem obedientiam erga Deum homo potest, nedum perficere. Totus enim homo ante regenerationem pollutus est, & mente & conscientia, & est ad omne opus bonum reprobus, Paulo teste.

Reliquus est ergo status gratiæ in quo homo integer seu perfectus dicitur, idq; duobus modis: Primum quidem per imputationem iustitiæ Christi perfectæ. Credenti enim imputatur Christi iustitia perfecta in salutem, iuxta dictum Pauli *Rom.* 10. Christus est perfectio seu finis legis in salutem omni credenti. Atque hæc perfectio iure dici potest Euangelica: nam Euangelium hanc cum remissione peccatorum offert omnibus pœnitentibus, hoc est conuertentibus

se ad Deum per fidem in Iesum Christum. Deinde vero propter nouam obedientiam dicitur homo perfectus, videlicet cum homo obedientiam erga Deum anteponit omnibus rebus mundi, seu cum homo retinens fidem & bonam conscientiam militat honestam militiam aduersus affectus peccatorum & Diabolum, seruitque Deo in iustitia & sanctitate vera. Atque hæc perfectio merito Christiana dicitur, est enim Christianorum propria. Etsi autem hanc obedientiam gradibus integram nemo præstare potest in hac vita, tamen partibus integram esse oportet.

Cæterum vt adhuc distinctius explicemus quæ de perfectione diximus, antithesin adornemus quam monstrat Græca vox, qua hic vtuntur Greci interpretes. Nam per negationem contrarii Hebraicam vocem reddunt. Græce enim est ἄμωμος, id est, immaculatus, carens repræhensione. Est ergo integer seu perfectus hoc loco qui non est maculatus, id est, qui in mente pollutus non est erronea doctrina de Deo, qui corde idololatrico cultu non est fœdatus, qui in vita sceleratis moribus non est deformatus. Sed qui mentē illustratam vera Dei noticia habet, qui cor purificatum fide, & conscientiam ablutam a sordibus peccatorum, quique nihil magis in votis habet, quam vt Deo totam vitam approbet, ambulans in lege Domini. In hanc enim sententiam *Psalm.* 119. definit integrum seu perfectum, seu immaculatum. Beati, inquit, immaculati in via, qui ambulabunt in lege Domini. Via est quæ ducit ad vitam lex Domini, quæ nostra via dicitur, cum in ea ambulamus, id est, cum vitam nostram ad ipsius componimus normam, id quod omnes vere credentes faciunt. Hi siquidem renati dicuntur in Christo, & Spiritu Dei aguntur, Spiritu carnis opera quotidie mortificant. Integritatis vocabulum seu perfectionis ostendit obedientiam Christianorum copulatiuam esse, ita vt nulla pars legis excludatur. Vide quæ annotauimus supra in 1. Psalmum.

Et operatur iustitiam.

Hic quærit Basilius, an idem sit ambulare immaculate, & operari iusticiam, cum qui immaculatus est operatur iustitiam, & qui operatur iustitiam, immaculate videatur ambulare? Respondet diuersa esse, & distingui vt causam & effectum, quoties scilicet simul ponuntur. Nam

alias

alias idem significatur vtraque oratione. Quando ergo simul ponuntur, immaculate ambulare ad animum, seu, vt Basilius loquitur, ad hominem qui in occulto est: operari autem iustitiam, ad externum actum qui incurrit in oculos, refertur. Quoniam alterum potest esse sine altero. Lazarus ambulauit integre, sed non operatus est iusticiam, defuerũt enim ipsi instrumenta. Pharisæus operatus est iustitiam humano iudicio, sed immaculate non ambulauit, caruit enim fide, fuit superbus hypocrita, & quod foris videbatur iuste agere, fuit abominabile coram Domino, qui de actionibus externis, non ex specie incurrenti in oculos, sed ex affectu cordis iudicat. Cornelius aulicus & ambulauit integre, *Act.* 18. quia cor fide purificatum habuit, & totam suam vitam Deo approbare studuit: & operatus est iustitiam, habuit enim instrumenta, quod sui muneris erat fidelissime præstitit, insuper etiam liberalis fuit erga pauperes. Hic ergo iuxta dictum *Deutero.6.* Iuste quod iustum est persequaris, vitam instituit.

Sic ergo statuendum est, duas esse partes inchoatæ iustitiæ piorum in hac vita (de imputata enim iustitia nihil hic dico, qua homines coram tribunali Dei consistunt) quarum vna interna est, altera externa: Vtraque nomen totius, id est iustitiæ obtinet.

Interna pars seu interna iustitia est congruentia affectuũ & voluntatis cum recta ratione. Est autem recta ratio, iudicio Ecclesiæ, quæ verbum Dei omnium honestarum actionum regulam vnicam statuit, eamque sequitur. Hæc iustitia interna nõ potest magis separari a fide viua, quam vis attrahendi ferrum a Magnete, & splendor a Sole. Hæc a Græcis vocatur σωφροσύνη, quam definiunt esse harmoniam trium virtutum, animę videlicet, rationalis, concupiscibilis, & irascibilis, quod quidẽ recte dicitur, modo harum virtutum regulam (vt diximus) verbum Dei statuerimus, & moderatorem Spiritum sanctum.

Externa iustitia est effectus internæ, & est actionum conformitas cum interna iustitia, seu cum recta ratione. Hæc magis conspicitur in iis hominibus, qui in luce constituti sunt, qui officia habẽt in Ecclesia, in Politia, in Oeconomia.

His addamus admonitionem Basilij, cur Psalmus vtatur participiis seu verbis præsentis temporis & non præteriti.

Huius rei rationem hanc esse dicit, vt significetur non vnã actionem sufficere, sed totum tempus vitæ requiri, ad iustæ actionis studium.

Et loquitur veritatem in corde suo. Hoc est: Non aliter loquitur ore, quam corde sentit. Est enim veritas congruentia sermonis cum re subiecta, hoc est, cum ex mente sermo fluit, vt ex fonte riuulus.

Commendatur ergo nobis hic diligentia in inquirenda & discenda veritate. Commendatur nobis studium veritatis in tradenda & accommodanda doctrina cœlesti, pro ratione officij cuiusque. Non enim sufficit verum docere, nisi quæ doces prudenter accommodes. Illud in Ecclesia bene cõstituta periculo caret: hoc semper cum periculo coniunctum est. Docere enim non licitum esse incestum committere, neminem offendit. Sed dicere Herodi: Tu Herodes incestum commitis cum vxore fratris tui, peperit Ioanni periculum, ita vt qui antea charus fuit Herodi, iam ab eodem incarceratus tandem & trucidatur. Hęc accommodatio doctrinæ nõ est minus necessaria, quam doctrina ipsa. De hac doctrinæ accommodatione pro ratione auditorũ loquitur Dominus *Ezechielis* 33. cum ait: Si me dicente ad impiũ: Impie, morte morieris: non fueris locutus, ei, vt se custodiat impius a via sua: ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinẽ autẽ eius de manu tua requirã. Quicunq; ergo vera quidẽ docet, sed non recte auditoribus doctrinã accõmodat, grauissime peccat, nã nec Deum nec proximũ diligit, hominẽ Deo anteponit, aciẽ in qua Deus ipsum collocauit deserit arma turpiter abiici, animo fugit, polluitur mente & conscientia. Breuiter Reprobus efficitur, & operarius iniquitatis pudendus censetur. Commendatur præterea nobis candor in tota vita, & conuersatione cum hominibus. Est enim lingua nobis diuinitus data, vt ea vtamur in gloriam Dei, & in mutuam ædificationem.

Atque ita habemus breuiter descriptum hominem, qui iure locum in societate sanctorum obtinet, cum in hac vita, tum in futura. Nemo seipsum fallat, Deus est qui loquitur. Veritas de veritate vera pronuntiat.

TERTIA PARS.

3. *Non detrahit lingua* | DEscriptio est negatiua cuius Ecclesiæ & su-

sua, nec facit proximo suo malum, & opprobrium non leuat contra proximum suum.

4. *Contemptus est in oculis eius reprobus, timentes autem Iehouah glorificat, iurat in malum & non mutat.*

5. *Pecuniam suam non dat ad vsuram, & munus contra innocentem non accipit.*

futuri hæredis vitæ æternæ. Vt enim supra affirmatiue qualis sit eius animus & conatus: ita hic negatiue potissimum iudicat a quibus abstineat, nempe ab omni iniuria proximi. Pertinet autem hæc descriptio ad secundam tabulam, & concluditur ex altero capite legis diuinæ, videlicet ex dilectione proximi. Accommodabimus proinde hanc descriptionem ad præcepta secundæ tabulæ, vt illustrior sit explicatio.

Non detrahit lingua sua. Hoc est: Is iure locũ occupat in societate sanctorum, qui non peruertit aut vitiat veritatem sermone suo. *Lingua* enim Metonymice pro sermone ponitur. In Hebræo videtur ipse Metaphora qua transfertur vocabulum a pede ad linguam, vt quemadmodum in lucta vnus alterius pedem seu crus insidiose inflectit, vt cadat: ita qui Sophistica veritatem inflectit in oratione, alterum in errorẽ præcipitat. Pius ergo homo nec flectat doctrinam ad affectus hominum, nec vlla Sophistica veritatem peruertat.

Græcus interpres alia Metaphora est vsus eadem manente sententia: Ita enim ait:

Ὃς οὐκ ἐδόλωσεν ἐν γλώσσῃ αὐτοῦ:

Hoc est: *Qui veritatem puram additamento alieno non vitiat.* Quicquid enim præstans & purum est, deteriori aliquo adiuncto δολοῦσθαι dicitur, id est, vitiari. Vt vinum bonum δολοῦται, id est, vitiatur, cum deterius vel aqua illi admiscetur: aurum δολοῦται si argentum aut cuprum illi admisceas: sic veritas in doctrina cœlesti, in artibus & colloquiis δολοῦται, cum Sophistica inficiatur oratio. Vt ergo hic omnia cum ἁμαρτήματα tum ἀδικήματα intemperantis linguæ, vt μωρολογία, πολυλαλία, κενολογία, φλυαρία, εὐτραπελία, φιλοκερτομία, ἀδολεσχία, διαβολή, &c. dãnantur: ita cõmendatur

taciturnitas tempeſtiua, veritas, ſermo non nigro ſed candido ſale conditus.

Ferunt duo eſſe præcipua ornamenta linguæ quæ ſunt χάρις & καίρος. χάρις facit vt vera, pia, & ſalutaria dicamus, omnia ſale, id eſt, gratia condita. καίρος facit vt non niſi tempeſtiue loquamur, iuxta dictum Iacobi: Omnis homo ſit tardus ad loquendum. Et Euripides inquit:

ἢ σιγᾶ, ἢ λέγε τὶ τῆς σιγῆς κρεῖττον,

Sint hi verſus Heſiodi Studioſius noti:

γλώσσης τοὶ θησαυρὸς ἐν ἀνθρώποισιν ἄριστος
φειδωλῆς, πλείστη δὲ χάρις κατὰ μέτρον ἰούσης. id eſt,

Parcus ſermo optimus hominibus eſt theſaurus & moderata ratio plurimum gratiæ habet. Contra vero nihil turpius effreni & petulanti lingua, iuxta Sophoclis dictum:

ἀχάλινον ἔχει γλῶσσαν, αἰσχίστην νόσον

Memores proinde ſimus dicti Domini apud Lucam *cap.* 6. Ex abundantia cordis os loquitur. Homo bonus de bono theſauro cordis profert bonum, & malus homo de malo theſauro cordis profert malum.

Nec malum facit proximo ſuo.

Pulcerrimo ordine procedit, videlicet a corde ad linguā, a lingua ad opus. De corde & lingua dictum eſt, nunc ſequitur de opere.

Nec malum facit proximo ſuo. hoc eſt, Ius ciuitatis Dei habet, qui non facit malum cuiquam, ſed potius ex charitatis lege omnibus benefacit, ex quo fit, vt nec maioribus debitam obedientiam & reuerentiam, nec æqualibus auxilium & conſilium, nec inferioribus cuſtodiam & diſciplinam, nec pauperibus miſericordiam & beneficentiam deneget. Quas virtutes ſub diſtributiua iuſtitia cōtineri manifeſtum eſt. Poſſumus etiam hęc recte accommodare ad Decalogum hoc modo.

Qui non facit proximo ſuo malum, nec famā ipſius lędit, quod eſt octaui pręcepti: nec corpori nocet, quod eſt quinti: nec coniugē polluit; quod eſt ſexti; nec res ipſius inuadit, quod eſt ſeptimi. Sed cōtra ex vero amore benefacit, tuetur ipſius famā, vitā, coniugē, facultates. Atq; ita Dominus hoc vno dicto totam ſecundā tabulam complectitur. Paulus ad *Rom.* 13. ſimili plane ratione officia ex charitate debita proximis colligit: Ita enim ait: Nemini quicquā debeatis, niſi v

inuicē diligatis. Qui enim diligit proximū legē impleuit. Nā nō adulterabis,nō occides,nō furaberis,nō falsum dices testimoniū,nō concupiſces:& ſi quod aliud eſt mandatum, hoc verbo ſummatim cōtinetur:Diliges proximū tuū ſicut teipſum. Dilectio proximi malum nō operatur.Plenitudo enim legis eſt dilectio. Proinde vt hic dānatur quæuis proximi læſio, vel in perſona propria,vel in cōiuncta perſona, vel in fama, vel in facultatib.:Ita cōmendatur nobis iuſtitia qua reddimus proximo quod illi ex lege dilectionis debetur.Quod qui non fecerit, nequaquam incola ciuitatis Dei iure habebitur: ſed potius mortuum Eccleſiæ membrum. Hęc ſerio cogitentur ab iis qui Eccleſię ciues cenſeri volūt, Meminerimus dicti Pauli ad *Gal.* 6. Nolite errare,Deus non irridetur: Quæcunque enim ſeminauerit homo hæc & metet.

Porro quiſnam noſter proximus habendus ſit, docet Chriſtus *Luc.* 10. videlicet quod omnis homo ſiue amicus ſiue inimicus fuerit, proximus noſter ſit agnoſcendus. Quare & omnibus hominibus benefacere nos oportet, ex lege dilectionis: ſed ſeruato diſcrimine graduū proximitatis,id quod Paulus vultcū ait.*Gal.6.* Bonū operemur erga omnes.maxime autē erga domeſticos fidei.Item 1.*Timoth.*3. Si quis ſuorum, & maxime domeſticorum curā non habet, fidem negauit,& eſt infideli deterior. Etſi ergo omnes homines ſent nobis proximi, & omnibus ex lege charitatis eſt benefaciēdū, tamē lex naturę & fides Chriſtiana gradus agnoſcit, iuxta quos beneficia etiā cōferēda ſunt proximis.

Et opprobrium non leuat contra proximum ſuum.

Hoc dictum & in Hebræo & Græco ambgiuum eſt.Nam poteſt & hic ſenſus eſſe: Si quis opprobrium infert alicui, hoc pius homo non accipit, ſed indigne fert vt improbe factum. Et hic poteſt eſſe ſenſus: Pius non infert alicui opprobrium, id eſt, non conuitiatur proximo ſuo, ſiue labenti in aliquod peccatum, ſiue incidenti in aliquam calamitatem & infortunium, aut quamuis aliam ob cauſam. Hæc hypotheſis quinto præcepto ſubiicitur, vt Chriſtus docet *Matth.* 5. cum prohibet dicere fratri Racha & Fatue, quod ex contēptu venit, ideoque,cum dilectione proximi ſtare nō poteſt.Huic opponitur συμπάθεια virtus Chriſtianis dignißima,Sūt enim mēbra vnius corporis,videlicet Eccle-

siæ cuius caput est Christus.

Verum his obiici potest factum Christi, qui dicit Petro: Vade post me Satana: Respondeo. Primum discernendum est inter repræhensionem & opprobrium. Reprehensio finē habet correctionem eius qui arguitur: Opprobrium autem confusionem. Præterea duplex inuenitur exprobratio: Vna proficiscitur ex odio & tēdit in proximi contēptū & cōfusionem: Hæc ex diametro cum charitate proximi pugnat, a qua pius alienus esse debet, de qua hic Psalmi locus intelligendus est. Altera fit ex officio, cuius finis est correctio & emendatio eius cui aliquid exprobratur. Talis est exprobatio Dei *Esa.1.* Talis & Christi *Math* 23. & alibi. Ex officio enim Scribas & Pharisæos corripuit, vt agnitis suis peccatis emendarentur. Huius exemplum licet superioribus, vt parentibus, ministris Euangelii, Pędagogis pręceptoribus, &c. imitari. Habet enim bonam causam, & tendit in bonum finem, donec charitatis lege gubernatur.

Contemptus est in oculis eius reprobus.

Vel vt Hieronymus habet:

Despicitur in oculis eius improbus, timentes autem Iehouah glorificat.

Quia in hac vita conuersandum est cum aliis hominibus: Et hominum alii sunt contumaces aduersus Deum & improbi: alii autem timent Deum, hic Dominus ostendit quo modo ciuis ciuitatis Dei se gerat erga vtrosque. Ac primū de improbis ait:

Despicitur in oculis eius improbus.

Hoc est: Is qui iure sibi locum vendicat in societate sanctorum, improbum despicit, vt abominabilem coram Domino, propter suam impietatem.

Quid hic dicemus, an non vniuersale mandatū est, vt diligamus omnes homines? an non manifeste repugnant contemptus & dilectio? Si ergo sunt diligendi omnes, certe nemo est contemnendus aut despiciendus. Et si aliquis est despiciendus seu contemnendus, profecto non omnes sunt diligendi?

Hic non valet refugium quorumdam, qui ex temporis circūstantia distinctionē mandatorū mutuātur, cū doctrina moralis sit eadem omnibus temporib. cū veteris populi tū

noui

noui. Eundem vterque populus habet legiſlatorem, eundem mediatorem, eandem fidem, eundem cultum. Eadem ergo ratio eſt moralis doctrinæ ſemper, cuius duo capita ſunt, videlicet, dilectio Dei, & dilectio proximi. Quare alia ſolutione opus erit, & plura ſcripturę teſtimonia cōferēda ſunt, vt ex eorum collatione, certam ſententiam concludamus.

Chriſtus, cuius ſpiritu dictante Dauid enunciat quæ hic habet Pſalmus, dicit de inemendabili homine *Matth*.18. Si Eccleſiā non audierit ſit tibi velut Ethnicus & Publicanus. Qui tamē alibi iubet vt diligamus inimicos noſtros, iiſque benefaciamus. Et Dauid ex Spiritu Chriſti loquens petit ſuos hoſtes, confundi & euerti. Et alicubi dicit: Perfecto odio oderam eos. Quid ergo hic faciendum?

Hoc omnium primum immotum ſtabit, quod hęc ęterna lex Dei ſit: Dilige proximum tuū ſicut teipſum, id eſt, habe curam commodorum proximi tui, perinde atque propriorum, idque ex vero amore. Dicta proinde iſta quæ adduximus, & iis ſimilia, quæ videntur pugnare cum ęterna lege Dei, ita accipienda & explicanda ſunt, ne legem Dei æternam euertant.

Hoc poſito fundamento ſciendū eſt, quod verba affectuū, ſæpe non pro affectibus ipſis, ſed pro actionibus & effectis, qualia ſolēt eſſe affectuū, idque Metonymice, poni ſolent.

Deus amat omnia ſua opera, & nihil odit eorū quæ fecit. Et tamen ſcriptum eſt: Odiſti operantes iniquitatem. Hic ſi verbum odiſſe pro affectu acceperis, manifeſta eſt repugnantia: at ſi pro actione ſeu effectu, minime repugnant. In Pſalmum quintum dixi de dicto Dauidis: Perfecto odio oderam eos, quomodo non repugnet cum æterna lege Dei de diligendo proximo. Odium enim perfectum eſt odiſſe vitia hominum, non naturam, non diligere vitia propter homines, ſed affici miſeria improborum, & ſitire illorum emendationem. Sic iubemur odiſſe parentes & amicos: Si quis inquit, venit ad me, & non odit patrem ſuum & matrem ſuam, & vxorem ſuam, atq; etiam animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Hic profecto non aboletur lex æterna, qua iubemur diligere parētes ſed vult nos odiſſe eorum vitia, & detrectare eorū imperiū, ſi iubent vt colamus idola, aut aliquid aliud quod eſt cōtra pietatē & honeſtatē, Cū Chriſtus dicit: Sit tibi velut ethni-

cus & Publicanus, non iubet vt non diligas sed vt eum fugias, ne contamineris ipsius exemplo. Sic & Paulus ex spiritu Christi loquens dicit: Subducite vos ab omni fratre inordinate ambulante. Ad eundem modum hoc Psalmi dictum. *Despicitur in oculis eius improbus*: explicandum est. Est ergo sententia huius dicti: Ciuis Ecclesiæ Dei fugit conuersationem improborum, ne ex eorum improbitate improbitatem contrahat: interim tamen si viderit eum egere, ex charitatis lege illum subleuabit: Non secus atque Samaritanus fouit eum, quem semimortuum in itinere deprehendit.

Timentes autem Iehouah glorificat seu honorat. Prius membrum qualis sit pius aduersus improbos: hoc qualis sit erga timentes Dominum ostendit. Vt enim illos quantumuis in mundo splendidos contemnit, & in nullo pretio habet: Ita hos etsi vilissimi corã mũdo habeantur, honorãdos iudicat.

Timentes autem Iehouah vocat omnes qui ex fide & bona conscientia Deum colunt, qui pie, iuste & sancte viuunt, qui faciunt opera vocationis in gloriam Dei, & in ædificationem Ecclesiæ.

Discamus vel ex hoc loco, quod timor Dei Synechdochicωs totum Dei cultum complectatur, vt etiam in nostra lingua *gudfryctig* vocamus pie relligiosum.

Porro hic duplex ratio glorificãdi seu honorãdi timentes Deũ obseruanda est: generalis vna, altera specialis.

Generalis est, qua omnes pios sine discrimine prosequimur, cuius causæ sunt plures.

Prima, Gloria adoptionis. Qui enim ex fide Deum timent, testimonium ferunt suę adoptioni, videlicet quod vere sunt filii Dei, idque in Christo cuius membra sunt. Etsi autẽ hæc adeptio gratuita est, tamen hæc dignitas in precio summo haberi debet, apud omnes pios, præsertim cũ Deus sibi factũ esse testatur, quicquid fecerimus iis qui ipsius sũt.

Secunda, Societas illa sanctissima, quam habent timentes Deum cum Patre, & filio & Spiritu sancto. Item cum omnibus sanctis, cum in cœlo, tum in terra. Hæc societas cum sit omnium pulcherrima, merito in honore habendi sunt, qui in hac locum obtinent.

Tertia. Vinculum fraternitatis tam nobile. Sunt enim omnes pii, fratres spirituales in Christo Iesu. Nam vt in illo (vt diximus) adoptati sumus in Filios Dei: ita

in

in eodem fratres ſumus, habentes vnum patrem Deum, & nobiliſſimam matrem ſponſam Chriſti, hoc eſt, Eccleſiam. Quænam quæſo maior dignitas eſſe poterit? Merito proinde honorandi ſunt, qui in hoc catalogo fratrum noſtrorum habentur. De quibus teſtimonium feret vita ipſorum pie & iuſte tranſacta.

Quarta. Vocationis cõmunis ſublimitas, de qua Paulus ad *Eph*.4, in hunc modum ſcribit: Hortor vos, vt digne ambuletis vocatione qua vocati eſtis, cũ omni humilitate & manſuetudine, cum patientia ſupportantes inuicem in charitate, ſolliciti ſeruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis, vnum corpus & vnus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ, vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus & Pater omnium, qui ſuper omnes & per omnes, & in omnibus vobis.

Quinta. Communis hæreditas vitæ beatæ & immortalis, fruitio cõmunis conſpectus Dei in omnem æternitatem, communis gloria in Chriſto Ieſu. Ex his rationibus natura connexis facile eſt iudicare, quantum decus ſit, eſſe ſocium timentium Deum. De qua re gloriatur Dauid cum ait. *Pſalm*.119. Socius ſum ego omnium timentium te Domine, & cuſtodientium teſtimonia tua. Has igitur rationes enumeratas ſemper in animis noſtris circumferamus, quarum vel vna ſatis nos mouere & flectere deberet ad honorem debitum timentibus Deum præſtandum.

Specialis ratio glorificandi ſeu honorandi timentes Deũ, pendet ex donorum, laborũ & vocationum diuerſitate in Eccleſia. Etſi autem nemo otioſus in Eccleſia eſſe debet, tamẽ vt in vinea alii plus aliis minus laborant, & alii aliis operis præſunt: (Vnicuique enim noſtrum data eſt gratia, ſecundũ menſuram donationis Chriſti, & quilibet ſuam habet functionem ſeu vocationem.) Par eſt igitur, vt ei qui pluribus donis eſt ornatus, & cuius ſunt vtiliores labores in Eccleſia, & vocatio ſublimior, plus honoris tribuamus.

Huc tria adiiciam. *Primum*. Quid faciet qui propter dona Dei, & labores vtiles in Eccleſia, in pretio eſt apud homines. *Alterum*, Quomodo ſe eriget, qui donis Dei magnis excellit, & cuius labores plurimis profuerunt, contemnitur tamen, & damnatur ab improbis & Zoilis. *Tertium*. Quid faciet infamis propter ſua ſcelera.

Quid ergo faciet, qui in honore est apud homines propter dona Dei & labores vtiles in Ecclesia?

Hic primum omnium tanquam pestem fugiet Diabolicum illud vitium, Superbiam. Nam quicquid est donorum Dei in homine, si superbia accedit tanquam in fœdissimum cœnum immergitur, iuxta notos versiculos:

Si tibi copia, si sapientia, formaque detur
Sola superbia destruit omnia si comitetur.

Sed huic vitio timor Domini facile medebitur.

Secundo, In vera humilitate se Deo subiiciat. Est enim pia humilitas maximũ ornamentũ donorũ Dei in hominibus,

Tertio, Sincero corde omnia quæ habet Deo accepta ferat, ei gratias agat pro suis donis & successu in vocatione, nihil suæ industriæ, sine diuina benedictione, tribuens.

Quarto, Oret Deum, vt conseruet & augeat sua dona in nobis, faciatque vt illis recte in ipsius gloriam vtamur. Nisi enim ille custos fuerit donorum quæ habemuus, facillime amittuntur. Ipse enim & nos & nostra omnia in sua manu habet, iuxta Psalmi dictum 127. Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborat qui ædificat eam.

Quinto, Sciat quo pluribus donis est donatus, eo magis se obligatum esse ad seruiendum Deo suis donis, iuxta vocationis suæ rationem.

Sexto, Sit œconomus fidelis bonorum, quæ apud ipsum Deus deposuit. Si docet, nihil celet ex inuidia: sed candide, clare, & fideliter tradat doctrinam. Si sapit, fideliter consulat aliis. Si diues est, cum hilaritate impertiat egenis.

Septimo, Vt omnia simul dicam seu in vnum caput concludam, sic luceat suis donis, & laboribus coram hominibus, vt Deus glorificetur, Ecclesia ædificetur, & bene sit per illum quantum fieri potest, omnibus: statuens quod & se, & sua omnia, Deo debeat.

Quid faciet is qui magnis suis donis & laboribus optime de Ecclesia meritus a Zoilis traducitur, contemnitur, calumniis maleuolorum obscuratur, & tandem opprimitur?

Quia hoc graue vulnus est, opus est sapienti pharmaco. Quis enim non frangitur animo qui cum sit sibi conscius

recti

recti, nihil tamen reportat, quam ingratitudinem, odia, calũnias, &c? Sed cui tale aliquid acciderit, hæc ordine cogitet.

Primum, Erigat se conſcientiæ teſtimonio, cum Paulo qui ait: 2. *Cor*. 1. Hæc eſt gloriatio noſtra, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Hoc conſcientiæ teſtimonium plus valere debet ad piorũ animos erigẽdos, quam omniũ Zoilorũ & maleuolorum calumniæ ad deiiciendos.

Secundo in animum reuocet plurimorum exẽpla qui optime meriti peſſimã ab ingrato mundo reportauerunt gratiã. Nota ſunt exẽpla Moſis, Prophetarũ, Chriſti, Apoſtolorũ &c. Quis enim vnquã fuit, qui ita ſe geſſit in officio fideliter: quin in plurimos iniquos iudices inciderit? Huc dictum Xenophontis memorabile aſcribam:

οὐ πάνυ γε ῥάδιον ἐστιν εὑρεῖν ἔργον
ἐφ᾽ ᾧ οὐκ ἄν τις αἰτίαν ἔχει.
χαλεπὸν γὰρ οὕτω τι ποιῆσαι, ὥστε μηδὲν ἁμαρτεῖν.
χαλεπὸν δὲ καὶ ἀναμαρτήτως τι ποιήσαντας, μὴ ἀγνώμονι κριτῇ περιτυχεῖν.

Hoc eſt:

Non facile eſt inuenire opus, in quo quis non habeat quod culpet.
Difficile enim eſt aliquid ita facere, vt non aberres.
Difficile eſt quoque eos qui ſine errore aliquid fecerint in malignum iudicem non incidere.

Tertio ſuſtẽtet ſe ſpe melioris iudicii poſteritatis & de ſe, & de ſuis laboribus. Etſi enim multi dum vixerint cum maleuolis & Zoilis calumnia oppreſſi ſunt: tamen tempus (cuius filia dicitur eſſe veritas) produxit in lucem veritatem ad poſteros, qui ſanius iudicarunt. Hac ſpe Philippus Melanchthon, ſanctiſſimæ memoriæ, optime de vniuerſa Eccleſia & Scholis meritus ſe erexit. Sæpe enim in ore habuit hunc verſiculum:

Iudicium melius poſteritatis erit.

Quarto apud animum reputet, quod omnium maximum eſt, videlicet, quod vnicuique ſit laus ſua apud Deum, pro ſuis laboribus & meritis. Cum Dominus venerit (ait Paulus) erit vnicuique laus a Deo 1I 1. *Cor*. 4. Hanc laudem anteponat pius omnibus calumniis mundi. Hinc eſt quod Dominus pronuntiet beatos eos qui perſecutionẽ patiuntur pro-

pter iustitiam, quorum merces copiosa est in cœlo. Sit notus studiosis versiculus Mantuani:

Viuit apud superos, & habet sua præmia virtus.

Quinto, Caueat pius ne suis calumniatoribus mala imprecetur, sed potius pro ipsis oret, vt resipiscant Dauidis exemplo, *Ps.*109. Illi, inquit, detrahebāt mihi, ego autem orabam. Quod exemplum & Philippus imitatus est. Deinde relinquātur iudicio diuino, quod est satis horrendum, iuxta dictum Salomonis *Prouerb.*17. Qui reddit malum pro bonis, non recedet malum de domo eius.

Quid faciet qui ob suā culpā & flagitia traducitur?

Primum agnoscat iustum Dei iudicium, & iustā pœnā esse cui subiicitur. *Secundo* resipiscat per veram pœnitentiam cum Latrone, cum Dauide, cum peccatrice, & cum innumeris aliis peccatoribus. *Tertio*, deprecetur culpam apud homines, qui offensi sunt, modo id fieri possit. *Quarto*, Probitate morum & emendatione vitæ studeat abolere ignominiam & infamiam, quā iuste propter sua scelera passus est. *Quinto*, Si nihil videatur, aut parum proficere hac via, æquó animo ignominiam & infamiam, tanquam signa reatus ferat, expectans vt qui signa reatus latronis in cruce sustulit, suam quoque infamiam & ignominiam sit aboliturus.

Iurauit in malum & non mutat.

Hieronymus: Iurat vt se affligat. Græcus.

ὁ ὀμνύων τῷ πλησίον αὐτȣ̃ καὶ ȣ̓κ ἀθετῶν. id est,

Iurans proximo suo, & non decipit. Hieronymi versio huic loco minime congruit. Hic enim agitur quomodo pius cum proximo suo agat. Versio Pagnini & Græci interpretis vtraque pia & huic loco accommodata est. Si sequimur Pagninum, sensus est: Verus Ecclesiæ ciuis quicquid iurat, etiam si in suum malum & incommodum cedit, tamen illud non mutat, sed præstat quod iurauit. Quemadmodum Ionathan filius Saulis fecit, qui iurauit Dauidi & præstitit quod iurauit, non sine suo magno periculo, & grauissima patris sui offensione. Sentētia Græci interpretis apertior est. Quicquid pius iurat proximo suo, hoc præstat, cauet enim periurium, quo nomen Dei læditur.

Hic oritur quæstio multum a veteribus & a recentioribus Theologis agitata.

Num

Num videlicet iurare licitum sit Christianis.

Alii enim negant, alii affirmant. Dauid hoc loco spiritu Christi instructus clare dicit: Qui iurat & non mutat, is morabitur in tentorio Domini, & habitabit in monte sancto eius: vnde licitum & sanctum esse iuramentum concluditur. Sed obiicitur.

Christus dicit diserte *Matth.5.* Ego dico vobis: Ne iuretis omnino. Quo dicto videtur omne iuramentum interdici discipulis Christi, id est Christianis omnibus. Basilius vt hunc nodum soluat, confugit ad distinctionem veteris & nouæ legis: quasi licitũ fuerit iurare sub veteri lege, non autẽ sub noua. Verum quia animaduertit Basilius hoc parũ firmũ esse, aliud quærit refugium, & dicit dictum Dauidis non esse iuramentum, sed σχῆμα λόγου, quo διαβεβαίωσις dictorum significatur vehementior. Et hic applicat dictum Domini: Sermo vester sit, est est, non non. Sed viri doctissimi in Ecclesia firmissimis rationibus iuramentum legitimum sub præceptum cadere, & esse cultum Dei ita demonstrant, vt nemo dubitare possit.

Vt autem auditores distinctius & plenius intelligant, quid sit non tantum de proposita quæstione, verum etiam de tota doctrina Ecclesiæ, quantum ad iurisiurandi religionem attinet, iudicandum.

Primum recitabo ordine, & refutabo argumenta, quibus Anabaptistæ vtuntur ad confirmandam suam sententiãqua statuunt nullo modo & nulla de causa Christianis licitum esse iurare.

Deinde veram sententiam proponam & confirmabo, videlicet quod non solum liceat aliquando iurare, verumetiam quod sit interdum cultus Dei necessarius.

Tum quid sit iuramentum, & quænam in eo concurrant, docebo.

Postremo. An semper sit præstandum quod quis iurauerit. De his quatuor membris, eo quo a nobis proposita sunt ordine dicemus.

De primo.

Argumenta quibus Anabaptistæ suam sententiam, videlicet, quod non liceat Christianis vlla de causa iurare, stabilire conantur, præcipua sunt quæ sequuntur:

Primum. Matth. 5. Filius Dei in hunc modum diserte loquitur: Dictum est antiquis: Non peierabis, sed reddes Domino iuramenta tua. Ego autem dico vobis, ne iuretis omnino, neque per cœlum &c. Hoc argumentum est præcipuum, quo Anabaptistæ nituntur, & quod visum est etiã quibusdam patribus insolubile. Vnde & Iulianus Apostata sumpsit occasionem ridendi Christianam religionem, vt quæ tolleret præcipuum vinculum humanæ societatis. Nam sublato iureiurando aut violato, tollitur fides inter homines, sublata fide humana societas miserrime eneruatur & dissoluitur. Verum priusquam nos ad formam argumenti respondebimus ostendemus quid sibi velit illa longa quorundam præceptorum Decalogi explicatio a Christo instituta.

Ante omnia hoc fundamentum tenendum est quod non fuerit propositum Filii Dei in hac concione, patris sui legẽ aut abolere aut corrigere. Est enim Filius Dei nuncius & interpres Patris sui, non abolitor aut corrector legis ipsius. Cum itaque pater claris verbis *Deut* 6 loquens ad totã Ecclesiam dicat: Per nomen meũ iurabis? non potest fieri vt Filius hanc Patris legem, aut aboleat aut corrigat: quod certe faceret, si nullum iuramentum licitum esse statueret. Quare nullo modo Anabaptistarum interpretatio est recipienda, vt quæ dissidium concludat inter Patrem & Filium.

Deinde sciendum & hoc est quod Christus non voluerit hic nouam condere legem, vt quidam autumant, videlicet Euangelicam, perfectiorem lege Mosis, sed solummodo errorem Scribarum & Pharisæorum corrigere, & reuocare veram & geminam legis sententiam, quo homo probe in lege tanquam in speculo videre posset, an præstaret Deo secundum normam legis perfectam & debitam obedientiã. Scribarum ergo & Pharisæorum errori statuamus hanc longam concionem Christi esse oppositam.

Quisnam ergo fuit Scribarum & Pharisæorum error?

Duplex, vt ex responsis Domini apparet, fuit: Vnus: quia scriptum est: Per nomen meum iurabis, concluserunt legis interpretes, nullius momenti esse iuramenta quæ fiunt per creaturas quasuis. Hunc errorem refutat Dominus *Matth.* 23. Nam in omnibus creaturis Dei,

maiestas Dei relucet. Quare Deus non excluditur a iuramento quod fit per creaturas:Sed de hoc genere iuramenti plura dicemus.Alter error Pharisæorum fuit: Quia scriptũ est:Non peierabis,sed reddes Domino iuramenta tua:Legis interpretes Scribæ & Pharisæi hunc errorem inuexerunt, quod liceat quauis de causa, & quouis modo iurare,dummodo caueatur periurium.Sed isti non vt par erat obseruarunt legis præceptum,quo vetatur ne quis in vanum nomẽ Dei vsurpet : quod sane illi faciunt qui quauis de causa & quouis modo iurare sibi permittunt. Cuius sceleris (proh dolor) plerique hominum hodie rei sunt,adeo leuitas hominum & peruersitas obtinuit.Huic pestilenti errori Scribarum & Pharisæorum opponitur Domini interdictũ. Ne omnino iuretis & non legi Patris:ac si diceret Dominus:Vestri doctores male interpretantur legẽ Patris mei,qui quoniam scriptum est:Non peierabis,sed reddes Domino iuramenta tua:vitiose inferunt quod liceat iurare,quauis de causa,& quo modo,sicuti hodie apud vos receptum est, dummodo non peieres. At ego dico vobis: Ne iuretis omnino (Græce ὅλως)id est,quauis de causa & quouis modo, sicuti hodie apud vos receptum est. Hanc esse veram interpretationem verborum Domini,dubitare non possum, quam etiam ipsa Grammatica,si eam vrgeas confirmat.Aliud enim est:omnino non iurare:aliud iurare non omnino. Illa enim oratio est negatiua vniuersalis,qua Dominus hic non vtitur:Hæc vero est negatiua particularis,qua vetat Dominus, ne iuremus omnino,id est,quauis de causa& quouis modo: subindicans quod aliqua de causa & aliquo modo iurare licitum sit.Phrasis hæc & in nostra & in Germanica lingua vsitata est.Differunt enim hæ orationes:aldelis icke,& , icke aldelis.Et Germanice:gar nicht,& nicht gar. Prior enim negatiua est vniuersalis,posterior negatiua particularis, qualis hæc Christi oratio est.Non igitur Grammatica patrocinatur errori Anabaptistarum.

His addamus regulam vtilem cuius vsus frequens est in Scripturis:Quando idem videtur alias præcipi , alias prohiberi,vel modo affirmari,modo negari in Scripturis,eodem nomine diuersa rerum genera significantur,quæ causis & finibus tanquã differentiis propriis discernenda sunt. Causæ enim & fines differentias inter præcepta & prohibita,inter

affirmata & negata faciunt. Deus apud Mosen præcipit iuramentum: Christus *Mat.5.* vt diximus, vetat iuramentū. Iam cum Scripturā solui non potest, intelligamus oportet iuxta regulam, vno eodemq; nomine diuersa rerum genera significari. Moses ergo necessitatis iuramentū præcipit: Christus autem omne vanitatis iuramentum damnat, quod quidem causis & finibus distinguitur a iuramento necessitatis, quod præcipitur, & licite fieri potest, idque ab omnibus hominibus, & est gratissimus Deo cultus.

Præterea quoties quæstio de aliqua re proponitur, solet Scriptura eam quæstionis partem de qua non est dissensio omittere, atque eam solummodo tractare, de qua non conuenit. Quærit Legisperitus a Domino, quisnam sit proximus suus. Hic quia nō ambigebatur an amici nostri habeantur proximi, sed an inimici & hostes: ideo Dominus hanc solummodo quęstionis partē tractat, & parabola de Samaritano concludit etiam inimicos nostros inter proximos censeri debere. *Mat.19* interrogant Pharisæi, an liceat homini dimittere vxorem quacunq; de causa. Hic nō dubitabatur an liceret homini dimittere vxorem ob adulteriū. Quare Christus respiciens ad morem istius populi, quo dimittebantur vxores vel leuissimis de causis, respondet nō licere. Ad eundem modum cum quæritur, an liceat iurare quauis de causa: Christus eam partem quæstionis, de qua non controuersa: Christus eam partem quæstionis, de qua non controuertebatur, omittit: & respondet solummodo ad eam de qua controuersia erat, videlicet, quod non liceat iurare quauis de causa & quouis modo.

Secundum. Christus dicit: Sermo vester sit, est, est, non, non. Ergo omne iuramentū tollit. Hoc Domini dictum non opponitur iuramento necessario, de eo enim non loquitur Dominus, sed temeritati iurantiū, qui singulis pene verbis iuramenta adiiciunt: Quare non vltra propositā quæstionem extēdi debet. Requirit proinde Christus hoc dicto, constantiā in dictis nostris, vt nostrum est, sit est: & nostrum nō, sit nō, & non addamus iuramēta extra necessitatem hoc est, nisi agitur gloria Dei, salus & fama proximi aut nostra, aut alia necessitas vrget.

Tertium. Cum Dominus dixisset: Sermo vester sit est est, & non non, subiicit Quod his additur a malo est, ergo omne iuramentum est malū. Nego consequentiam, & antecedens

expono

expono iuxta suam περίστασιν. Quod his additur a malo est, id est, ex temeritate & mala iurandi consuetudine. Nō autem a malo est quod additur propter necessitatem: Hoc enim nō solum habet mandatum Dei bonum, sed etiā bonam causam, nempe amorem veritatis & odiū mendacij, & bonum finem, tendit enim in gloriam Dei amantis veritatem.

Quartum. Producunt etiam Iacobum qui ait: Ante omnia (inquit) nolite iurare, neque per cœlum &c. Et rationem addit: Vt non sub iudicio decidatis. Respondeo.

Iacobus vt verba Domini fere repetit, ita etiā receptam temere iurandi de qualibet re, & quolibet modo consuetudinem damnat. Debet ergo vniuersale dictum Iacobi, non extendi ad quoduis iuramentum, sed restringi ad suum genus hoc est, ad temerarium iuramentum.

Quintum. Ex Hoseæ Prophetæ dicto, quærunt etiam patrocinium suæ causæ Anabaptistæ, Hoseas (inquiunt) *cap.* 4. ait: Neque iuraueritis: viuit Dominus. Respondeo. Modus enunciati est obseruandus, qui non est præcipientis aut interdicentis, sed comminantis & prædicentis. Comminatur enim pœnā & prædicit fore, vt terra Israël propter sua peccata desoletur, & in locum veri cultus Dei substituatur idolorū cultus: ita vt nō amplius iurēt: Viuit Dominus: sed, Viuit Baal, aut aliud quoduis idolum. Hoc ex collatione illustrius reddemus. *Ieremias cap.* 4. ait: Iurabis: Viuit Dominus, in veritate, in iudicio, & in iustitia. Hoc dictū Prophetæ, nō est præcipientis, sed promittētis. Promittit enim fore, vt verus Israël, sit verus Dei cultor futurus, hoc est, vt gentes veram Dei religionē amplectantur. Cuius rei argumentū erit quod iurabunt: Viuit Dominus: non autem, Viuit Saturnus aut Iupiter.

Sextum Futura sunt incerta, ergo peccat qui iureiurando promittit futura. Respon. Ineptissimum hoc argumētū est, cuius & cōsequentia mala est, & antecedēs est falsum. Quis enim feret vniuersum genus tolli propter vnam speciem? Deinde futura non sunt incerta proposito nostro, sed euentu, qui in manu Dei situs est. Habemus enim animum præstare quod promittimus, nisi ab alia potētiori causa impediamur.

De secundo.

Refutato præiudicio Anabaptistarum quo multi seducti sunt, facilius erit nobis veram sentētiam stabilire, videlicet,

quod iuramentum aliquod Christianis sit licitum, quod cũ fit, vt par est cultus Dei est, & opus necessarium. Huius veræ & catholicæ sententiæ, quinque habemus rationes præcipuas, quæ notatæ singulis verbis sunt. Præceptum, Promissio, Exemplum, Origo, Finis.

Præceptum disertis verbis proponitur *Deut.6.*& 10. Dominum Deum tuum timebis, & illum coles, ac per nomen illius iurabis. Supra dixerat: Non vsurpabis nomen Domini Dei tui in vanum. Hic autem dicit: Iurabis per nomen illius præcipit ergo iuramentum quod ex timore Dei profic scatur, & sit species quædam inuocationis. Proinde ex collatione prohibitionis & mandati, colligitur vtrunque, videlicet: vanitatis iuramentum interdici, & necessitatis præcipi, vt cultum Dei sanctum. Nec opus est plura testimonia adducere, cum in Scripturis non sæpius dicta, sed tantum dicta sufficiunt.

Promissio illustris *Psalm.63.* recitatur: Gloriabitur omnis qui iurat per eum, scilicet, non temere, sed secundum præceptum. Hic cum iuramentum laudatur in subiecto, profecto genere suo bonum & laudabile erit. Est etiam promissio quam supra adduximus ex 4.*cap.* Ieremię: Iurabis: Viuit Dominus in veritate, & iudicio, & iustitia.

Exemplum idem confirmat, Nam sancti Dei homines, Patriarchæ & Prophetæ, leguntur sæpius iurasse, vt persuaderent hominibus quæ proponerent. Vt Abraham, Moses, & multi alij. Item Deus ipse, vt est in *Psalmo* 110. Iurauit Dominus & non pœnitebit eum. Item alibi: Iuraui in ira mea. Christus ipse peculiari iurandi formula vsus est. Paulus ad *Roma.*1. iurans ait: Testis est mihi Deus, cui seruio in Spiritu. Et 2. *Corinth.*1. Testis est mihi Deus ad animam meam. Cum igitur iuramentum approbari videmus illustribus exemplis, approbari quoque in genere manifestum est.

Origo iuramenti est bona. Oritur enim ex eo quod homo pie iurans, 1. agnoscit Deum vbiq; præsentem esse. 2. Fatetur eum omnia nouisse & videre, vt omnium testis locupletissimus esse possit. 3. Fatetur Deum amantem esse veritatis. 4. Non dubitat eundem iustum esse vindicem iniquitatis & mendacij. Hæc origo iuramenti cum sit bona, quis negauerit iuramentum suo genere bonum esse?

Finis denique bonus est, videlicet, confirmatio veritatis, refu-

refutatio mendacij, finis controuersiarum, pax & tranquillitas inter homines. Iuramenti enim religione seruata illæsa, salua & integra manet fides inter homines: sublata autē illa, fides quoque violatur, vnde plurima mala inter homines oriuntur. His rationibus euidentibus confirmati de vera sententia, audacter somnium Manichæorum & Anabaptistarum explodamus.

Sed quid hinc inepti quidam colligunt?

Cum audiunt iuramentum cultum Dei esse, inferunt: *Primum.* Si iuramentum cultus Dei est, & Deus semper est colendus, profecto semper iurare licitum esse videtur. *Secundo.* Iuramentum est confessio religionis Christianæ, & Confessio semper requiritur: Cur igitur non licebit semper iurare? *Tertio.* Si præcipitur iuramentum, an non perpetua est eius obligatio? Fuit Pontificius quidam Episcopus in hoc regno, ante annos plus minus sexaginta, qui singulis pene verbis quæ loquebatur iuramenta per mortem & vulnera Christi apposuit. Is autem cum a quodam pio nobili, propter linguæ intemperiem in iurando, repræhenderetur, respondit suo more deierans: Vtinam, inquit, omnes Turcæ iurarent sicut ego. Nam si hoc facerent, Christiani haud dubie essent qualis ego sum. Ad hęc nobis subridens, hoc bene, inquit, credo: significans vtrosque, id est, Episcopum & Turcas æque sceleratos esse. Sed quid respondendum est ad argumenta proposita?

Primum obiicio iis qui ad istum modum argumentantur dictum Syracidis *cap.* 23 Iuramento ne assuefacias os tuum, nec ad eam consuetudinem nomen sancti sæpe adhibeas: Si cut enim seruus crebro vapulans, non caret vibicibus, ita qui iurat atque assidue nomen Dei vsurpat, non facile culpa carebit. Vir crebro iurans replebitur scelere, nec a domo eius plaga recedet.

Deinde ad primum argumentum respondeo. Cum aliquid mandatur propter finem certum, tum demum recte fit, cum non præter finem, sed propter finem præstatur. Nunc autem iuramentū præcipitur propter necessitatem, videlicet, vt veritati laboranti succurratur, proinde non est iurādum, nisi necessitas iuramentum postulat. Atque tum demum fit cultus Dei iuramentū, quādo fini debito copulatur. Vnde

Augustinus: Qui intelligit non in bonis, id est per se appetendis, sed in necessariis iurationem habendam, refrenet se quantum potest, nec ea vtatur nisi necessitas cogat.

Ad secundum dico, quod iuramentum crebrum & temerarium non sit, confessio necessaria, sed potius abnegatio temeraria.

Ad tertium respondeo. Obligata est perpetua, videlicet, cũ postulatur iuramentum ob debitum finem, vt dictum est, præter quem ad contrarium, id est, ad non iurandum obligamur. Breuiter. Opus a Deo mandatum tum demum cultus Dei est, quando fit iuxta voluntatem Dei, non contra. Nunc autem iuramentum quod fit præter necessitatem, cõtra voluntatem Dei fit. Quare nullo modo cultus Dei dici meretur, sed potius nominis diuini sacrilega prophanatio & pollutio.

Vtendum est ergo iuramento vt pharmaco, hoc est, non semper, sed quoties necessitas postulat, ne ex salutari pharmaco nostro abusu venenum fiat. Nam quo pharmacũ aliquod nobilius & efficacius est, eo magis nocet naturæ, si præter necessitatẽ adhibeatur. Sic & iuramentum necessitatis solummodo causa adhibendum est. Etsi proinde iuramentum ad cultum Dei pertinet, tamen eius legitimus vsus est seruandus. Iam autem cum iuramentum institutum sit, vt necessitati seruiat, non est profecto extra necessitatem vsurpandum, hoc est, nisi agitur gloria Dei, & vtilitas proximi & nostra, quẽadmodũ infra copiosius declarabitur.

De tertio.

Tertio loco proposui me dicturum quid sit iuramentum, & quæ in eo spectanda sint. Vt autem id certa methodo fiat, hæc ordine explicabimus.

1 Quid sit iuramentum.
2 Quæ in iuramento concurrant.
3 Quinam iuramenti comites esse debeant.
4 Formulæ iurandi variæ.
5 Genera iuramentorum.
6 Vitia incidentia ex hominum culpa.
7 Pœna temere iurantium.
8 Remedium aduersus prauam iurandi consuetudinem.

1. *Quid est iuramentum?*

Hic primum de nomine dicamus, Iurare & iuramentum Latinis dicitur a iure, quia quicquid iuramus, id est, dicimus vel promittimus Deo in testem aduocato, perinde ratum esse decet (modò iniustum & turpe non fuerit) ac si iure diuino & lege constitutum esset. Græce ὅρκος dicitur, propterea quod iuramentum sit veluti quoddam propugnaculum, quo nostra dicta stabiliuntur & confirmantur, vt firma & rata habeantur Deo in testem adhibito. Hebræis iuramentū Schebua dicitur a numero septenario quo vis Spiritus sancti, vt Martyr ait, significatur. Debet ergo iuramentum sacrosanctum haberi, tantumque valere si fuerit pius qui iurat, quantum vel septem testes iniurati. Hactenus de nomine: Nunc ad rem veniamus.

Iuramentum est relligiosa confirmatio eius de quo dubitabatur, Deo teste adhibito. Alias. Iuramētū est attestatio nominis diuini, ad cōfirmationē eorū quæ asserimus vel promittimus. Scholastici in hunc modum: Iuramentum est affirmatio vel negatio sacræ rei attestatione firmata. Explicatius autē in hūc modū. Iuramētum est asseueratio, hoc est, affirmatio vel negatio alicuius de quo dubitabatur, facta per nomē Dei, in qua, quemadmodū inuocatur Deus, vt sit dictorum testis, ita iurans se obligat Deo ad pœnā si fallit aut mētitur. In his definitionibus non solū quæ sit iuramēti substantia indicatur, verumetiā quando iuramēto vtendum sit ostēditur, videlicet cū dubitatur, non sine alicuius dāno, & non sunt alia testimonia quibus certificamur. Nam tum demū ad Deū qui est cordiū & rerū scrutator, cuiusq; oculis quantumuis occulta sunt aperta, merito confugiendum est, quando aliis testibus destituimur. Tunc enim solummodo homo testimonium recte implorat, alioqui minime.

2. *Quænam in pio iuramento concurrunt?*

Quatuor, videlicet: Partes, Causæ, Affectus, Fines. His enim quatuor quasi notis propriis sanctum iuramentum & licitum a prophano & temerario distinguitur.

Partes quæ iuramenti quasi substantiam cōstituunt, expresse in definitione sunt duæ: Vna attestatio Dei super eo quod affirmam⁹ vel negam⁹. Hac Deum testē nostrorū verborum facimus. Altera conditio vindictæ in iurantem, si

mentitur aut fallit. Hæ partes etsi non semper in omni iuramento expresse nominantur, tamen vna posita, altera semper subintelligitur. Prior ponitur tantum, ad *Roman*. 1. Testis est mihi Deus. Item ad *Galat*. 1. Quæ scribo vobis, ecce coram Deo non mētior. Vtraque coniungitur, 2. *Corinth*. 1. Deum testē inuoco in animā meā: hoc est, Ego si fallo aut mentior, Deo quē testē appello meorū verborum, me obligo ad pœnam. Et 1. *Corinth*. 15. Quotidie morior per salutē nostrā, quam habemus in Christo Iesu. Græce: νὴ τὴν ὑμετέραν καύχησιν. Oppignorat enim Paulus Deo gloriam suam, quam habet in Christo Iesu, vt pro illa sibi ignominiam reddat, si vera non dicat. Quicquid enim iurans nominat hoc obligat Deo in pœnam si fallit aut mentitur. Cum ergo dico, Iuro per animam, per caput, per salutem: sensus est: Obligo Deo animam meam, caput meum, salutem meam, vt si mentior, me in his puniat, iuxta ipsius comminationem: Non habebit insontem Deus, quisquis in vanum nomen eius vsurpauerit.

Causæ pii iurisiurandi quatuor statui possunt, quæ sunt: Voluntas Dei, Propria necessitas, Fraterna charitas, & Authoritas Magistratus. *Voluntas Dei* in mandato ipsius cernitur. Mandat enim Deus iuramentum *Deut.* 6. & 10. vt supra diximus, atque illud requirit vt cultum, modo fiat vt par est, in gloriam suam, in vtilitatem hominum, non ex vanitate, sed vera iusta & graui de causa de qua supra dicemus. *Propria necessitas* est videlicet cum quis destituitur aliis testimoniis, & periclitatur ipsius fama vel res. Tum enim potest pius confugere ad incrementum, tanquam ad remedium diuinitus propositum vt lex docet *Exod*. 22. in causa depositi, furti, rapinæ. Vnde genus colligitur, videlicet quod quoties necessitas postulat possit pi' ad iuramentum cōfugere, tuendi nominis sui, innocentię & rei causa. *Fraterna charitas* est cū vel docendus sit proximus salutaria, vel ipsius nomen & res periclitatur, vel alioqui societatis, fidelitatis, & amicitiæ fœdera ineuntur. Et cum hæc fieri non possunt sine iuramento interposito, licebit iuramentum adhibere. De doctrina exemplum in Paulo sępe occurrit, qualia nuper recitauimus. Huc illud Augustini facit: Cum video non mihi credi nisi iurem, & ei qui mihi non credit, non expedire quod non credit, hac perpensa ratione,

tione,& conſideratione librata, cum magno timore dico: Corā Deo, aut Deus eſt mihi teſtis, aut ſcit Chriſtus ſic eſſe in animo meo. Similiter ſi fama aut res proximi agitur, fraterna charitas deſtituta aliis mediis, ad iuramentum ſe conuertit, quemadmodum lex docet, *Exod.22.* & alibi. Iacob & Laban fœdus ſocietatis & amicitiæ iurauerunt, *Geneſ.31.* Id quod aliis quoque licitum eſt. *Authoritas Magiſtratus* interdum etiam iuramentum poſtulat. Cum ergo magiſtratus defert homini pio iuramētum, recuſare non debet pius ſed inferre, modo iuſtum fuerit quod poſtulatur.

Affectus ſeu virtutes, quæ in iuramento pio concurrunt, ſunt tres, videlicet, Timor Dei, Odium mendacii, & Amor veritatis: Timor Dei erit gubernator mentis & linguæ pie iurantium: Odium mendacii filiorum Dei propria nota eſt, hæc enim a filiis Diaboli qui delectantur mendaciis ſicut eorum pater, filii Dei ſeiunguntur. Amor veritatis ſimiliter eſt character filiorum Dei, qui eſt veluti flammula quædam Spiritus Chriſti in fidelibus, quo ad vera dicenda accendantur.

Fines iurationis piæ & licitæ etſi ex cauſis intelligi poſſunt, tamen aliquid de iis dicendum eſt. Nihil enim prohibet ſub titulis ea quæ neceſſaria ſunt ſubinde inculcare. Fines igitur ab Iſocrate homine ethnico ſtatuūtur duo, quorum prior eſt, vt noſtram famam aduerſus calumnias tueamur, alter vt amicos e periculo liberemus. Non vult Iſocrates honeſtos probos ac cordatos viros pecuniæ aut lucri cauſa iurare, ne in aliquam auaritiæ aut priuati commodi ſuſpicionem incidant. Hęc profecto hominis ethnici grauiſsima ſententia, etſi mutila, monet quanta religio iuriſiurandi olim fuerit, etiā apud homines ignaros Euāgelii. Quid dico de ignaris Euangelii? cū religio iuriſiurandi fuerit apud multas gentes tanta, ſicuti refert Auguſtinus vt qui lapides colerent, non auderent falſo aut temere iurare per lapides, qui omni ſenſu carent. Verum Chriſtiani (proh dolor non verentur vel leuiſsimis de cauſis, interdum de nullis, per Deum iurare, quē norunt præſentem, quē norūt viuentē, quem norunt ſcientē, quē norunt in contēptorem vindicātem, vt cum Auguſtino loquar: Adeo enim peſsima iſta cōſuetudo inualuit, vt plura ſint plerumque iuramēta, quam verba: quæ res declarat quod ſub Chriſtiano nomine

multi prophanam mentem gerant. Prophanā enim & ream linguam non facit nisi mens prophana & rea. Etsi autem Isocratis sententiā non omnino improbo, tamen quia manca est & imperfecta, distinctius explicandum iudico, quinā sint fines iustæ & licitæ iurationis, tametsi ex causis, vt diximus, efficiētibus vtcunq; intelligi possūt. Hos ergo in exēplis approbatis, quatuor esse cōperio, quorū *Primus* est cum gloria Dei agitur, & homines nobis iniuratis non credunt. Huc pertinēt Pauli & Prophetarū iuramēta, qualia sæpius referūtur in Scripturis. *Secundus* Cū sal⁹ & existimatio proximi in discrimen venit. Tunc enim charitas suadet, vt si nō possimus aliis testimoniis innocentiam proximi tueri, confugiamus ad Deum testem minime mendacem. *Tertius.* Vt nostram famam modo innocētes simus, si aliis testibus destituimur iurisiurandi religione defendamus. *Quartus.* Vt controuersiæ inter partes quascunque ob causas non leues cōponantur iureiurando, modo alia testimonia & firmamēta haberi nō possint. Nunquā enim ad Dei testimoniū prouocādū est, vt iā sæpius diximus, nisi quādo aliūde testimonium haberi nequeat. Adeò sacrosanctum nomē Dei inter Christianos haberi par est.

3 *Quinam pij iuramenti comites esse debent?*

Comites iuramenti ex 4. *cap.* Ieremiæ, tres facit Hieronymus, videlicet: Veritatem, Iudicium, & Iustitiam. Iurabis ait Ieremias, Viuit Dominus in veritate, & in iudicio, & in iustitia. Horum verborum simplicissimus hic sensus est: Veritas vt verum, Iudicium vt graue magniq. momenti, Iustitia vt licitum est quod iurandum est postulat. *Primum* ergo in iuramento requiritur veritas, quæ erit fundamentū iurationis. Inde enim eius initium fieri oportet. Nemo proinde iurabit nisi super eo quod certo nouit aut credit ita se habere quemadmodum iurat. Dico autem nouit aut credit, quia alias ex conscientia propria iuramus, alias ex crudelitate, videlicet, cum iuramus in verba alicuius alterius, confirmaturi nostro testimonio, eius iuramentum, quemadmodum iudiciis plerunque accidit. *Secundò* cognita veritate requiritur iudicium, quo scilicet delectus habetur. Prudenter enim discernēdum est super qua re, quo loco, quando, corā quibus, qualiter, & bene cōposito animo iurandū sit. Deliberatione ergo seriā & prudētē requirit iudiciū, ne affectibus abreptus

abreptus,aut errore dereptus iures,cuius postea te pœnitebit. *Tertio* requiritur iustitia, videlicet: vt non solum verũ & magni momẽti sit quod iures, verũetiã iustũ & licitũ. Hæc ergo tria informant & cõponunt animũ iurãtis, ne in temeritatis aut vanitatis vitiũ incurrat, atque ita pœnã sibi propter abusum nominis diuini accersat. Etsi autẽ hæc explicatio, vt opinor, perspicua est, tamẽ vt clarior adhuc fiat & ad vsum accommodatior, antithesi illam illustrabo. Mirum enim in modũ contrariorum collatio res illustrare solet.

VERITAS itaque quæ candorem in iuramento requirit, opponitur, dolo, fraudi, & Sophisticæ. Excludit ergo veritas dolũ ex animo fraudem a factis, & Sophisticen a verbis iurantis, ne videlicet, aliud lingua iures, quam animo sentias, ne aliud verbis promittas, quã factis declarare cogites, ne aliud verbis intelligas, quã is cui iuratur intelligit. Hæc enim omnia in contumeliã Dei, per quẽ iuratur vergunt, & qui ita iurãt τοὺς ὅρκους ἀπομάζει vt loquitur Euripedes. Absit ergo primum a iurantis animo dolus, ne aliud, vt dixi, iuret lingua quam animo sentias. Indignissima enim omni homine vox illa Hyppoliti est apud Euripedem, qui cum admoneretur a nutrice, vt memor esset iuramenti fœdere præstiti, respondet: ἡ γλῶσσ' ὀμώμοχ', ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος id est: lingua iurauit, mens autem non iurauit. Vbi autem dolus est in animo iurantis, ibi quoque plerũque fraus in factis sequetur Sæpissime enim vafri homines, & potissimũ Tyranni magnas insidias sub iuramẽti pallio tegũt, & iuramẽti relligione innocẽtes sæpe opprimũt. Id quod Ecclesia Gallica hic annis aliquoties experta est. Absit præterea Sophistica, ne aliud sub verbis intelligas, quam is cui iuratur intelligit. Huius Sophistices in iurando innumera exempla malitia mũdi suppeditat. Thraces, qui cum hoste inducias triginta dierũ fecerant, noctu populabantur, factum excusantes, quod non de nocte verum de die pacti erant, cum tamen spatium triginta dierum intelligeret hostis.

Similiter Sophistice egit Legatus Romanus. Nam cũ nauiũ dimidium Romanis, & dimidium Regi iureiurando interposito constituisset dandum, eas singulas reipsa diuidi & secari iussit: id autem fecit vt Rex nauali præsidio penitus destitueretur. Cum Rex tamen cui iuratum erat, aliud non intelligeret, quam naues integras diuidendas es-

se in æquales partes, vt dimidia pars integrarum nauium Romanis, dimidia vero Regi cederet.

Fertur de quodam Italo, qui singulari Sophistica Iudæum a quo pecuniam in vsuram acceperat. (Est enim illud hominum genus præ cæteris mortalibus vsurariis lucris deditum) illusit. Postquam enim vsus esset Italus pecunia Iudæi longo tempore, repetit Iudæus pecuniam suam, non quod vsuris satiatus esset, sed forte vt maiorem vsuram pacisceretur. Quid hic astutus Italus? affirmat se sortem reddidisse, & vsuram soluisse: Iudæus contra vtrumque negat. Quid multis? Iudæus Italum accusat, sistitque eum iudici. Iudex autem cum nulli alii adessent testes Italo iuramentum defert, vt se diuino testimonio ab obiecto crimine purget. Italus itaque veterator astutus accingit se simulata magna relligione ad iurādum, ac Iudæo creditori baculum cui nitebatur, & in quo excauato, pecuniā quā Iudæo debebat inclu serat, tenendū tradit: Iuramēto autē delato a magistratu præstito, absoluitur debitor, dānatur creditor, atque ille animā hic pecuniam perdidit.

Kydias apud Herodotū citāte Stobæo simili sophistica est vsus, apud quē Archetimus magnā auri vim deposuerat: sed dissimilis fuit exitus. Nā cū Archetimus teneret baculū Kydiæ & audiret Kydiam iurare, quod aurū apud se depositum reddidisset, vehementer indignatus, proiecit baculū, quo fracto aurum effluxit, atque ita depositor quod suum erat recepit, & Sophista malum exitum est sortitus.

Narratur de duodecim viris, qui cum delecti essent iudices de finibus agrorū, de quibus inter vicinos erat controuersia, animaduerterunt iniustam esse causam eius cui magis fauebant. Quod cum illi clam iudicassent hac Sophistica suam causam fingit: iubet vt singuli aliquid de solo quod scirent ad ipsum pertinere, sub plantis pedum in suis calceis ponant, ac dicant iuraturi se terram ipsius pedibus suis calcare. Atque ita terram alienam ad alienum dominum nefarie transtulerunt, non putantes se periuros, cum & periuris & furibus multo essent deteriores.

Recens historia de quodam Zelotypo, qui cum haberet vxorem satis pulcram, eam adulterii insimulauit (putabat forte quod res est: *Lis est cum forma magna pudicitiæ*) is cū non haberet testes suæ criminationis, (quæ iusta an in-

iusta

iuſta fuerit in medio relinquo) perſuadere conatur ſimplici fœminæ, vt crimen fateatur. Illa autem cum crimen obiectum conſtanter negaret, diceretque ſe nō poſſe de ſeipſa mentiri, nec velle ſe ficto crimine a mariti thoro diuelli. Maritus contra inſtat: Magna inquit res agitur ſi hoc feceris quod volo, & mihi & tibi conſulis, & ne de verbis meis dubites, ecce coram Deo iuro & extenſa manu in hanc formam iurauit: Ecce ego iuro per Deum & ſalutem animæ meæ, quod nunquam te deſeram. Quid hic mulier nimis credula? ſe ream fatetur, adulterum nominat, ſiſtitur in iudicio, fit diuortium, deſeritur a marito tanquam adultera. Hoc facto a quadam honeſta matrona admonetur maritus de iuramento præſtito. Reſpondit autem: Iuramenti mei ipſe ſum optimus interpres. Iuraui me illam non deſerturum: Per illam non intellexi vxorem meam, vt tu putas, ſed manum meam dexteram quam dum iuraui extenderam, id quod ipſe qui omnium corda intuetur, nouit. Sed ipſe miſer cum vxore & Deum & ſeipſum deſeruit: Dei enim nomen in vanum aſſumpſit, & propriam coſtam impie abiecit, eamque in fauces luporum crudeliter coniecit. Siue autem rea fuit mulier, ſiue non, plane inexcuſabilis eſt Sophiſta, & odio dignus.

Hic quæſtio ſe offert digna explicatione:

Num videlicet iuramentum accipiēdum ſit prout ille cogitat qui iurat, an vt ille intelligit cui iuratur? præſertim cum Deus nō tam verba hominum, quàm animos reſpiciat?

Reſpondeo.

Natura cuiuſlibet rei, ex eius proprio fine dependet. Cum ergo finis iuramenti ex inſtitutione diuina ſit, vt iurans non ſibi ſed alteri cui iurat fidem faciat, profecto nec iuſte excuſatur, qui Deum ſuæ mentis conſcium fuiſſe dicit, ſed ſeipſum potius dupliciter condemnat, vt qui & Deum mendacem teſtem fecit, & proximum malo dolo cepit. Recte itaque Iſodorus ſentit, cum ait: Quacunque arte verborum quis iurat, Deus tamen qui conſcientiæ teſtis eſt, ita hoc accipit, ſicut ille cui iuratur intelligit. Et Philo ait: Nihil ad ſummam impietatem tibi facis reliquum ſi non ore linguaque, certe corde ſic appellans Deum: Dic pro me fal-

ſum teſtimonium, eſto mihi ſceleris & maleficii ſocius: vna mihi ſpes ſupereſt tuẽdæ exiſtimationis apud homines, ſi cæletur veritas. Eſto igitur alienæ malitiæ vicarius, melior deteriori ſeruiẽs, Deus optimus ſceleſto homini. Atque hactenus de veritate & eius oppoſitis vitiis. Sequitur iudicium.

IVDICIVM hoc loco diſcretionis eſt, vt ſupra dixi, & opponitur errori, temeritati, vanitati, leuitati, & inconſultis affectuũ motibus. Requirit proinde hoc iudiciũ, diligẽs examẽ antequã iures, timorẽ Dei dum iuras, & prudentiam piã qua exitũ proſpicis, ne te iurationis pœniteat, vbi iuraueris. *Examen* diligens in his conſiſtit, vt cogites an ſit operæpretium iurare, an cedat iuramentum in gloriam Dei & in hominũ commodum, an idem ſine iuramento ſcire poſſit, an hoc loco, hoc tempore, & coram hominibus. *Timor Dei* mentem & linguam reget. *Mentem* quidem ne turbatus aliquo affectu, vt implacabili odio, amore inſano, aut in potenti concupiſcentia iures. Hi enim affectus menti ſanitatẽ adimũt, ne videat quid oporteat vel dicere vel facere. Sobria proinde mẽte & certa ratione ad iurãdũ accedas oportet. Itẽ ne iures niſi ſumma neceſſitate adactus, hoc eſt, ne appelles Deũ teſtem, niſi in re ardua *Linguam* vero ne verborum preſtigiis ludat, ne iuramentum quaſi vi erumpat, quemadmodum in multis accidit, id quod magnum damnum adferre ſolet hominibus iuxta dictum Æſchyli:

γλώσσῃ ματαίᾳ ζημία προσγίγνεται, id eſt,
Temerariæ linguæ damnum accidit.

Pia prudentia proſpicit pericula, & exitum cogitat ne vbi iuraueris dicas vt ſtulti & temerarii faciunt: Non putaram: Breuiter. Hoc iudicium regit animũ ne per aliud iures, quã per Deum ipſum: Nam hoc eſſet alium ſibi Deum fingere: Neque in re falſa: Nã hoc eſſet Deum mendacẽ facere. Neque in re leui, nam hoc eſſet Deum abiecto ipſius timore contemnere. Neque ſi nobis abſque iuramento creditur: nã hoc eſſet ſuperuacaneum. Neque ſi res per alia teſtimonia probari poteſt: nam hoc eſſet teſtimonium a Deo oblatum repudiare. Neque coram quibuſuis, nam hoc eſſet leuitatis probo homine indignæ.

IVSTITIA opponitur iniuſto & illicito. Requirit proinde legitimum iuramentũ æquitatẽ & τὸ πρέπον. *Aequitas* quidẽ monet vt cogites quid Deo debeas, ne ipſũ ſuo honore ſpolies,

lies, quid magistratui, ne sis aduersus illum contumax, quid proximo cuique adesse in periculo oportet, quid denique causæ ipsi, quam veritatis testimonio fraudare iniustum est. τὸ πρέπον vero ne contra officium facias, neve te ad iurandum offeras tua sponte non habita ratione personæ & vocationis tuæ.

Cum hi sunt comites iusti iuramenti, quos ex Propheta adduximus, merito quæritur:

An cuiuis iurato sit credendum?

Resp. Si omnes iurarent iuxta leges a nobis propositas, merito omnibus iuratis credendũ esset. Verũ quia nõ tales sunt omnes, opus est iudicio ne cuiuis iurato credas. Vt autẽ hac de re rectius iudiciũ formetur, distinguendum est inter priuatum iuramentum, & solenne. Quantum ad priuatum iuramentum attinet, vide an is qui iurabit timeat Deum necne: id quod in vita & in moribus facile cernitur. Si non timet Deum, sed viuit scelerate, seu Epicureorum more, Menandro obtempera, qui ait:

ἀνδρὸς δὲ φαύλου ὅρκον εἰς ὕδωρ γράφε.

Nam nullum iuramentum viro improbo graue est. Qui enim audet patrare scelus, audet iurare scelus. Proinde insaniæ genus est, vt alius Poeta dicit, scelesto homini vel iurato credere. Nam idem est iuramentum meretricis, & improbi hominis. At si timet Deum qui priuatim tibi iurabit, ipsius iuramento credito, vt quod ex timore Dei proficiscatur, & in gloriam Dei tendat. Nam cum Paulus ait: Testis est mihi Deus, cui seruio in Spiritu, significat fidem habendam esse eorum iuramentis qui Deum timent. Qui autem hoc non facit, id est, non credit timentibus Deum, seipsum periurii suspectum reddit, iuxta illud:

ὅστις γὰρ ὀμνύοντι μηδὲν πείθεται, αὐτὸς ἐπιορκεῖν ῥαδίως ἐπίσταται.

Id est: Qui nemini iurato credit, is peierare facilè creditur.

Verùm si solenne præstatur iuramentum, præsertim promissorium, idque coram pluribus credere etiam possumus hominibus improbis & prophanis. Tametsi enim hi timore Dei non cohercentur, tamen duabus rebus vt iuramenta seruent, mouentur. *Primum* enim honestum inter homines retinere nomen student, quod amitterent si iuramentis non starent. *Deinde* pœnas metuunt si contra iuramenta facere

dēpræhēſi fuerint. Verū vbi nec nomē periclitatur, nec pœnæ metuuntur, ſatius eſt Dionis præcepto parere: μέμνησο ἀπιστεῖν. Atque hæc de comitibus iuſti iuramenti dicta ſufficiunt.

4 *In formulis iurandi duo ſpectentur*, videlicet iuratio ipſa, & ceremoniæ ſeu geſtus iurātiū. Si iurationē ipſam attēdimus, eius formulæ in Scripturis quatuor inueniuntur præcipuæ, quarū prima ſimplex, ſecūda obligās ſimpliciter, tertia obligās cū cōditione expreſſa, quarta obligans cū cōditione ſuppreſſa. Harum tamen omnium formarum eadem vis eſt.

Prima, videlicet iuratio ſimplex, eſt in qua obligatio non exprimitur verbis, quæ tamen ſemper ſubauditur, vt cum Paulus dicit ad *Ro.3. Viuit Dominus* ſenſus eſt: Deum viuentem & omnia cernentem teſtem inuoco, qui quoniam amans veritatis eſt, & vindex iniquitatis & mendacii, illi me obligo ad pœnam ſi fallo aut mentior.

Secunda, videlicet iuratio obligans ſimpliciter eſt in qua obligatio categorice exprimitur, id quod alias fit per vota & preces, alias per diras & execrationes. *Per vota & preces*, vt cum Ioſeph iurat his verbis. Viuit Pharao. Cuius ſenſus eſt: Ita viuat Pharao, vt hoc verum eſt quod iuro. Sed hęc formula qua vſus eſt Ioſeph nonnihil gentiliſmum ſapit, cuius loco nos vtimur: Sic me Deus adiuuet: ſeu: Ita Deus ſit mihi propitius. *Per diras & execrationes* fit, vt cum Paulus dicit: Deum teſtem inuoco in animam meam, 2. *Cor.*1. & 1.*Corinth* 15. Per gloriam noſtram quam habemus in Chriſto Ieſu. Item, ad *Rom.*9. Optaui anathema eſſe a Chriſto pro fratribus meis.

Tertia, videlicet obligans cum conditione expreſſa, vt cū Dauid ait *Pſalm.*7. Si feci iſtud, ſi eſt iniquitas in manibus meis, ſi reddidi malum pacem habenti mecum, perſequatur inimicus animam meam, & compræhendat & conculcet in terra vitam meam, & animam meam in puluerem reducat.

Quarta eſt obligans cum conditione ſuppreſſa, videlicet cum certa quidem nota ſignificatur obligatio, ſed tamen nō exprimitur. Vt cum Dominus ait *Pſal.*95. Iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiem meam. Hic ſignificatur obligatio particula, Si, quæ obligatio verbis non eſt expreſſa. Huic ſimilis eſt ea qua vtitur Abraham *Geneſ.*14. Si a filio vſque ad corigiam calceamenti, & ſi accepero ex omnibus quæ tua ſunt. Hic ſubauditur pœnæ imprecatio, ſcilicet Deus me puniat

niat hoc vel illo modo. Huius autem deficientis seu abruptæ iurationis vsus est, vt homines serio cogitent, quam horrendum sit incidere in manus Dei viuentis, ac prudenter apud se ęstiment iurantes quid agant: Perinde enim faciunt, ac si ipsi manum sibi iniicerent, ac se coram tribunali Dei sisterent. Hoc ergo fixum maneat in cordibus nostris, nunquam iurare homines temere, quin Dei vindictam in se prouocent, eumque sibi contrarium constituant. Hic quæstio se offert.

An liceat piis per creaturas iurare?

Respondeo clare quod nullo pacto liceat per creaturas iurare, cuius sententiæ tres rationes habeo, nempe: Mandatum Dei, Dignitatem hominis, & Genus operis. *Mandatum* Dei habetur *Deuteron. 6.* & 10. Per nomen meum iurabis. Hoc mandatum violant quisquis per creaturas iurauerit. Idem vult secundum præceptum Decalogi. *Dignitas hominis* præsertim Christiani est, quod homo sit constitutus supra opera manuum Dei, vt habet *Psalm.* 8. Quia ergo creaturæ omnes infra hominem sunt si dignitatem hominis in Christo spectes, profecto non licebit per creaturas iurare. Nam Epistola ad Hebræos dicit, quod omnis qui iurat, per maiorem se iurat: Quia ergo Deus non habet maiorem se, per semetipsum iurat. *Genus operis* idem conuincit: Est enim iuratio species quædam inuocationis. Si ergo solus Deus est inuocandus, & iuratio est inuocatio: profecto Deum suo honore spoliat, quisquis per creaturas iurauerit. Sunt proinde sacrilegi Papistæ, qui Deo in suis iuramentis adiungunt Sanctos, & quod magis adhuc sacrilegum est, reliquias Sanctorum.

Sed hic obiicitur.

Moses vir sanctus videtur iurasse *Deut.* 4. cum ait: Testes inuoco hodie cœlum & terram, cito vos a terra perituros esse, scilicet, si Dominum ad iracundiam prouocaueritis. Et *Deut.* 30. Testes inuoco hodie cœlum & terram, quod proposui vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem, elige ergo vitam, vt & tu viuas & semen tuum.

Respondeo.

Vir sanctus Moses, nequaquam hic iurat, neque per cœlū

neq; per terram: nõ enim idololatra fuit. *Quid ergo ſibi volunt verba Moſis?* Aliud eſt Deũ teſtem vindicem aduocare, aliud creaturam accuſantem nominare: cum ergo Moſes cœlũ & terrã in teſtimoniũ aduocat, nõ aſcribit illis deitatẽ, nec ius vlciſcendi, quod Dei propriũ eſt, quemadmodum prophani ethnici, ignari veri Dei, facere cõſueuerũt. Sed quo legi Dei ſua cõſtet authoritas, ſignificat nullã fore mundi partẽ, quæ non apud Dei tribunal, de populi iſtius ingratitudine teſtetur accuſet, clamet, ſi ſalutis doctrinã diuinitus ſibi cõmendatam reſpuit. Sic miniſtri Euangelij hodie poſſunt exẽplo Moſis dicere ſuis auditoribus. Teſtes inuocamus cœlũ & terram, quod proponimus vobis vitã & mortem, benedictionẽ & maledictionẽ, eligite ergo benedictionẽ vt viuatis. Quod ſi non feceritis, toties mundus in extremo die teſtabitur de veſtra ingratitudine, & exprobrabit vobis veſtram amentiã, qui potius mortem quã vitam, maledictionem quã benedictionem elegiſtis. Atq; ita dictum Moſis, ad nos admonendos & excitandos, proponamus, ſciamuſq; quod Moſes ſuis Iſraëlitis dixerat, nobis quotidie a miniſtris Euangelij dici, etſi non iiſdem verbis, eodem tamen ſenſu.

Sed quid de illis, ais, ſentiendum eſt, qui per animam, per vitã, per ſalutem, per liberos ſuos iurant? Reſpondeo.

Qui hoc faciunt, & hac forma vtuntur, quaſi fidei ſuæ pignora in mediũ deponunt, quę habent in mundo pręcipua. Non ergo iſto modo transfertur ad hominem mortalẽ Dei maieſtas, quia longe aliud eſt Deum citare teſtẽ, qui ius habet vlciſcendi, & penes quẽ eſt vitæ mortiſq; poteſtas, quã per rem nobis maxime charã aſſerere verum eſſe quod dicimus. Cum enim dico: Per animam meã: ſenſus eſt: Oppignoro Deo animã meam, vt eam puniat ſi fallo aut mentior. Sic de capite liberorũ &c. Quod autẽ hoc poſſit licite fieri, exemplum Pauli docet, qui Deo nunc animã ſuam, nunc gloriam ſuam quam habet in Chriſto oppignorat, vt ſupra diximus. Quæri præterea & merito poteſt:

Quid de illis iudicandum ſit, qui morte & vulneribus Domini abutuntur ad maledicendum? Reſpondeo.

Execranda blaſphemia eſt, & deteſtandus abuſus mortis & paſſionis Chriſti. Quid quæſo magis horrendum, quam pretioſa Chriſti vulnera, ad maledicendum aſſumere? Quid indignius, quam mortẽ Domini ad maledicendum rapere? vnde

vnde nobis benedictio & tota salus effluxit. Mirum profe-ctò est quod terra non sudet sanguinem ad tantas blasphe-mias,& viuos absorbeat eos,qui hoc toties & tam indigne faciũt.Nec est quod quisquã exemplis,cõsuetudine,aut im punitate se tueatur.Quilibet enim onus suum portabit.Etsi autem non præsens pœna sit,nullum tamen lucrum adfert dilatio,sed tarditas pœnæ, grauitate tandem cõpensabitur. Vt interim taceam,eos etiam nunc puniri, idq; grauissimis pœnis,etsi hoc non sentiant.Paulatim enim indurantur, do nec tota fides in illis extinguatur,atque ita tradantur iusto Dei iudicio.in reprobum sensum,vt suas execrationes pro ludo ac ioco habeant.Merito proinde laudandus quidã Rex Galliæ est,qui istam blasphemiã cohercendam grauissimis pœnis,videlicet,mutilatione membrorum statuit.Et si quis istis pœnis coherceri non poterat,ei linguam pręcidi iussit. Sed hodie (proh dolor) ea prophanitas ita obtinuit in om nibus hominum ordinibus vt frustra fere medicinam adhi-beas,vt dici solet:

Sero medicina paratur,
Cum mala per longas inualuere moras.

Atq; ita malum leuitate inchoatum, exemplis propaga-tum,consuetudine roboratũ,robore valet,vt prorsus sit ine mendabile, nisi omnipotens manũ suã adhibeat. Nam idẽ accidit longa consuetudine iurationi assuetis,quod Phrene ticis & Lethargicis,nam nec lege Dei se cohercere,nec sanis admonitionibus se excitari patiuntur.Quid ergo pij mini-stri Euangelij hic facient?Pergant strenue officium facere, coherceant lege,excitent admonitionibus & cõminationi-bus quantũ possunt,arceant a cœna Dominica inemendabi lis,& dum aliud nõ licet,gemant,orent,caueantq; diligen-ter ne contagione improborum inficiantur,neve iis reddan tur similes,quos sanare deberent.

Iam ad ceremonias & gestus iurantium veniamus.

Scribitur quod in quibusdã orientis partibus serui iuratu ri suis dominis,ponerent manũ subter lumbis dominorum suorũ,quo symbolo testabantur & suam obseruantiã erga dominos suos,& dominorũ suorũ in se imperiũ.Vnde *Ge-nes*.24.Abrahã seruum suũ adiurans ait: Pone manum tuam subter fœnore meo & iura.Femur enim in viris symbolum est roboris,potestatis,authoritatis,imperij.

Vocati ad officia Ecclesiastica siue Politica suis dominis iurant procumbentes in genua, in signũ subiectionis, obedientiæ, & officij præstandi in conspectu Dei, cuius imaginem agnoscunt eum cui iurant.

Similiter clientes fiduciarij, quos vulgo Vasallos vocant, flexis genibus iurant suis dominis fidelitatem, homagium præstant & obseruantiam pollicentur.

Cicero scribit morem Græcorum quidem fuisse iurandi causa ad aras accedere: Romanorũ vero aram inter iurandũ tenere: Hæc ceremonia seu gestus iurantium, symbolũ fuit supplicationis, qua iuraturi supplicabant Diis, vt testes essent veritatis & vindices mendacij.

Apocalyp. 10. Angelus leuauit manũ in cœlum, & iurauit per viuẽtẽ in secula. Leuatio manus in cœlũ gestus est significantes testẽ suorũ verborum in cœlo esse, qui ius habet vlciscẽdi in eos, qui in vanũ nomen suũ in terris assumpserit.

Quibusdam mos est posita manu dextera super pectus iurare, quod ex animi sententia iurent significãtes & quod nõ aliud verbis simulẽt quam corde sentiunt. Alij hunc gestum aliter interpretantur, videlicet, quod qui hoc facit significet se iurare per eum quem gestat in pectore, hoc est: per Deum ipsum cordium scrutatorem.

Scribitur de more Iudæorum, quod iuraturus stans nudis pedibus super cutem porcinam & dextero brachio innitẽs in librũ Mosis, dicat. Si illud verum non est quod dico, fiat mihi sicut Dathã & Abiron, quos terra viuos absorpsit. Fiat mihi sicut Sodomæ & Gomorrhæ additis insuper multis aliis diris & execrationibus. Cutis porcina erat abominationis extremę symbolũ, videlicet, quod iurans vellet haberi abominabilis coram Deo instar porci, si falleret aut mẽtiretur. Verum hoc tempore Iudæo vel iurato credere, nihil aliud est, quam sponte desipere. Nam Iudæi inter laudes numerant si possint Christianos iuramentis fallere, quemadmodum eos vsuris opprimunt.

Vrbanus Papa, eius nominis II. instituit, vt iuraturus imposita manu in librũ sacrum diceret: Ita me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia. Hic mos in multis locis retinetur, & est grauissima obligatio. Iurãs enim obligat se ad subeundam pœnam contempti Euangelij, si fallit. Quod nihil aliud est quam renunciare Christo cum suis beneficiis, si iu-

ramento non ſteterit.

In Schania & in Noruegia hic mos erat & adhuc in multis locis eſt, quod iuraturus manu impoſita libro ſacro dicat: Pono manum meam ſuper ſancta iudicia, & Deum appello, Deus ſit mihi clemens & propitius ſi vera dico, infenſus autem ſi mentiar. Hoc ſua lingua concepta verborum forma, ita exprimunt:

Jeg legger min Haand vaa Hellige domme/och ſtiuder mit mual til Gud, Gud ware mig ſaa mild och blijd/ſom ieg ſant ſiger/och grammer om ieg liuger.

Mos eſt in multis locis receptus, vt iurans tres digitos ſurſum verſus cœlũ ſuſtollat, quaſi oppignoraturus Deo famã corpus & animã, vt in eis ſe puniat, ſi fallat aut mẽtiatur. Nã per tres digitos famã, corpus & animam ſignificari ſcribũt.

Olim in his regnis Septentrionalibus horrificium experimentum in vſu erat, videlicet, vt iuraturus ad mandatum iudicis, manu candens ſeu ignitum ferrum geſtaret. Quod ſi manus manſit illæſa, abſoluebatur: at ſi læderetur manus, contra iurantem pronuntiabatur: Cæterum de occaſione, conſtitutione, præparatione, vſuq; & abrogatione iſtius moris, ſeu legis pauca aſcribemus. Eſt enim ea hiſtoria digna quæ cognoſcatur.

Occaſio hæc fuit. Cum Sueuo rex Daniæ eius nominis primus, vna cum ſuis ſatrapis & incolis vehementer opponeret ſe Chriſtianæ religioni, quam tametſi antea vna cum Patre Haraldo circa annum Domini 948. amplexus erat: nũc tamen in odium Patris & graciam ſubditorum eam eſt perſecutus: Poppo indigena Roma vbi in Chriſtiana pietate inſtitutus erat reuerſus, conatur patriam ad Chriſtianã religionem reuocare, a qua iam ſecũdo defecerat. Huic cum in magno conuentu hominum, cui Rex ipſe interfuit, data eſſet fandi copia, multos quidem mouit ſua oratione, ſed nullos permouit, vſque adeo difficile eſt anticipatas opiniones lõgo tempore cõfirmatas vel abſurdiſſimas abiicere. Cũ hic ſanctus vir Poppo amore Chriſti & patriæ ſuæ ardẽs videret ambigẽtes, erupit a ſpiritu Chriſti haud dubie impulſus in hãc vocẽ: Quid ſi amici viri ad cãdentis ferri tactũ manũ meã cerneretis illæſã, velletis ne tũ ſubire quæ vos hortor: Reſpõderunt omnes ſe velle Poppo igitur in chirothecę formã iuſſit ferrũ aptari, idq; ignitũ adferri. Rubuit igne ferrũ

Ille tamē intrepidus manū immisit vſque ad cubitū,deportauitq; ad locū vſq; conſtitutū. Ibi cū ad pedes Regis proiecisſet ferrū adhuc ſcintillās, victi miraculo Christianā fidē receperūt.ſpōteq; lauacrū regenerationis ſubierūt. Ex hoc miraculo candentis ferri omnia Chriſti miracula in his regnis vocarunt *Iertegen*,idq; in memoriā primi miraculi quo noſtri maiores ad fidem Chriſti ſunt conuerſi. Atque hactenus de occaſione,ſequitur conſtitutio legis.

Cū autem videret Rex cum ſuis,iſtud miraculū,rati ſunt quod in aliis caſibus etiā innocentiā hominū declarare poſſet, ſi adhiberetur. Conſtitutum eſt igitur & lege perceptū,vt quoties res ambigua eſſet,& non poſſet teſtibus determinari,præſertim in criminalibus,homicidiis,ſtupris, & adulteriis, exploratio fieret innocentiæ per contactū candentis ferri,& euētus reſpondit. Multi enim iſto pacto ſe ab infamia purgarūt,cū in Dania, tū in Noruegia & Liuonia.

Præparatio ad hoc horrificū experimētū hoc modo fiebat vt ſcribit Pieriꝰ in Hieroglificis: Homo accuſatꝰ alicuiꝰ criminis quod per teſtes probari non poterat,ſe purgare prius debuit ieiunio,cōfeſsione & Euchariſtia, & poſtea die a iudice cōſtituto cōparere & in pręſētia multorū e primis exēptū ferrū manu geſtare. Quod ſi illęſa mālit manus,innocēs pronūtiabatur. Verū ſi vlla vſtione lęſa erat manꝰ,cōtra illū pronuntiabatur. Hic mos etiā latius ſerpſit. Nā Cunegunda vxor imperatoris Hērici Sācti ſe a ſuſpicione adulterii, geſtatu cādentis ferri liberauit: de qua re ita ſcribit Cranſius. Idē Hēricus alioqui vir optimus & Chriſtianiſſimꝰ aliquādo Zelotypiæ malo in caſtiſsimā coniugē laboraſſe fertur, cū illā ex delatoribus quiſpiā militi putaret propenſiorē quā imperatori par eſſet. Id cū cōpertū eſſet pudiciſsimę fœminę,quod apud Regē ea ſuſpicione non careret, iuſsit igniri ferrum,& in conſpectu Regis candens deportauit, oſtenditque viro manus intactas. Vt a te,inquit, mi vir intacta permanſi,ſic ab omni mare,pone ſuſpicionem. Illæ ſanctiſſimæ fœminæ ad pedes prouolui incipiens, ab ea ſinitur, veniam humilime deprecatus. Hunc morem Honorius Papa eius nominis III. recte aboleuit. Nam iſto modo purgare non leuis eſt Dei tentatio, quam tamen Deus optimus in multis tulit.

Sunt præterea & notæ quædam διαβεβαιώσιος, hoc eſt, grauioris

uioris aſſeuerationis,quæ non ſunt iuraméta,ſed fidei.quædam ſolūmodo fulcra,vt cum dicitur:Vere ita eſt:profecto ſic eſt vt dico:In veritate dico , crede mihi: Et in noſtra lingva:*Bom mend*:*Bom naad*.Huius generis nobilis quidā Theologi exiſtimant particulam *amen* eſſe:inter quos eſt Baſilius, qui dicit hāc dictionē , *amen* in aſſeuerationibus adhiberi a Chriſto εἰς βεβαίωσιν τῶν ῥηθισομένων, καὶ πληροφορίαν τῶν ἀκουόντων hoc eſt , *ad confirmanda ea quæ dicturi ſumus, & vt auditores plene perſuadeantur.*

5. *Genera Iuramentorum ſequuntur* , quæ ſunt duo primaria & ſumma,quorum vnum aſſertorium , alterum promiſſorium a Iuriſconſultis & Scholaſticis appellatur.

Aſſertorium iuramentū eſt quo præterita vel præſentia aſſeueramus. *Promiſſoriū* futurū tēpus reſpicit , videlicet cū nos aliquid facturos,vel nō facturos atteſtatione nominis diuini promittimus. In Codice hæc diſtinctio extat,quod aliud iuramentū ſit voluntariū,aliud iudiciale,aliud neceſſarium. *Voluntariū* extra iudiciū defertur,& ſic dicitur quia ſpōte refertur & recuſatur.*Iudiciale* quod defertur in iudicio a parte parti,iudice approbāte & cōfortante, hoc poteſt recuſari & referri. *Neceſſarium* quod iudex defert, ſic dictum,quia neceſſitatem imponit nec recuſatur niſi iuſta de cauſa.

Poteſt etiam in hunc modum diſtingui iuramentum , vt aliud dicatur amicitiæ,aliud ſocietatis , aliud ſubiectionis, aliud confœderationis,aliud purgationis , aliud deciſionis.

Iuramentū amicitiæ eſt cū viri probi amicitiā inter ſe ineūt, interpoſito iuramēto, idq; nō principaliter cōmodi alicuius priuati cauſa,ſed potius veræ virtutis & pietatis. Talis fuit amicitia inter Dauidem & Ionathan quam nulla aduerſitas dirimere potuit,cuius vinculum geminum erat:vera virtus, & iuramentum interpoſitum.

Iuramentū ſocietatis priuata cōmoda ſpectat,vt cū plures negotiatores ſe cōiungunt , & ſe iuramēto aſtringūt,vt in pactionibus & negotiis fidem ſine fraude & dolo ſeruent.

Iuramentum ſubiectionis eſt cū vel ſubditi iurāt principi vel magiſtratui,vel clientes patronis , vel victi victoribus , vel contra:nam mutuam obligationem eſſe oportet. Sine hoc iuramenti genere,nulla reſpublica , nulla ciuitas , nullum regnum conſiſtere poteſt. Quare non ſolum licitum, verumetiam neceſſarium eſſe iudicabitur.

Iuramentum confœderationis intelligo non priuatorum ho minũ,ſed magnatũ,regũ,& principũ,videlicet cũ iuramentis ſe aſtringunt vt alii aliis non noceant, vel etiam vt coniũctis viribus verã religionem tueãtur,atq; ſe opponãt communibus hoſtibus.Hoc iuramẽti genus admodũ neceſſariũ eſſe nemo nõ fatetur. Verum hic proh dolor Diabolus ſæpe vtilia fœdera rũpit.Sed pii principes & reges norũt Solomonis dicta, *Prouerb.*12.Abominatio corã Domino labiũ mendax.Itẽ non decet principẽ labium mendax.Generoſę enim naturę vt ſunt amãtes veritatis, ita fœderũ ſunt cõſtãtiſſimi aſſertores.Oderũt Sophiſticã & periuria.Dãnanda eſt impudentia Antichriſti Romani,qui abſoluit principes a iuramẽtis vbi & quãdo ipſi viſum fuerit, ex quo factũ eſt quod res tandem eo deuenerit,vt in aula Pontificis iactetur hoc prouerbium: *Non regum & principum ſed mercatorum eſt ſtare iuramentis.*Quæ vox homine plane indigniſsima eſt,quæ teſtatur de defectione Papæ a Chriſto. Vnde non immerito in Pontificios quadrat illud Heſiodi:

οὔτε τὶς εὐόρκου χάρις ἔσσεται οὐδὲ δικαίου.

Hoc eſt: *Nec relligio iuriſiurandi, neque iuſtitia in vllo pretio eſt.*

Iuramentũ purgationis eſt cũ aliquis vulgo infamis habetur propter ſuſpicionẽ & iudicia alicuius facinoris. Hic cũ deſunt teſtes nec certus accuſator prodit, poteſt magiſtratus ei deferre iuramentũ,vt ſe iuramẽto purget, quo purgatus honeſti nomẽ tueri poſſit & facere opus vocationis maiori cũ fructu.Fama enim læſa inutilis labor hominis redditur,prę ſertim in Politica & Eccleſiaſtica gubernatione.Non ſecus atqui apicula inutilis eſt colligendo melli amiſſo aculeo.

Iuramentum deciſionis ſeu vt vulgo vocant deciſorium,eſt cum res controuerſa inter partes,alterius partis iuramento componitur:quo finis controuerſiæ imponatur.

Hic oritur quæſtio de iudice,an liceat ipſi cuiuis deferre iuramentum,& quauis de cauſa?

Reſpondeo quod nullo modo hoc liceat,cederet enim in prophanationẽ nominis diuini,& proceſſum iuris legitimi turbaret.Quare Chriſtianus iudex,hęc ordine perpendet. 1. Quod nõ liceat iudici alicui deferre iuramẽtũ, niſi deſtituatur aliis teſtimoniis,quẽadmodũ ſupra quoq; iudicatũ eſt.2 Quod nõ liceat in re leui & parui momenti,qua nec nomẽ

nec

nec res alicui⁹ periclitatur, nec gloria Dei agitur: Hic enim authoritas iudicis sufficiat ad litis transactionem: qui non paret, contumaciǫ reus fit. 3. Quod actori potius quã reo iuramentũ deferat, accusanti enim, iuxta legitimũ iuris processũ, incũbit probatio. 4. Si probatio actoris prorsus deficiat, lege talionis actor tenebitur. At si fuerit semiplena, vt vocãt, & reus in aliqua suspicione hǫret, potest iudex reo iuramentum deferre, vt se ab obiecto crimine purget. Verum hic rursus quæritur:

An iudex si habeat aliquẽ suspectũ quod sit futurus periurus si iurauerit, possit licite ei iuramentũ deferre, præsertim cum nemo debeat alteri occasionem peccandi præbere?

Respondeo. Iudex aut vere scit quod iuratur⁹ sit se in periuriũ præcipitatur⁹, aut suspicatur tãtũ: Si vere scit ipsũ peieraturũ esse, nullo modo deferat illi iuramẽtũ sed vel differat iudiciũ, vt tempus, cuius filia veritas dicitur, veritatẽ in lucẽ proferat, vel defungatur iudicis officio, & induat personã testis feratq; veritati testimonium. Huc facit Augustini dictũ Sermone 11. de collatione Ioh. Baptistæ Tomo 10. Ille qui hominẽ prouocat ad iurationẽ & scit eũ falsũ iuraturũ esse, vincit homicidã. Quia homicida corp⁹ occisur⁹ est, ille animam, imo duas animas, & eius animã qui iurare prouocauit, & suã. Scis verũ esse quod dicis, & falsũ quod ille dicit, & iurare compellis, ecce iurat, ecce periurat. Tu quid inuenisti? imo & tu periisti, qui de illius morte satiari voluisti. Hæc Augustinus.

Hinc etiã liquet quod iudex non tantũ debeat respicere ad allegata & probata, vt quidã volũt, verũetiã cauere, ne cõtra conscientiã propriã iudicet. Scriptũ est enim *Zach.* 7 Rectũ iudiciũ iudicate. Itẽ. Qui iustificat impiũ & condẽnat iustũ, vterque est abominatio corã Domino. *Prou.* 17. Si ergo scit iudex falsũ esse quod allegatur & probatur tãquã verũ, & iudicat secundum allegata & probata, peruertit iudiciũ Dei, conscientiam vastat, iustum condemnat, impium iustificat, atque ita multis peccatis se inuoluit.

At si suspicatur tantũ reum fore periurũ si iurauerit, primũ iudex pi⁹ admoneat iuraturũ de periculo & pœna periurii, admoneat vt cogitet apud se ne propter id quod min⁹ est, a-

mittat maiora, ne propter tẽporalia amittat ęterna, ne cũ famã cõseruare velit suã, perdat animam. Si iudex huiusmodi admonitione nihil profecerit, deferat suspecto iuramẽtũ, ac relinquat illũ iudicio Dei. Nã si hac via processerit, iudex nõ est dicẽdus prębuisse periurii occasionẽ: *Primũ*, quia qui cogitat peierare periurus est, etiãsi non iurat: *Deinde* quia iudex minister legis est, cui si non paruerit, contra officium facit. Lex enim est quę iuramentũ defert, homo solũmodo legis minister est. Pręterea iudex societatem humanã intuebitur, quæ vt sit incolumis opus est vt litium decisio quando aliter fieri nõ potest, fiat per iuramentũ, etiãsi suspicio periurii subsit. Nã pluris facienda est veritas (vt ait Bernardus) quam vnus. Sed plena de hac re doctrina ex monumẽtis iurisconsultorum petatur. Nos tantum conscientię pii iudicis rationem habuimus.

6. *Vitia incidentia inter iurandũ* ex hominũ culpa duo sunt in genere, videlicet, Vanitas & Periuriũ. Nam & qui vane iurat & qui peierat, religionem iurisiurandi violat. Vane autẽ iurat qui iurat false, illicite, temerarie, fallaciter: Quæ hoc modo distinguantur. *False* iurat, & qui iurat verum esse, quod falsum esse putat, & qui iurat falsum esse, quod verũ esse existimat: & qui iurat falsum quod putat esse falsum, & non est, & qui iurat verum, quod verum putat esse, & nõ est. In omnibus his est vanitas. *Illicite* iurat qui contra officium & de re leui iurat. *Temerarie* iurat qui de re nullius momenti, & ex praua consuetudine iurat. *Fallaciter* iurat, qui decipiendi causa iurat, qui ambigue iurat, & malo animo. Plura de hoc vitiorum genere supra aliquoties aspersa sunt, præsertim cum de comitibus iuramenti ageremus.

Alterũ vitiũ inter iurandũ incidens est periuriũ. Etsi autẽ quidam periuriũ generalius accipiũt, tamẽ proprie locũ habet in promissionibus iuratione firmatis, videlicet, cũ iurati expectationẽ eorũ quibus iuratũ est fallunt. Est enim periuriũ iurisiurandi peruersio, id est violatio & trãsgressio, qua decipitur is cui iuratum erat. Periuri etenim dicuntur qui iurando ius peruertunt, id est, qui fidem datam frangunt, & promissionẽ factam iureiurando interposito in mendacium conuertunt, (id est, qui fidẽ datam frangunt.)

Leuit.19. si textum Hebraicum sequamur scribitur: Non iurabitis

iurabitis in nomine meo ad mẽdaciũ. Hoc Hieronymus nõ verbis insistẽs, sed sentẽtiã exprimẽs vertit: Non peierabitis in nomine meo. Ex quo patet quod Hieronymo idẽ sit, iurare ad mendaciũ, & peierare. Iurare autem ad mendacium est, vt dixi, promissionem factam attestatione Dei in mendacium conuertere, quo decipitur is cui iuratum erat.

Est autem duplex periurium, vnum ex euentu, alterum ex proposito.

Periurium ex euẽtu est cũ is qui iurat se aliquid facturum, vel non facturum ex animi quidẽ sui sentẽtia iurat, & certo apud se statuit, quod nolit decipere eum cui iurauit: sed postea tamen mutata sententia non stat iuramẽto præstito, sed fallit expectationem eius cui iurauit. Dico autem mutata sententia: nam qui propositum retinet præstandi iurata, non est dicendus periurus, si ab aliqua fortiori causa impediatur, quo minus præstare possit quod iurauit. Iurat quis adulterę perpetuã consuetudinem, & hoc ex animi sententia facit, sed postea rectius edoctus mandato Dei vt fortiori causa impeditur, quod non stet iuramento. Hoc genus periurii solummodo agnoscere Cicero videtur cum ait: Peierare nõ est falsum iurare, sed id non facere quod ex animi tui sententia iuraueris, sicuti verbis conceptum est.

Periurium ex proposito est cum quis verbis quidem iurat se hoc vel illud facturũ, sed habet propositũ fallẽdi expectationẽ eius cui iurat. Magister sententiarũ in hunc modum definit periuriũ. Periuriũ est, inquit, mendaciũ iuramento firmatũ. In qua definitione duo desidero. *Primum* quod excludat genus præcipuum, videlicet periuriũ ex euentu quod nõ est mendaciũ cũ præstatur. Deinde extendit suã definitionẽ ad ψευδορκίαν quæ assertorio iuramento subiicitur & distinguitur ab ἐπιορκία quæ promissio subditur. Etsi autem non omne periurium, vt ex dictis patet, est mendacium in eundem tamen hominem vtrunque, hoc est, periurium & mendaciũ facile cadit, quemadmodum & Cicero testatur cum ait: Quid interest inter periurium & mendacẽ? Qui mentiri solet, peierare consueuit, quẽ ego vt mentiatur inducere possum, vt peieret exorare facile potero. Nam qui semel a veritate deflexit, hic non maiore religione ad periurium quam ad mendacium perduci consueuit.

Porro vt maiori diligentia caueatur periuriũ expendamus

quæ mala in eo concurrant. Etsi autem Moses cum periurium pollutioné nominis diuini vocat. *Leuit*. 19. satis ostédit quam horrendũ scelus sit peierare: tamé distinctius ea explicabimus, quo istud maiori odio prosequamur ac fugiamus, Concurrũt, ait Melanchthon, in periurio quatuor: quæ sunt: Mendacium, Falsa inuocatio, Contemptus comminationis diuinæ, & Obligatio mendax.

Mendacium per se grauissimũ scelus est, & tametsi periuriũ nõ est proprie mendaciũ, tamen quia euẽtus mẽdax est, recte dicitur, in iuraméto cõcurrere mendaciũ. Et quia mẽdaciũ proprium est symbolũ militantium sub vexillo, Diaboli. satis apparet quam sit detestabile scelus periurium.

Falsa inuocatio hominem vt prophanum a Deo segregat, eumque membris Diaboli copulat.

Contemptus cõminationis diuinæ quãtũ malũ sit in primis nostris parẽtibus videre est, id quod & nos propria experientia cognoscimus. Quicquid enim miseriarũ est cui subiectũ est genus humanũ, a contemptu comminationis diuinæ ortũ trahit. Nã quid est aliud cõminationem diuinã contemnere, quam Deũ abiurare, & manum Diabolo porrigere, eiusque imperio se sponte subiicere? Ideo quidam non immerito dixit: Qui peierat, Deo qui est veritas, & iusticia, ad mẽdacium & iniustitiam abutitur.

Obligatio mendax quod peierans obligat se quidẽ Deo ad pœnã verbis, sed animo prouidẽtiam Dei negat. Putat enim Deum non curare res humanas, non vere esse amantem veritatis & vindicem omnis iniusticiæ, fraudis, & mendacii. Hæc cogitet cuicunque pietas cordi est.

7. *Pœna* sequitur quã sibi vane & perfide iurantes accersunt, iuxta comminationem diuinã *Exod*. 20. & *Deut*. 5. Non habebit Iehouah insonté, id est, impunitũ eum qui assumpserit nomẽ eius in vanum. Hæc comminatio est qua minatur Deus pœnas vane iurantibus. Quid ergo futurũ est illis qui perfide iurant, id est, qui peierant? Hæc comminatio serio cogitetur, plura enim in se continet. Nam non sine magna ratione factum est, quod legi de non vsurpãdo nomine Dei in vanum minæ tam graues statim adiectæ sunt. Nam ideo haud dubie hoc factum est, vt admoneat nos & imbecillitatis nostræ, & grauitatis peccati vane & perfide iurantium, & benignitatis iusticiæque diuinæ.

Nã si nos respicimus, vt ab adolescẽtia proni sumus ad omne malũ: ita maxime procliues depræhẽdimur ad hoc peccatũ perpetrandũ. Ad huius ergo imbecillitatis nostræ cogitationẽ excitat nos cõminatio diuina. Quantũ autẽ vtilitatis habeat propriæ imbecillitatis cognitio & cogitatio, nemo nisi expertus nouit. Cautius enim ambulat, cauet insidias, humilis in conspectu Dei versatur, ardenter precatur, fugit occasiones. Proinde cũ hanc Domini cõminationẽ cogitamus, simul nobis in mentẽ veniat nostra imbecillitas & procliuitas ad hoc peccatum, vt deprecemur lapsus præteritos & caueamus futuros.

Si peccati huius grauitatẽ attẽdimus, necesse est fateri esse maximũ. Non enim cõtentus erat Deus legem dare, vt nobis de ipsius voluntate constaret, verumetiam voluit nimis grauitatem sceleris ante oculos ponere, vt pœnæ grauitas in obedientia contineret.

Si benignitatẽ & iustitiã Dei respicimus hic nobis vtramque cõmendat. Nã cum hominum perditione minime delectatur hisce minis nos deterret, ne ipsius iram & offensionem subeamus, sed potius illum beneuolum & benefacientem quam iratum & punientem experiamur.

Omnes comminationes in vane & perfide iurãtes vbiq́ue in scripturis leguntur, ex hac tanquam ex fonte manãt, quare illam diligentius expendendam iudicaui.

*Syrac.ca.*23. Iurationi nũ assuescas os tuũ, multi enim casus in illa. Sicut enim seruus crebro vapulãs nõ caret vibicibus: Ita qui iurat atque assidue nomen Domini vsurpat, nõ facile culpa carebit. Hac similitudine serui sæpe vapulantis, signaque verberationis in corpore exhibẽtis significatur in animo frequentius iurãtis vestigia malæ cõscientiæ impressa esse, quasane pœna nulla alia in hac vita cogitari potest grauior.

Idẽ in eodẽ capite. Vir multũ iurans replebitur iniquitate, & non recedet a domo eius plaga: Cum impie quicquam commiserit ipse culpam suam sustinebit, quã si non agnoscit, delinquit dupliciter. Has comminationes extruxit Syracides ex comminatione legi de non de vsurpando nomine Dei in vanum addita.

Nec est quod quisquã existimet Syracidẽ nimis exaggerare cõminationẽ diuinã, vt isto pacto homines a iurandi cõsuetudine abducat: Nã sapiẽs ille & sanctus vir bene intel-

texit quæ sit peccati natura, & quantã molẽ malorũ secum vel vnũ peccatũ sæpius iteratũ attrahat. Nam fides extinguitur: Spiritus sanctus excutitur. Mens fit reproba: Cor induratur: Conscientia stupescit & quasi veterno quodam sopitur. Hoc pelagus malorum sequi necesse est.

Sed audio quomodo se excusat homo vanus. Non serio iuro, ex consuetudine & non ex malitia iuro: Linguã ream nõ facit, nisi mens rea. Hæc excusatio non est iusta, sed est antiqui serpentis venenatus sibilus, quo homines seipsi sponte inficiũt, donec intereũt. Potius proinde audiamus Sapientẽ qui ait: At ne temere quidẽ vsus iuramento, innocẽs iudicabitur, nam domus eius crebris incursionibus appetetur. Et Seneca grauiter ait: Nemo se tute periculis offerre crebro potest: Neque mens est sine reatu, quæ linguam non regit, sed sinit eam petulanter ruere contra interdictum Dei.

Deinde qui crebrius iurat, magnũ sibi periculũ creat. Nã a facilitate iurandi etiã quæ vera sunt, cõsuetudo iurãdi nascitur, a consuetudine in temeritatẽ & vanitatẽ fit lapsus: vnde facile est præcipitari in periuriũ: Ex periurio in quæuis alia scelera, quibus Deus iurãdi vanitatẽ punire solet. Neque mirũ videbitur nobis tot pœnis & tã variis obnoxios esse & puniri eos qui sine necessitate iurãt: cũ vane iurando Deus cõtumelia afficitur, polluitur ipsius sanctum nomẽ, homo cui iuratur decipitur, proximus exemplo ad imitationem inuitatur, aperitur ianua ad tollendã fidem inter homines, blasphematur nomen Dei inter hostes religionis & multi scandalo inficiuntur & pereunt. Atque hactenus de pœnis vane & perfide iurantium in genere dictum sit.

Nũc ad periurij pœnã seorsim descendamus, quã nõ solũ verbũ Dei, verumetiã ratio & experiẽtia maximã esse testantur. Cicero admodũ rotunde hanc cõplexus ait: Periurij pœna diuina, exitiũ: humana, dedecus: Menander periurij pœnã etiã ad posteritatẽ extẽdit, nam cito hominis periuri posteritatem aboleri affirmat, haud dubie multis exemplis & historiis edoctus. Sed ad exempla veniamus.

An non propter fœdus olim initũ a populo Dei cũ Gabaonitis violatũ tota familia Saulis regis ex mãdato Dei est deleta, regnãte Dauide? Vt est 2. *Reg.* 21. Nam cum fames totum triennium populum Dei affligeret, Dauid Dominum interrogat, quæritque causam huius tanti mali. Cui Dominus

minus respondit, hoc accidere propter Saulẽ, & propter domum sanguine pollutam, quia delere conatus est contra fœdus Gabaonitas. Hæc historia confirmat regulam:

πολλάκι καὶ ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ. hoc est:

Sæpe vnius ob flagitia totus populus plectitur.

Iehosua, nempe princeps populi Dei promiserat iureiurando interposito Gabaonitis. *Ios 9* securitatem, quibus omnes successores Iehosuæ propter iuramentum pepercerunt vsque ad regem Saulem. Saul autem ardens zelo pro filiis Israel & Iuda, in Gabaonitas sæuire incepit atque eos interficere, contra fœdus quod cum iis pepigerat Iehosua. Cuius fœderis violationem Deus post mortem Saulis iussit puniri in eius familia. Ex quo factum est vt filii septem Saulis suspensi sint in patibulo, atque ita tota ipsius familia sit propter istud periurium deleta, excepto vno Miphiboseth filio Ionathæ, idq. itidem propter iusiurandum Domini vt textus indicat, quod erat inter Dauidem & Ionathan.

Sed operæpretium est examinare quibus rationibus sit perductus Saul, vt hoc facinus committeret. Nam harum rationum examinatio vtiles admonitiones nobis suppeditabit. Recitabimus itaque res quibus permotus videtur: harum *Prima* est quod Gabaonitæ mendacio & fraude effecerunt, vt Iehosua secum pactum iniret. Vnde conclusit hypocrita, fidem illis minime seruandam esse, cum a fidelibus mendacia & fraudes abesse debeant. *Secunda* Saul hypocrita fœdus cum Gabaonitis initum esse contra legem Dei quæ est *Deuter.* 20. iudicauit. Ibi enim Deus iubet omnes Cananæos, inter quos fuere Gabaonitæ, deleri. Quare censuit Saul isti iuramento non esse standum, vt quod videretur pugnare cum lege Dei. *Tertia*. Putabat sibi licere, cum rex esset, facere in suo regno, quod sibi maxime expedire videbatur, præsertim cum ipse non esset pactus cum Gabaonitis, sed Iehosua qui ante multos annos mortuus erat. Hisce rationibus potissimum motus videtur esse Saul, nec dubium est plurimum ad didisse animi impio regi impios subditos, quales ipse plurimos habuit. Nam qualis princeps, tales plerunque sunt subditi. Nam *Mobile mutatur semper cum principe vulgus.*

Sed videamus quantum quælibet harum rationũ valeat.

Prima. Fides non est seruanda iis qui mẽdacio fraude & dolo malo agunt. Resp. Concedo indignos fuisse Gabaonitas, quibus

quibus fides seruaretur. At Deus quem testem vocauit Iehosua, dignus erat cuius nomen non pollueretur inter gentes. Et tametsi Iehosua excusari potuisset a periurio intellecto Gabaonitarum dolo, tamen vt vir sapiens & prudens fecit, quod isto tempore maxime expedire videbatur. Nam si Gabaonitas mendaces deleuisset, statim populus Dei inter gentes fuisset traductus in contumeliam Dei tanquam pactorū & fœderum, adeoque omnis veræ religionis esset contemptor. Quare visum est Iehosuæ, non violatione fœderis, sed perpetua seruitute fraudem Gabaonitarum punire, seruato iureiurando, quod eos delere non voluerit. Hac pœna Saul, vt ipsius antecessores, contentus esse debuerat. Paulus dicit: Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Prudentis ergo est non solum videre quid liceat, verumetiam quid expediat.

Secunda. Deus iussit deleri omnes Cananæos, ergo Iehosua non recte fecit, quod Gabaonitas qui inter Cananæos erant, non deleuerit. Respondeo. Legem istam intelligendam esse de rebellibus & arma sumentibus contra populum Dei, id quod tribus rationibus confirmari poterit. *Primum* ab exemplo Dei. Mos Dei est rebelles & contumaces punire: Cōfugientibus autem ad gratiam parcere. Quare Iehosua Dei morem imitatus non peccauit parcendo Gabaonitis. Deinde generosi animi est

Parcere subiectis, & debellare superbos.

Adhæc mos est omnibus prudentibus gubernatoribus parcere supplicibus, vt in versu dicitur:

Non violandus erit supplex, sacer esse putetur.

Quare laudandus est Iehosua, qui rationem suplicum habuit. Cuius exemplum pios gubernatores imitari decet.

Tertia. Saul non pactus est cum Gabaonitis, sed Iehosua, quare licuit Sauli vt regi pro vtilitate sui populi, quod maxime expedire videbatur facere. Respondeo Discernendum est inter successores in imperiis & victores. His licet antiquas leges abolere, & nouas ferre pro suo arbitrio: illis autem minime præsertim pugnantes cum antiquis pactis, fœderibus & priuilegiis. Obligatione enim fœderum quæ sanxerunt antecessores, eorum successores tenentur. Quæ si violauerint, periurii crimine tenentur, quemadmodum hæc historia Saulis perspicue docet. Id quod etiam ratum esse debet

debet in ſubditis. Nam quod maiores mei vt ſubditi iurarunt principi meo, ad hoc ego obligor eodem iuramento. Quod ſi violauero, in periurium incurro.

Quid dico de vna familia, cum etiam propter vnum periurium totum regnum Iuda ſit euerſum? Zedechias ſiquidem iuramentum dederat Nabugodonoſor, ſe in ipſius fide permanſurum. Sed poſtea violato fœdere defecit, & ad regem Ægypti transfugit, propter quod periurium vaſtatum eſt totum regnum Iuda, maxime autem vrbs ſancta & chara Deo. Ne autem alio transferamus eius vaſtationis cauſam quam ad periurium Zedechiæ, vox Dei nos confirmat. Ezechielis 17. Hæc dicit Dominus Deus: Viuo ego: niſi iuramentum meum quod ſpreuit, & fœdus meum quod præuaricatus eſt, dedero in caput eius, & expandam ſuper eum rete meum, & cōprehendetur in ſagena mea, & adducam eũ in Babylonem. Hic notandum quod Dominus ſuum iuramentum & ſuum fœdus vocat, quod initum erat inter Zedechiam & Nabugodonoſor, vt maioris perfidiæ reos eſſe pactorum ac fœderum violatores ſciamus.

Horoſius libr. 5. cap. 18. ſcribit quendam populum, Romanorum legiones quibus ſe dedidit, & per iuramentum pacem cum ipſis iniit, ſubita perfidia ex inſperato occidiſſe: Vnde ſtatim in ſignum vltionis tanti periurij, panem fractum apud populum iſtũ ſanguine manaſſe, animalia quoque domeſtica ab hominibus ad ſyluas diſceſſiſſe, balatibus, mugitibus & latratibus cœlum repleuiſſe. Et tandem populus iſte a L. Pompeio eſt victus, & plane extinctus, vſque ad quatuor millia, qui iuga montis petentes, ibi ira Dei crudeliori periere.

Memorabilis hiſtoria extat de Vvladiſlao Vngariæ & Poloniæ rege, qui propter fœdus violatum a Turca Amurate occiſus eſt. Hiſtoria autem hęc eſt: Ioannes Hunniades Turcam Amuratem magna affecerat clade, ita vt Amurates cogeretur inducias facere cum Vvladiſlao rege Vngarorũ. Et factæ ſunt induciæ vſque ad decennium. Aliquanto autem poſt diſputatum eſt a Pontificiis (cum Amurates vix ex Europa in Aſiam traieciſſet) an fœdere rupto bellum renouandum eſſet contra Amuratem. Sciebant enim iam Turcicas vires magna ex parte fractas eſſe. In hac diſputatione tandem vincit Iulianus Cardinalis, etſi vehementer ſe il-

li opponeret Ioannes Huniades. Contendebat enim Iulianus fœdus initum cum Amurate non debere esse ratum, cum factum esset sine consensu Papæ, & licere Papæ iuramenta præsertim hostibus nominis Christiani præstita religiosa authoritate rescindere. Hoc facile Vvladislao regi iuueni persuasit. Frangitur ergo fœdus, indicitur bellum de nouo Amurati, quo cognito Amurates Vvladislao occurrendum esse statuit, & bellum commissum est ad Vvarnam ciuitatem, non procul a Constantinopoli sitam. Verum cum Amurates congressurus esset cum hoste, & videret in vexillis Christianorum cruces (singula enim vexilla suas cruces rubras habuere) erumpit in hanc vocem: Tu Christe de quo gloriatur mei hostes, si amans es fœderum & vindex perfidiæ ostende hoc die, ac vindica me de meis aduersariis, qui violatis perfide induciis, me armis infestant. Concurritur vtrinque, acris fit pugna, tres dies & tres noctes continuas, adeo vt cæsorum sanguine campi stagnarint. In hac pugna Vvladislaus rex fœdifragus, Iulianus Cardinalis periurij suasor, & præcipua pars nobilitatis Poloniæ occubuit, cum multis præstantissimis viris, excepto Ioanne Huniade, qui bellum contra inducias inferre Amurati dissuaserat. Deus enim hoc modo se amantem fœderum significauit. Et voluit hunc præstantem ducem ad maiores res gerendas pro Ecclesia conseruare. Hoc bellum rebus Christianis summum detrimentum attulit, & salutem Europæ hostibus prodidit. Gestum autem est hoc bellum, anno Domini 1444. 10. Nouembris. Quod merito hoc tempore Christianos principes de fœderibus seruandis, & pœna periurij admonere deberet. Nunquam enim periuria manent inulta.

8. *Remedium aduersus prauam & inueteratam* iurandi consuetudinem efficax, multis modis præferendum est quibusuis remediis, quibus corporis valetudo recuperari potest. Quare si hæc magnifacimus, vt par est, illud multo magis est expetendum quo animæ, quæ longe est corpore præstantior, sanitas amissa restituatur. Optandum proinde est tale aliquod inueniri posse, cuius vis intima animæ penetret. Nam vt corpori non prodest remedium, nisi intra tret. Nam vt corpori non prodest remedium, nisi intra corpus recipiatur: ita animæ remedium nihil conducet, nisi ore, vt ita dicam, animæ in intima recipiatur, & quasi in

si in vtero animæ concoquatur, quo suam virtutem in totam animam, & ex anima in vitam moresque transmittat. Porro vt remedia corporis ex multis, vt aiunt, simplicibus quorum virtus in vnum coit, constant. Ita remedium quo sanatur anima habet sua veluti simplicia, quæ coniuncta vim sanandi habent admirabilem. Hoc tamē discrimen est, quod anima interdum vel vno ex illis simplicibus quæ promemus ex sacrosancto myrothecio Dei sanari poterit, id quod in corporis curatione fieri nequit. Iam ordine remedij nostri partes proponemus & offeremus iis qui sanitatem animæ a pestifera iurandi consuetudine expetunt.

Primum ergo remedium aduersus iurandi consuetudinē est Timor Domini sanctus, quo nullum aliud amuletum efficacius dari poterit. Nam hoc adeo efficax est, vt si in animam receptum fuerit, solum sufficiat animæ peste vanæ iurationis infectę sanandæ. Quomodo autem hoc remediū applicandum sit docet Augustinus cum ait. Domabis (scilicet iurandi consuetudinem) si vigilabis, vigilabis si timebis, timebis si te Christianum esse cognoueris. Et rursus. Vetustissimam consuetudinem (scilicet iurandi) timore Dei frenemus, vt frenata restringatur, restricta languescat, languescens eneruetur, & malæ consuetudini bona succedat. Timeamus ergo Deum serio & timori Dei admisceamus ardentem inuocationem. Quod si fecerimus non solum a peste iurationis tuti erimus, verumetiam ab omni veneno & fascino, quo anima lethaliter infici & fascinari potest. Non enim frustra in Scripturis sæpius inculcatur: Timor Domini initium sapientiæ est. Item. Timor Domini intellectus bonus omnibus facientibus eum.

Secundum remedium est cogitatio periculi, cum quo coniuncta est frequens iuratio, etiam vera. Vnde Augustinus. Falsa iuratio exitiosa est, vera iuratio periculosa est, nulla iuratio secura est. Tu igitur qui scis te sæpius vulnerasse conscientiam tuam vana & temeraria iuratione, stupidior profecto es pisce, si periculum summa diligentia non caues. Nā

Qui semel est læsus fallaci piscis ab hamo,
Omnibus vnca cibis æra subesse putat.

Tertium remedium est cogitatio scandali quod profecto grauissimum est. Tu iuras, offenditur qui te iurātem audit, cum sæpius hoc audit exemplo tuo abusus iurat: alios of-

fendit & ædificat ad gehennam,atq; ita texitur longa ſcandalorũ tela. Memor ergo ſis dicti Domini dicentis: Qui offenderit vnum de paruis iſtis qui in me credunt, expedit ei vt ſuſpendatur mola aſinaria de collo eius, & demergatur in profundum maris, *Matth.* 18.

Quartum remedium eſt diſciplina, eaque triplex, Politica, Eccleſiaſtica, & Domeſtica.

Politica diſciplina penes magiſtratum eſt Politicum, huius enim munus eſt exemplo legibus & pœnis temeritatem iurandi in ſubditis cohercere. Quod ſi neglexerit, magnam ſui officij partem neglexerit. Eſt enim magiſtratus politicus, quantum ad externam diſciplinã attinet cuſtos vtriuſque tabulæ, id quod ſymbolo libri qui datur regibus in manum dum inaugurantur ſignificatur. Propter quam cauſam etiam Deus illis ſuum nomen communicat, vt Pſalmus habet. Ego dixi Dij eſtis. Dicuntur autem Dij quia ſunt vicarij Dei, ſeu organa quibus Deus homines regit in hoc mundo. Quare merito laudandus eſt Ludouicus Nonus rex Galliarum, qui ſeuera diſciplina ſuos ſubditos ne temere iurarent præſertim per mortem & vulnera Chriſti, cohercuit. Nam ſcribitur quod ciuem quendam Pariſienſem propter diras per mortem & vulnera Dei admoto labiis ipſius candenti ferro punjuerit, vt in iis per quæ peccauit torqueretur, in terrorem & in exemplum aliorum. Verum cum hoc quidam ex Satrapis iudicarent crudelius, adeunt regem, improbant factum. Quibus ſanctus Rex reſpondens: Optarem, inquit, mihi tale ſtigma inuri labiis meis toto meę vitæ tẽpore portandũ, modo poſſem blaſphemiam iſtam de regno meo tollere. Præclara ſane vox & digna Chriſtianiſſimo rege. Cuius exemplum ſi multi imitarentur hodie minus prouocaretur ira Dei, & ſanctior eſſet & priuata & publica diſciplina.

Eccleſiaſtica diſciplina in Eccleſiis optime conſtitutis adminiſtratur non a ſolis Paſtoribus, ſed a ſenatu Eccleſiaſtico qui Paſtoribus adiunctus eſt, idque vt ſua authoritate & prudentia omnia moderetur. Quod ſi quis admonitus cõtumaciter reſiſtit is per ſententiã ſenatus excluditur a cõmunione, Paſtore ſententiã publice proclamãte. Reſipiſcens autẽ ſententia eiuſdẽ ſenatus, rurſus in Eccleſiã recipitur, & ad vſũ cœnę admittitur. Verũ cũ talis ſenatus nõ ſit in noſtris

Ecclesiis, vbi tota disciplina Ecclesiastica ad Pastores deuoluitur, volo breuiter iudicare quomodo pius Pastor se in hac disciplina gerat.

Consistit autem hæc Pastoralis disciplina, in doctrina, admonitione, obiurgatione, obtestatione, exemplo Pastoris, & exclusione contumacis a sacra cœna.

Doctrina semper pręcedat & sępe repetatur, vt sciatur, quid credere, quid facere, quid fugere, & quid expectare oporteat

Admonitio ex doctrina fluat. Hac obliuiosis quasi in mẽtem reuocetur quid fieri conueniat. Hæc blanda & amica oratione sine omni acerbitate fiat.

Obiurgatio est delinquentis correptio & castigatio paterna, quæ fit seueriori oratione. Hæc locum habet, quando sola admonitione non corrigitur & emendatur qui peccauit.

Obtestatio vlterius progreditur, quæ est precatio cum adiuratione & cõminatione, videlicet cum Pastor reũ precatur, adiurat per salutem ipsius vt se emendet, & simul admiscet cõminationes pœnarũ, quibus se inuoluunt temere iurãtes.

Exemplum Pastoris doctrinæ erit quasi viua quædam regula, confirmatio & obsignatio. Ita enim decet Pastorem viuere, vt possit iure cum Paulo suis auditoribus dicere: Imitatores mei estote, sicut ego Christi. Meminerit itaque Pastor, quod olim puer ex Catone didicit:

Turpe est doctori cum culpa redarguit ipsum.

Nam quid quæso probrosum est magis, quam doctrinam moribus oppugnare? Qui enim hoc facit plane tam augusto officio, non magis idoneus erit quam apicula mellificationi, quę aculeum amiserat. Aculeus siquidem doctoris est potissimũ vitę eius integritas. Nã qui aliũ docet, admonet, obiurgat, obtestatur, ipse docendus, admonendus, obiurgandus, obtestandus, audiet absq; dubio, non sine pudore. *Medice cura teipsum.*

Porro si pius pastor nihil hac disciplina profecerit, contumaces excludat ab vsu sacræ Cœnæ. Non enim minus iudico crebro iurantes arcendos esse a mystica Cœna, quã scortantes quibus (proh dolor) nimium parcitur. Nam vtrunq; idem Legislator & seuere prohibuit, & puniri mandauit.

Oeconomica siue domestica disciplina est quãPatresfamilias pij sibi suæq; familiæ præscribunt. Potest enim pius Paterfamilias pro sua pietate & prudentia ordinare disciplinæ do-

mesticæ formam, quam maxime vtilem sibi suisque iudicauerit. Chrysostomus hoc dedit consiliũ. Cũ videris, inquit, teipsũ, vel aliquẽ aliũ ex tua familia, hoc malo (id est, temeraria & vana iuratione) captum, cõtinue commonefactũ neq; correctũ, iube nõ pransũ cubare, & hãc tibi & omni familię damnationem impone. Damnationem dico non damnum sed lucrum ferentem. Idem. Ad liberandam linguam a iurandi consuetudine, non multo est labore, sed modica tantum attentione & disciplina opus.

Meminicũ VVitẽbergę agerẽ, venisse eo hospitẽ, exulẽ propter Euãgeliũ. Hic cũ ex mala cõsuetudine crebrius deieraret, & tandẽ de correctione cogitaret, venit ad Lutherũ, petit sibi cõsiliũ dari, quo posset iurãdi istã cõsuetudinẽ corrigere. Cui Lutherus: Impera, inquit, vxori, liberis, & familiæ reliquę, sub magna pœna, vt quoties iuraueris te admoneãt delicti tui, & a te mox exigant multã aureũ Rhenanũ. Honestus hospes Luthero paret. Iurat vt solitus erat, admonetur, soluit pro singulis iurantẽtis multam aureum Rhenanum. Sed priusquam peruenit ad vicesimum Rhenanum, fœliciter istam iurandi consuetudinem emendauit, ita vt nunquam postea depræhensus sit iurare.

Nonnulli pii nobiles & ciues pyxides paratas habent, in quas si quis hospitum iurauerit, cogitur solidũ nostratem nummum multã soluere idq; quoties eũ iurare cõtingeret. Quæ multa multos iurationi assuetos ita cohercet, vt qui alias millies in vno prandio iurare cõsueuerint, vix bis aut ter lapsi sunt. Hũc morẽ si omnes nobiles & hospites haberent, breui futurum sperarẽ, vt ista pessima iurandi consuetudo emendaretur. Studiosis nostris hortator essem, qui cõmuni vtuntur mensa aut vna habitant, vt se simili aliqua lege astringerent, quo & ipsi turpissimam iurandi consuetudinem quam huc secum attulerunt emendare possent.

Quintum remedium superioribus tanquam Colophonem adiiciamus, Benedictionẽ Domini. Vt enim cõminatur Dominus maledictionẽ vane iurãtibus: ita relligiose vsurpantibus nomen Domini in necessitate, benedictionẽ promittit, quæ etiam ad eorum posteritatem se extendit. Id quod etiam Hesiodus intellexit, cum ait:

ἀνδρὸς δὲ εὐόρκου γενεὴ μετόπισθεν ἀμείνων.

Hoc est, *Viri seruantis religionem iurisiurandi posteritas præstantior erit.*

De Quarto.

Postremum quod propoſuimus explicandum reſtat, videlicet, an ſemper ſit præſtandum quod quis iurauerit. Vt autem ad hanc quæſtionem perſpicue & ſine errore reſpōdeamus, quaſdam regulas ſubiiciam, ex quibus iudicium de iuramēto præſtando vel non præſtando petendum eſt.

Prima. Quicquid iuratum fuerit, quod cum fauore Dei & ſine peccato præſtari poteſt, omnino præſtādū eſt. Ratio regulæ eſt, quod nomen Dei ſanctius apud nos haberi oporteat, quam vt illud propter propriam vitam aut alia tēporalia cōmoda prophanemus. Quāobrē cū de noſtra vita honoribus & fortunis agitur, nomē Dei iis omnibus anteponamus. Ex quo ſequitur quod fides etiā hoſti data ſit ſeruāda, modo ea quæ iurauimus hoſti, bona tēporalia ſunt, vt honores, pecuniæ, vita corporis. Nunquā enim nomē Dei propter iſta eſt prophanandū. Vt ergo iure laudatur Attilius qui potius voluit mortē oppetere, quam fidem datam Carthaginenſibus violare (etſi conſilium quo pacem impediuit minime fortaſſe laudandum eſt) Ita merito damnatur Zedechias, de quo nuper diximus, quod rupto fœdere Dei Regi Babylonico rebellauit.

Hic primum obiicitur. Qui ſcit ſe occidendum ſi redietat ad hoſtem, an non ſe periculo exponit & Deum tentat rediens? Reſpondeo.

Nomen Dei præferendum eſt omni periculo, nec Deum tentat, quia prius in manus hoſtium traditus erat permiſſione Dei, vnde non debuit per prophanationem nominis Dei ſe liberare.

Secundo, obiicitur. Celeſtinus Papa eius nominis III. iuramentum metu extortum irritum eſſe ſtatuit. Nam qui vim infert, indignus eſt cui fides ſeruetur. Reſpondeo.

Coactio nullo modo vim promiſſorio iuramēto adiuuit, modo licite fieri poſsit quod promiſſum eſt. Dico ergo quod in iuramēto coacto duplex ſit obligatio. Vna qua quis obligatur homini improbo, cui aliquid iureiurādo promittit. Ab hac obligatione ipſa coactio liberat. Altera qua quis Deo obligatur, ab hac nō abſolueris ſed neceſſe eſt cōplere, quod per nomen Dei promiſiſti. Hæc enim obligatio non tollatur propter coactionē. Pius proinde homo damnū ſu-

ſtinebit quoduis potius quam vt iuramentum violet, nomenque Dei polluat.

Secunda. Iuramentum non debet eſſe vinculum iniquitatis, id eſt, nemo debet cogi religione iuriſiurandi ad faciendum inique. Ratio regulæ eſt, quod obedientia erga Deum omnibus rebus anteponẽda ſit. Quicquid ergo Dei volũtati aduerſatur, non eſt prꝙſtandum, etiamſi id millies iuraueris. Contra hanc regulam peccauit Herodes. Nam quod turpiter iurando promiſerat, crudeliter ſoluit, vt qui cõtra mãdatũ Dei hominẽ innocentẽ occiderit, atq; ita ſe iniquitatis vinculo inuoluerit. Duplicauit ſcilicet peccatum Herodes, primum male iurando, deinde præſtando quod male iurauit. Contra vero Dauid quod iurauit temere contra voluntatem Dei, non impleuit maiore pietate ductus. Ecce, ait Auguſtinus, Dauid ſanctus iuramẽto quidẽ aſtrictꝰ nõ fudit ſãguinẽ hominis, ſed eũ falſũ iuraſſe negare quis poterit? De duobus peccatis minus elegit. Sed minus fuit illud in cõparatione prioris. Nã per ſe apprꝙhenſũ magnũ malũ eſt falſũ iurare. Et Auguſtinus rurſus de iuramẽto Dauidis. Cur Dauid qui ſancte iurauit ſe nõ modo Nabal, ſed totã illius familiam deleturum, violauit iuramentum? Dicendum eſt, iuramentum iuſtæ iracundiæ fuiſſe, miſericordiam vero prudentis rationis & conſilii. Auguſtino Bernardus conſentiens ait: Malum quod iuramus facere, nõ debemus implere. Et Gregorius: Cum male iuratur, iuſtius iuramentum dimittitur, quam compleantur crimina quæ iurantur. Idem. Iurare quæ reuocanda ſunt omnino cauendum eſt, & vehementer horrendũ, quia cum tale iuramentum nõ impletur, non omnino culpa caret, ſed minor eligitur. Nam & iurare malũ, & facere malum maius malum eſt: Iurare autẽ malum & non facere, etſi grande malum eſt: tamen minus malum eſt. Sed, inquies,

Si non ſeruo quod iuraui, etiam contra voluntatem Dei, vanus iudicor. Reſpondeo. Coram Deo non vanus ſed ſapiens iudicaris. Magnæ ſiquidem ſapientiæ eſt, vt ait Auguſtinus hominem reuocare quod male locutus eſt. Ideo probatur & ſꝙpe citatur hoc dictũ Iſidori: In malis promiſſis reſcinde fidem: In turpi voto muta decretum. Quod incaute vouiſti ne facias. Impia enim eſt promiſſio quæ cum ſcelere adimpletur. Et Philo Iudꝙus prꝙclare ait: Qui malũ

propositum iuramento sanciunt,quid sanctum sit ignorant. Iurant se commissuros furtum,homicidium , sacrilegium, stuprum,moxque ne periuri habeantur committunt , quasi non melius Deoque gratius sit tale periurium.

Sunt ne ergo reuera periuri,qui mala quæ iurarunt,non complent?

Nequaquã.Periurus enim proprie dicitur qui iurãdo ius peruertit: Nõ autem qui quod contra ius iurauit,corrigit.

Quid ergo faciet qui quod male iurauit,corrigit?

Hoc idem author docet cum ait:Orãdus est Deus vt pro sua clementia temeritati inconsultę ignoscat,qua ad iurandum præceps actus est.Nã duplicare noxã cũ te possis exonerare dimidio,maxima est insania , vix vnquam curabilis.

*Tertia.*Iuramentum cum salute publica,cum honestate & bonis moribus pugnans,non est seruandũ.Ratio regulę est, quod Dei voluntas sit vt salutis publicę,honestatis & bonorũ morũ rationẽ præcipuã habeamus. Si quis ergo vel errore deceptus, vel affectibus abreptus,vel metu victus,iurãdo promittit se aliquid facturũ,quod pugnat cũ salute publica, honestate,& bonis moribus,peccat quidẽ iurãdo,sed duplicat peccatum si iuramento steterit. Huc Bernardi dictum pertinet. Si aliquid forte nos incautius iurare contigerit, quod obseruatum in peiorem vergit exitum,libere illud salubriori consilio mutandum nouerimus.

Iehosua deceptus a Gabaonitis,iurat illis securitatẽ,quod nolit eos delere: Sed postea intelligens fraudem potuisset a pacto sine peccato discedere,nisi aliæ circunstantiæ pactioni standum esse suasissent,de quibus supra diximus.

Adolescens insano amore victus deperit virginem,iurat se eam ducturum in vxorem.Hic iurando quidem peccat, sed duplicat peccatum si repugnantibus parentibus sanis eam duxerit.

Recẽs historia est de quodam honesto ac prædiuite ciue Casparo consule & Apothecario VVitẽbergensi , qui cũ in nundinis Lipsensibus ante quinquenniũ forte esset,dolo a tribus nebulonibus in aliud hospitiũ deductus est. Vt autẽ nebulones isti facilius rem perficerent, fingunt Magistrum

Bartholomæum Schonborniũ virũ doctiſsimum ac intimũ amicum Caſpari conſulis de curru lapſum fregiſſe tibiam, & periclitari de vita. Hunc ergo rogare, vt ſe accedat Caſparus, quo in ipſius præſentia, eoque teſte poſsit de rebus ſuis ſtatuere. Hic Caſparus nimiũ credulus amore amici comitatur carnifices ſuos. Et cum ventum eſſet in hoſpitium, in interius conclaue illum abducunt, vi ipſum adoriuntur, pulſant, minantur mortem, niſi iuramento ſcripto ipſius, proprio ſanguine obſtringat ſe & ad numerandos ſequenti die certa hora & domo quingentos thaleros, & ad ſilentiũ perpetuum, ne ſuos carnifices prodat. Quid hic faceret vir bonus & honeſtus? Metu coactus iurat & ſcribit proprio ſanguine quod petunt, quo facto dimittitur. Sed dimiſſus Caſparus, rẽ aperit Paſtori Lipſenſi. Paſtor ſuadet vt promiſſam pecuniam, ſtatuta hora & domo vt promiſerat numeret, ſed ita vt cum ſummam aliquam numeraſſet, tanquam frigidiorem auram captans, aperiat feneſtellam quæ erat in magnæ feneſtræ medio. Hoc enim ſignum erat miniſtris publicis, numerat pecuniam, aperit feneſtellam, irrumpunt in domũ miniſtri publici, deprehendũt graſſatorẽ cũ pecunia, abducũt eum in carcerem, qui poſtero die affectus eſt ſupplicio, ſociis ipſius aufugientibus. De hoc facto Caſpari VVitẽbergæ acriter diſputatũ eſt inter Theologos & Iuriſconſultos, quorum hi factum Caſpari damnarunt, illi excuſarunt. Sed age quid nobis eſt hic ſentiendum? Huius iuramenti duæ ſunt partes, quarum prior obligat Caſparum iuxta primam regulã, poterat enim ſoluere promiſſam pecuniam ſine amiſſione gratiæ, & ſine peccato. A poſteriori abſoluitur per tertiã regulã. Quia quilibet obligatur ad ea prodenda, quæ intelligit vergere in detrimentũ ſalutis publicæ, niſi ſalutis publicæ proditor haberi velit, & pœnã ſubire proditoris. Proinde peccauit quidem Caſparus non ſeruando perpetuum ſilentium vt iurauerat, ſed duplicaſſet peccatum, ſi cum detrimẽto publicę ſalutis tacuiſſet.

Quarta. Si vna partium violauerit iuramentum, altera ab obligatione ſoluitur. Ratio regulæ eſt, quia mutua eſſe debet obligatio. VVladiſlao proinde violante fœdus decennale initum cum Amurate, ſoluitur Amurates a iuramento. Hoc ex ſpecie eiuſdem generis colligitur. Si inquit Paulus infidelis diſcedat, diſcedat. Nã nõ eſt ſeruituti ſubiectus fra-

ter

ter aut soror in huiusmodi. Hinc natum est vulgare dictum,
Frangenti fidem fides frangatur eidem.

Quinta: Iuramenta quæ vel implicitam, vel expressam habēt conditionem annexam, haud obligant nō seruata cōditione. Ratio regulæ est, quod iuramentū ex conditione pēdeat. Natura iuramēti hāc implicitā cōditionē semper annexam habeat: Salua obedientia Deo debita. Recte ergo aulici Saulis fecerunt, dū ad iussum Tyranni noluerunt extendere manus in sacerdotes Domini 1. *Reg.* 22. Quæritur

An obligatio solui possit superioris authoritate?

Respondeo.

Superioris authoritas non debet pugnare cum mandato Dei, nec cum publica honestate, & bonis moribus. Quare qui hoc facit, condemnat potius quam absoluit, vt cum Papa absoluit principes a iuramentis quoties illi visum fuerit.

Quæritur præterea an Hæreticis sit seruanda fides?

Respondeo.

Fides publica data quibusuis est seruanda sine omni exceptione. Hoc enim ipsa natura & ratio postulat. Non ergo recte facit Antichristus Romanus qui cum ipse sit Hæreticissimus, insontes hoc prætextu, quod fides non sit seruanda Hæreticis, rapit ad supplicia, quemadmodum cum Ioanne Huss actum est.

Pecuniam suam non dat ad vsuram. Inter notas characteristicas ciuis Ecclesiæ Dei, & futuri hæredes vitæ æternæ inter alias hæc vna est. *Non dat pecuniam suam ad vsurā.* Ex quo sequitur vsurarios iure locum in Ecclesia Dei non occupare, nec fore hæredes vitæ æternæ. Hinc est quod Ecclesiæ doctores acerrime semper inuehantur in vsurarios. Et quod vsurarii per censuram Ecclesiasticam communione & sepultura cum aliis Christianis indigni iudicentur.

Hic quæritur an de omni vsurarum genere intelligenda sit scriptura, quoties vsuras dānat, nec ne?

Hoc est, an aliquod vsuræ genus excipiatur a maledictionis sententia, ita vt possit exerceri ab homine pio sine peccato.

Quicquid hic reſponderis,veluti inter Scyllam & Charybdim nauigas.Si enim damnas omnem vſuram, laqueũ multorũ conſciẽtiis iniicis,& cõmercia inter homines tollis. At ſi aliquã admittis,mox auarus ſibĩ quãlibet vſuram permiſſam eſſe ſtatuet.Etſi ergo difficile eſt ita reſpondere, vt non incurras in repræhenſionem,tamen cum hic locus poſtulet huius quæſtionis deciſionem, dicam quod maxime cum ſententia Scripturæ & recta ratione conſentire videbitur,vt conſcientiæ ſciant quid de hoc contractus genere ſentiendũ ſit. *Primum* ergo omnium duo fundamenta tradam,ſuper quibus quilibet contractus extrui, & ad quæ probari, licitus an illicitus ſit,a piis debet.*Deinde* de mutuatione dicam, ſub qua continetur vſura, & ex fundamentis poſitis aliam vſuram licitam, aliam illicitam eſſe demonſtrabo. *Tum* examinabo rationes eorũ & refutabo qui omnem vſuram ſine diſcrimine damnãt,& nullam omnino Chriſtiano homini licitam eſſe contendunt.*Poſtremo* regulas quaſdam adiiciam quibus qui ſe regi permittent non facile a fundamentis aberrabunt,nec vſurario contractu peccabunt.

De Primo.

Fundamenta duo ſtatuamus ſuper quibus(vt dixi) quilibet contractus extrui, & ad quæ probari licitus ne ſit an illicitus, a piis debeat. Horum *Primum* Chriſtus ipſe iacit *Matth*.7.Omnia quæcunque volueritis(ſcilicet ſano & recto iudicio)vt faciant vobis homines, ſic & vos illis facite: hoc eſt.Dilectio proximi norma ſit omnium actionum veſtrarum,& officiorum. *Secundum*. In Politicis rebus parendum eſt iudicio ciuilis magiſtratus,modo non pugnet cum recta ratione. Ex hiſce duobus fundamentis non erit piis difficile,de quouis contractuum genere iudicare.Siquidem contractus qui cũ his fundamẽtis cõgruit, nullo verbo Dei ſimpliciter prohibetur aut damnatur. Nam verbum Dei vt omnia reuocat ad dilectionis legem,ita ordinationes politicas, facientes ad incolumitatem totius corporis tuendam, approbat.Contra vero,contractus qui non congruit his fundamentis,quantũuis ſpecioſo ornetur titulo,& qualicunque pingatur oratione,verbo Dei damnatur,ideoque pio homini fugiendus. Sed omiſſis aliis contractuum generibus de mutuatione,ſub qua continetur vſura,dicam.

De Secundo.

Mutuatio, sub qua continetur vsura est contractus quo pecunia, aut res quælibet transfertur ad alium, vt tantundem reddatur in specie. Vt cum pecunia transfertur, vt eadẽ reddatur in specie, cum pro vino tantundem vini soluitur, non numero idem, sed specie. Nam cum idem numero redditur, non est mutuatio sed commodatio.

Est autẽ mutuatio duplex, videlicet, Gratuita & Vsuraria.

Gratuita mutatio est cũ transfertur pecunia, aut res quæuis ad alium: vt tantundem reddatur in specie & nihil vltra.

Vsuraria mutuatio est cum trãsfertur pecunia aut res quælibet ad alium, vt non solum tantundem reddatur in specie, verum etiam aliquid vltra addatur ex pacto propter mutuationis officium.

Ex pacto addidi, Nam si quis sponte sua eum a quo mutuũ accepit, aliquo honorat munusculo gratitudinis ergo: illud munusculũ nequaquã in vsuris reputabitur. Si enim licet cuiuis benefacere, & gratitudo erga benemeritos iuris naturalis est: Cur non licebit sine peccato symbolũ gratitudinis ab eo accipere, qui sponte sua hoc nobis offert?

Diximus mutuationem aliam esse gratuitam, aliam vsurariam. Verum vt intelligatur, quando gratuita esse debeat, & quando vsurariam esse liceat, hic quæritur. Quare vt hoc explicari distinctius possit, aliam mutuationis diuisionẽ adferam, videlicet quod alia debita, alia indebita dici possit.

Debita mutuatio est ad quam iure diuino & naturali, ita obligamur, vt nisi mutuũ demus, rei coram Deo simus. Contra vero *indebita* est ad quã nec diuino nec naturali iure simpliciter obligamur, sed liberum nobis relinquitur mutuum dare & non dare. Illã gratuitã esse semper oportet, hãc licet esse vsurariam, modo vsura iustos terminos non excedat. Iam autem & iure diuino & naturali nunc ad gratis dandum, nunc ad gratis mutuandum proximis nostris obligamur. Quis enim est qui in sua necessitate hoc sibi sano & recto iudicio non cupiat fieri. Verum vt hæc obligationis necessitas recte intelligatur, conditio proximorum spectanda est hoc modo.

Si quis attenuatus victum sibi quærere labore & industria non potest, vel ob firmitatem corporis, vel propter senium,

huic gratis vt demus, & diuino & naturali iure obligamur. Nã qui hoc nõ facit discedit a fundamẽto, & viscera charitatis claudit, iuxta illud Iohãnis 1. *Ioh.* 3 Si quis habuerit victũ huius mũdi, & viderit fratrem egentem & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?

Deinde si quis potest labore & artificio suo sibi victũ quærere, & necessitate coactus petit a te mutuum, huic vt des mutuum idque gratis, eodem iure & diuino & naturali obligatus es, quemadmodũ ex primo nostro fundamento manifestũ est. Huc præceptum Domini *Luc* 6. pertinet. Date mutuum, nihil inde sperantes, id est, gratis, & erit merces vestra multa, & eritis filii altissimi. Hic Dominus nequaquam promiscue de omnibus hominib. loquitur, sed de iis solũmodo qui nõ possunt paria reddere, sicuti infra latius docebimus.

Verum hic aliter iudicandũ est de eo quod tuum est, aliter de eo quod tuum non est. Si tuum est, gratis dabis mutuum pauperi propter obligationẽ diuinã & naturalem. At si tuũ non est, vt quod ad aliquam communitatem seu societatẽ, aut etiam ad pupillos & orphanos pertinet, ordinatione politica quam approbat pius magistratus vti licebit, & accipere aliquid vltra sortem iuxta constitutionẽ. Atque hactenus de mutuatione debita & eius exceptione dictum sit.

Nunc descendamus ad indebitam mutuationem. Est autem indebita mutuatio vt supra diximus, ad quam diuino & naturali iure non obligamur. Libera enim est, vt possis mutuare & nõ mutuare sine peccato & sine vastatione conscientiæ. Hæc autem libertas ex conditione proximi qui mutuum petit, dependet. Nam si quis (cuius mediocres sunt facultates, ex quibus possit honeste viuere) magnam mercaturam exercere quæstus gratia, si quis prædia emere cupiditate adductus, si quis præclara & ampla ædificia extruere ob fastum, si quis magnos sumptus facere, vt liberalis videatur velit, hinc quia non es obligatus iure diuino & naturali nec ad gratis dandũ, nec ad gratis mutuãdũ, poteris sine peccato cũ eo pacisci de vsura iuxta Politicã constitutionẽ. Nã hoc cum illi non debes ex officio, nec diuino nec naturali iure, is perfecto tibi idque iure naturali debet beneficium pro beneficio. Huius debiti honesta est ratio. Benefactoribus enim debetur gratitudo, & animo & reipsa, vt sit æqualitas. Qui ergo in hoc casu mutuum dat, potest

pacisci de vsura iuxta promissionem regiam, videlicet vt annuatim ex 100. dentur 5. Hanc vsuram pius homo bona conscientia accipere potest, modo memor sit officii erga egenos & pauperes, iuxta obligationem de qua supra diximus.

De tertio.

Iam videamus quid adferant, qui omnem vsuram damnari putant. Etsi autem multa argumenta colligunt, tamen tria sunt præcipua in quibus plus ponderis esse videtur, & in quibus omnem victoriæ spem collocant.

Primum est prohibitio diuina in veteri testamento, quæ sæpe inculcatur. *Exod.* 22. Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi qui habitat tecum, non vrgebis eum quasi exactor, nec vsuris opprimes. *Leuit.* 25. Si attenuatus fuerit frater tuus &c. ne accipias vsuras ab eo, nec amplius quam dedisti. Time Deum tuum, vt viuere possit frater tuus apud te, pecuniam tuam non dabis ei ad vsuram. *Deut.* 25. Non fœnerabis fratri pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno. Fratri autem tuo absque vsura, id cuius indiget commodabis. Hæc testimonia & similia videntur omnem vsuram prohibere. Sed si ea propius examinas, nequaquam vsuram simpliciter & omnino damnant, sed in circumstantiis certis. Nam si vsura simpliciter & omnino prohiberetur, profecto non liceret vsuram ab alienis, id est, a quibusuis aliis hominibus qui non sunt Israelitæ accipere. Quod non tantum intelligi debet de Cananæis in quos ius belli habebant Iudæi, verumetiam de quibusuis aliis hominibus cum quibus Iudæi commercia exercebant. Hinc ergo patet quod prohibitio vsurarum in Mose sit Politica, pertinens ad Politiam Mosis conseruandam.

Deinde si obiectum & finem prohibitionis vsurarum, videlicet, ne frater seu proximus tuus opprimatur vsuris, respicis, prohibitionem vsurarum restringi vides. Est siquidem prohibitio vsurarum diuini & naturalis iuris, quatenus ea homines opprimuntur. Quare & obligat omnes homines iuxta primum fundamentum. Nemo enim vult se ab aliis iniuste opprimi. Cum proinde vsura propter hunc finé prohibita sit, ne proximus opprimatur & ad mendicitatem redigatur, cessante hoc fine, prohibitio nulla est.

Verum

Verum vt hoc apertius explanetur accommodemus huc regulam Augustini, videlicet, In omni dicto Scripturæ obseruandum est quid dicatur, secundum quid, & propter quid dicatur.

Quid ergo hic dicitur? Non fœnerabis, seu non ad vsurã mutuũ dabis. *Secundũ quid dicitur?* Hoc in lege expresse additur: Populo meo pauperi, seu fratri tuo pauperi. *Propter quid dicitur?* Vt frater tuus possit apud te viuere, seu vt frater tuus non opprimatur vsuris. Hæc ergo tria semper in prohibitione vsurarum coniungi debent, vt legis sensus sit: Non fœnerabis proximo tuo pauperi, vt viuere possit apud te non oppressus vsuris, iuxta hunc legis sensum accipienda sunt verba Dauidis in hoc Psalmo cum ait:

Pecuniam suam non dat ad vsuram scilicet, proximo suo pauperi ad opprimendum eum. Sed inquies: Hoc non additur in Psalmo, sed simpliciter dicitur, Qui non dat pecuniam suam ad vsuram? Respondeo.

Quicquid vno in loco expresse dicitur in Scripturis, in aliis vbi non exprimitur subaudiendum est. Cum ergo hoc in ipsa lege exprimitur, recte in Psalmi dicto subauditur. Vt interim taceam satis exprimi vocabulo Hebraico Nesech, quo morsus vsuræ significatur, vnde homo tabescit paulatim ipsius facultatibus consumptis.

Hinc duplicem esse vsuram recte colligimus: illicitam vnam, alteram licitam. Illicitam quidem qua proximus grauatur, & paulatim veluti consumitur. Licitam vero qua proximus adiuuatur, & quæ approbatur a pio magistratu.

Sed, inquies, hic est inæqualitas, quæ in omni contractu damnatur vt iniusta. Vt enim æqualitas mater iustitiæ dicitur, ita inæqualitas ab iniustitia nascitur. Respondeo.

Quando lucratur dans mutuo, & alter nihil recipit, est inæqualitas damnanda. Contra vero quando, lucratur accipiẽs mutuum, æqualitas seruatur, si aliquid ex pacto det pro mutuationis officio. Honesta enim ratio postulat, vt qui beneficium accepit, beneficium reddat. Proinde ingratus qui aliquid dare recusat iudicandus est. Sed hic rursus moneo cauendum esse ne lucrum sit immodicum, sed tale quod a magistratu approbatur.

Secundum argumentum eorum qui promiscue omnem vsuram damnari volunt, petitur ex verbis Domini *Luc. 6.* Date mutuum

mutuum,nihil inde ſperantes. Ex hoc dicto vetari concludunt ne quid vltra ſortem a quouis propter mutuationis officium accipiatur.Sed hoc non ſatis conſiderate.Nam ſi textum examinas & collationem attendis quę eſt apud Lucam longe aliud Dominum voluiſſe depræhendes.

Primum enim Dominus iuris naturalis regulam ſuis cõmendat,ad quam omnes noſtras actiones cum proximis exigi par eſt,hanc videlicet:Prout vultis vt faciant vobis (id eſt,veſtri cauſa) homines,vos etiam facite eis(id eſt,eorum cauſa) ſimiliter.

Deinde collationem ſubiicit,cuius prius membrum eſt, Si diligitis eos qui vos diligunt,quæ vobis erit gratia?Nam & peccatores,id eſt,non conuerſi ad Deum , diligunt eos à quibus diliguntur. Et ſi benefeceritis iis , qui vobis benefaciunt , quæ vobis erit gratia ? Nam & peccatores idem faciunt. Et ſi mutuum dederitis a quibus ſperatis vos recepturos , ſcilicet mutuum,quæ gratia erit vobis ? Nam & peccatores peccatoribus dant mutuum , vt recipiant paria, id eſt ſpe compenſationis. Sunt enim peccatorum inter ſe officia,plane mercenaria.Nihil enim præſtant beneficij ſibi inuicem,niſi ſpe compenſationis.

Poſterius membrum collationis ſeu antitheſis ſequitur, quæ continet exhortationem ad gratuita officia. Itaque,inquit,diligite inimicos veſtros & benefacite eis, & mutuum date,nihil inde ſperantes.

Dictum ergo Domini,vt clariſſime ex collatione liquet opponitur conſuetudini peccatorum , id eſt eorum qui non ſunt ad Chriſtum conuerſi. Hi enim, vt ex verbis Domini claret,bene meritis, id eſt iis qui poſſunt vicem ſeu analogum beneficium rependere,benefacere & mutuum dare ſolent:non autem aliis a quibus paria non expectãt. Horum prius non damnat Dominus ſimpliciter, ſed poſterius. Nequanquam enim damnat Dominus quod homines iis benefaciant , qui ſibi benefecerunt , nec quod dent mutuum iis a quibus paria expectant. Sed hoc damnat, quod non vltra progrediantur,hoc eſt,quod non benefaciant inimicis,id eſt,iis cum quibus nulla interceſſit amicitia,qui de ſe nihil ſunt benemeriti,qui non poſſunt analogum beneficium præſtare.Eſt ergo ſenſus verborum Domini;Date mutuum , ſcilicet , iis qui de vobis nihil boni ſunt meriti,nec

poſſunt vicem rependere, nihil inde ſperantes, id eſt, nihil nedum paria officia ab illis expectantes.

Græce ſignificantius dicitur: μηδὲν ἀπελπίζοντες, pro ἀπ' ἐκείνων ἐλπίζοντες, id eſt, *nihil ab illis viciſſim ſperantes, nedum paria.* Ad perſonas proinde hoc dictum referẽdum eſt, non ad res mutuo acceptas, aut ad fœnus quod vltra ſortẽ accedit. Non ergo vetat Dominus mutuũ dare amicis, a quibus paria expectamus, ſed aliquid vltra a ſuis requirit, nimirum vt egenis qui nõ poſſunt τὰ ἴσα reddere benefaciant, & mutuũ dent etiam iis a quibus nihil nedum analogum beneficium expectant. Ne autem hoc grauate faciamus addit promiſſionem: Et erit merces veſtra multa, & eritis filij altiſſimi, id eſt, eritis chari Deo altiſſimo, qui hic liberales eſtis erga humilimos & abiectiſſimos coram mundo. Illud igitur cõmune & liberum eſt omnibus hominibus Ethnicis & Chriſtianis: hoc Dominus peculiariter a ſuis requirit. Vt ergo liberum mihi facit Dominus vt benefaciam amico vt par mihi reddat, & vt mutuum dem ei a quo gratiam expecto pro beneficio. Ita neceſſitatem mihi imponit vt egenis qui non poſſunt vicem rependere, benefaciam, iiſq; gratis dem mutuo, nullam expectans ab illis compenſationem, ſed a Deo. Habemus quid ſibi velit Domini dictum: Date mutuum nihil inde ſperantes. Neq; vltra hos terminos extendi debet, præſertim cum Euangelium Politicas ordinationes non pugnantes cum æquitate & charitate nequaquam aboleat.

Tertium argumentum quo nituntur qui omnem vſuram dãnãnt, mutuantur ab Ariſtotele. Hic enim 1. *Polit. ca. 7.* affirmat τὴν ὀβολοστατικὴν, id eſt, *fœneratoriam* παρὰ τὴν φύσιν εἶναι, id eſt, *præter naturam eſſe, atque ideo perperam imitari naturam.* Nã cætera inquit quæ procreata ſunt, ſuis procreatoribus ex inſtitutione naturę ſimilia ſunt. Pecunia autem non eſt inuenta vt pecunias ſibi ſimiles progeneret, ſed vt ea res ad viuendum neceſſariæ comparentur. Hinc concludit fœneratoriam eſſe contra naturam, quod & nomen vſuræ apud Græcos indicat. Dicitur enim τόκος id eſt, *partus*, παρὰ τὸ τίκτειν, quia pecunia mutuo data pariat lucrum ei qui dedit. Priuſquam autem ad hoc argumentum reſpondebitur, aliquid dicendum videtur de fœneratoria tum temporis vſitata. Fuerunt enim homines diuites & auari qui artem vſurariam exercebãt, & in hoc toti incumbebant, vt per vſuras

ad

ad ſe tranſlatis aliorum facultatibus, eos in ſeruitutem redi gerent, haberentque eos tanquam perpetua mancipia, quam crudelitatem Solon apud Athenienſes ſuſtulit. Fuit enim tum vſura maxima & communis, quod lucrum æquaret ſortem, intra vnius menſis ſpacium. Ex quo factum eſt, vt qui pecuniam ad vſuram acciperent, breuiſſimo tempore ad extremam inopiam redigerentur, qua coacti ſunt dare ſe in ſeruitutem fœneratoribus. Vnde natum eſt prouerbium: *Fœnus funus.*

Huiuſmodi vſura merito apud Ethnicos infamis fuit & ab omnibus damnata.

Veteres Romani, vt Cato meminit, peiorē ciuem exiſtimarunt fœneratorem quam furem. Qui ita in legibus poſuerunt: Furem duplo condemnari, fœneratorem quadruplo.

Ariſtophanes in Nubibus dicit vſuram eſſe beluam, quæ ex proceſſu temporis argentum numeroſiori ſemper fœtura progeneret.

Quoties ergo Ethnici damnant vſuras, loquuntur de vſuris ſua ætate vſitatis, & de vſurariis apud quos pecunia virtuti & ſapientiæ præferebatur, iuxta prouerbialem verſiculum:

Τὰν ἀρετὰν καὶ τὰν σοφίαν νικῶντι τελῶναι. id eſt, *Virtutem & ſapientiam vincunt pecuniæ.* Non autem de vſuris moderatis, quas honeſti viri ſine peccato exercere poſſunt, vt ſupra oſtendimus. Breuiter hoc teneatur.

Cum natura cuiuſlibet rei pendeat ex eius fine, ex ipſo fine vſuræ ſeu euentu, quæ licita & quæ illicita ſit iudicandum eſt. Si vſura velut hirudo paulatim exſugit & emungit facultates pauperum, vere damnanda eſt. Pugnat enim cum æquitate & charitate, quæ omnem licitam vſuram moderari debent. At ſi is qui moderatam & approbatam a magiſtratu vſuram paciſcitur, vſu alienæ pecuniæ auget ſuas facultates, honeſta ratio, id eſt, æquitas & charitas poſtulat vt reddat beneficium pro beneficio, hoc eſt, vt ſoluat pactam vſuram, modo, vt dixi, habeat approbationem legitimi magiſtratus. De hac autem approbatione aliquid huc adiiciendum eſt.

Religioſiſſimi imperatores approbarunt moderatas vſuras, vt in 4. lib. Codicis ſcriptum eſt. Super vſurarum ve-

rô quantitatem etiam generalem ſanctionem facere neceſſarium eſſe duximus, veterem duram & grauiſſimam earum molem ad mediocritatem deducentes. Ideoque illuſtribus iubemus quidem perſonas, ſiue eas præcedentibus minime licere, vltra tertiam partem centeſimæ vſurarum nomine in quocunque contractu vili vel maximo ſtipulari. Iſtos vero qui ergaſtiriis præſunt vel aliquam licitam negotiationem gerunt, vſque ad beſſem centeſimæ vſurarum nomine in quocunque contractu ſtipulationem ſuam moderari. In traiectitiis autem contractibus vel ſpecierum fœnori dationibus vſque ad centeſimam tantummodo licere ſtipulari. Cæteros autem omnes homines dimidium tantū modo centeſimæ, id eſt, ſemeſſem, vſurarum nomine poſſe ſtipulari. Hactenus imperator.

Hanc ſanctionem quatuor ſequentibus verſibus complectitur Scholiaſtes.

Diſcant illuſtres ſtipulari poſſe trientes,
Et mercatores ſibi poſſunt quærere beſſes,
Quærere ſemiſſes poſſunt communiter omnes.
In traiectitiis centeſima vires ſumit.

Triens centeſimæ, eſt cum dantur annuatim 4. ex 100. Bes cum 8. Semiſſis cum 6. Centeſima cum 12.

Has vſuras legitimas nominant, omnes autem quæ eas excedunt illegitimas & immoderatas. Noſter autem magiſtratus quincuncem centeſimæ annuatim permittit, hoc eſt ex 100. 5. Quæ profecto nec cum æquitate, nec cum charitate pugnat, modo habeatur ratio egenorum & eorum qui nihil lucrari poſſunt: de qua re ſupra diximus.

Nunc ad argumentum Ariſtotelis redeamus. Finis inuentæ pecuniæ nō eſt vt aliam pecuniā gignat. Igitur vſura eſt contra naturā. Reſpondeo. Nego conſequentiā, & ratio eſt quia aliter iudicandum eſt de rebus naturæ, & aliter de rebus vſus gratia inuentis ab hominibus. Illæ certos & determinatos fines a natura habent: harū autem fines pendent ex arbitrio hominū non pugnāte cū recta ratione. Cum igitur pecunia vſus gratia eſt inuenta & ſub genere χρήματος continetur, ex arbitrio hominū eius vſus dependet, qui non eſt limitatus natura, ſed legibus, vnde & numus νόμισμα dicitur. Proinde cū leges moderatas vſuras approbāt, vſum pecuniæ vſurarium, modo legitimus fuerit, nō tollunt. Addo & hoc quod

quod τόκος, id est, vsura non ex pecunia propria accedit, sed ex prouentu, qui aliã pecuniam gignit. Gignit proinde pecunia, non natura, sed vsu: non fœtura sed prouentu.

De Quarto.

Porro Epilogi loco ne diuites qui pecuniã suam ad vsurã dare solent, hoc meum responsum rapiant, contra mentem meam, & arrepto vno atque altero verbo, plus sibi permittant quam par est: *Primum* consilium Pauli diuitibus commendatum volo: *Deinde* tres regulas adiiciam, quibus si se regi patiuntur, res erit extra periculum.

Consilij autem Paulini partes duæ sunt:

Prima, Diuites non fiant elato animo, nec sperent in incertis diuitiis, sed in Deo viuo.

Secunda. Diuites thesaurisent sibi, scilicet liberalitate erga egenos, fundamentum bonum in futurum, vt appræhendant vitam æternam. 1. *Timoth. 6.*

Si primam Paulini consilij partem secuti fuerint diuites, & fontem omnium bonorum nempe Deum ipsum in se retinebunt, & ab auaritia idolorum cultu erunt alieni, & non efferent se contra proximos pauperiores, sed eos amore complectentur.

Si secundam partem consilij Paulini seruauerint, nobile fœnerandi genus exercebunt, iuxta dictum Salomonis, ***Prouerb.*** 19. Fœneratur Domino qui miseretur pauperis, & sors cum fœnore reddetur illi. Basilius hunc Psalmum enarrans Salomonis dictum ita interpretatur: Quicquid pauperi datur propter Dominum, est & donum & lucrum. Donũ quidem quia datur sine spe compensationis. Lucrum vero quia Dominus promisit cumulatissime remuneratione͂, pro exiguis officiis, quæ in pauperes conferuntur. Non enim aquæ frigidæ haustus propter Deum datus caret premio. In hoc ergo nobili fœnerandi genere diuites Deum in corde suo circumferentes ante omnia se exerceant.

Sequuntur Regulæ.

Prima. Egeno, qui tantum vsum pecuniæ necessarium & non lucrum ex pecunia tua quærit, dabis mutuo sine vsura & absque omni spe compensationis, iuxta præceptum Domini: Date mutuum nihil inde sperantes. Cogitans de

liberalissima promissione mercedis, quam Dominus addit præcepto: Et erit merces vestra multa, & eritis filii altissimi. Nam si hic, id est, ab egeno vsuram accipis, facis contra æquitatem & charitatem proximi. Vt autem æquitas hæc non ex vsu hominum, sed ex iustitia seu iure naturæ æstimanda est: ita charitas super hoc fundamento fundabitur. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

Secunda. Homini mediocris fortunæ, qui quærit lucrum ex tua pecunia, & res suas augere satagit, poteris pecuniam tuam ad vsuram dare bona conscientia, iuxta constitutionem Politicam in hoc regno, qua 5. vt iam sæpe dictum est, ex 100. annuatim dantur. Hæc vsura contra æquitatem & charitatem non pugnat. Imo contra æquitatem & charitatem facit, qui lucratur ex tua pecunia, & nihil pro officio mutuationis reponit, modo posit.

Tertia. Si is cui pecuniam tuam ad vsuram dedisti spoliatur, adeo vt ipsa quoque sors pereat, aut alioqui nihil lucretur. Christiani pectoris fuerit non solum sortem cum vsura remittere. (Nam hic vel minimum lucrum ex pecunia tua non potest peti sine offensione Dei & iniuria proximi) verumetiam de nouo mutuum dare, quo damnum acceptum resarcire posit.

Hæc de vsura ascribere visum fuit, in gratiam eorum qui sunt aliquando futuri, vel nunc sunt medici conscientiarum, vt sciatur quid bona conscientia in hac re fieri posit. Nam quicqiud fit vel repugnante, vel dubitante, vel errante cõscientia, peccatũ est, & cor hominis vulnerat.

De interesse, id est, compensatione damni emergentis, vel lucri cessantis: item de vsuris vsurarum legantur aliorum scripta, & præcipue moralis Philosophia Philippi.

Et munus contra innocentem non accipit.

Vt proximum dictum ad diuites, ita hoc ad iudices pertinet, cuius hic sensus est: Quemadmodum is iudex qui iuste iudicat & non sinit se muneribus corrumpi ad ferendam sententiam contra innocentem, iure in externo Ecclesiæ cœtu locum occupat, & est futurus hæres cœlestis patriæ: ita qui iniuste agit, hoc est qui iustificat impium propter munera, & condemnat iustum, nec iure in Ecclesia locum occupat, nec hæres futurus est vitæ æternæ.

Quoniam autem alibi a nobis officium boni iudicis declaratum

claratum eſt, videlicet, quod iudex debeat eſſe verax, ſapiens, timens Dei, & ab auaritia alienus. Quæ quatuor implicite continentur in verbis Pſalmi, & expreſſe ponuntur *Exod.* 18. vbi Iethro ſic ad Moſen loquitur. Proinde de omni plebe viros ſapientes & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderunt auaritiam. Tamen quia hic Pſalmi locus poſtulat, vt aliquid de iudicibus dicatur, duo hic adiiciam,

1. Quænam requirantur in iudice.
2. Officium litigantium coram iudice.

Quænam ergo requiruntur in iudice?

Ioſaphat rex ſanctus pro nobis reſpondeat, qui iudices a ſe conſtitutos, in hanc ſententiã alloquitur, vt eſt 2. *Paralip.* 19. Videte inquit quid agatis. Non enim exercetis iudicium homini ſed Domino, & ipſe vobiſcum eſt in iudicio. Ideo timor Domini ſit in vobis, & ſingulari diligentia agite. Nam apud Dominum Deum noſtrum non eſt iniuſtitia, nec perſonæ reſpectus, nec muneris acceptio. Hic Ioſaphat primum docet quod iudices ſint vicarii Dei, qui adeſt in iudiciis, & iis præeſt. Deinde requirit a iudicibus timorem Dei, fidelitatem & iuſtitiam, quæ iuſtitia nullam προσωποληψίαν, & nullam δωροληψίαν admittit.

Philo Iudæus grauiter etiam dicit iudicem opus habere quatuor, videlicet, Poteſtate, Prudentia, Iuſtitia, Fortitudine animi. Horum ſi vel vnum defuerit, actum eſt plerunque de æquitate.

Poteſtate opus habet ne timeat eos quorum iudex eſt. Iudex enim qui timet partes litigantes, a timore conſiliario peſsimo perſuaſus ſæpe peruertit iudicium, & pro eo quem timet fert ſententiam contra cõſcientiam, qua re & ſibi grauiſsime nocet, iuxta illud *Deutero.*37. Maledictus qui peruertit iudicium. Et eum contra quem iudicat iniuria afficit. Atque ita reus fit vtriuſque tabulæ Decalogi, quouis Ethnico prophanior.

Prudentia opus habet ne decipiatur. Prudenter enim examinat cauſã de qua agitur, prudẽter perpẽdit quãdo rigore iuris, & quando ἐπιείκεια opus ſit, prudenter accommodat legem ad cauſam, & non cauſam ad legem. Breuiter. Prudẽter cauet ne quid contra æquitatem faciat, vt qui nõ ſuum,

ſed Dei iudicium exerceat.

Iuſtitia opus habet, vt ſuum cuique tribuat, hoc eſt, iuſto patrocinium & defenſionē, iniuſto autē pœnā pro ratione delicti. Seu, iuſtitia opus habet, vt ſentētia ſic incorrupta & legitima: Incorrupta quidē, ne aliquo affectu malo abreptus in alteram partē magis quā par eſt, inclinet: Legitima vero vt ſententia quæ feretur, non tam iudicis hominis, quam legis eſſe videatur, & ęquitati conſentiens. Similiter etiam, vt iudicii verus proceſſus ſeruetur. Nam ſi iudex iuſte iudicat reſpectu cauſę, & nō ſeruat iuſtū iudicandi proceſſum, iniuſtus eſt. Quando enim fit quod fieri debet, & non fit eo modo quo debet, contra iuſtitiam peccatur.

Fortitudine animi opus habet iudex, ne flectatur precibus aut miſericordia, contra leges. Non enim precibus dabit quod ſuum non eſt: nec affectibus indulgebit, vt legem violet. Atque hæc ſunt dicta de iudice, qualis eſſe debeat, & quibus adminiculis opus habeat.

Quodnam eſt officium litigantium coram iudice?

Quia fieri non poteſt, donec homines ſecum peccatum (vnde tenebræ & errores in vita & actionibus exiſtunt) circumferunt, quin interdū lites etiā inter ſanctos ſuboriātur: opus eſt, vt pii litigantes ita actiones ſuas aduerſus eos qui vel læſerūt, vel læſiſſe videntur, inſtituāt, ne ſibi ipſis magis noceant quam aduerſariis, quod tum demum futurum eſt, ſi litigātes Timorem Dei, Amorem veritatis, & Dilectionem mutuam ſecū in iudiciū nō adferant. Hæc enim tria optimi conſiliarii erunt, qui litigantes intra iuſtos limites ſuis cōſiliis continebunt. Timor enim Dei ſuadet ne quid contra iuſtitiā tentent litigantes. Amor veritatis monet ne cauſam ſuam fuco aut mendacio pingant. Fraterna charitas cauet ne contra fratres aliena a cauſa cumulent, quo odioſos aduerſarios aut ſuſpectos iudici reddant.

Huc Salomonis dictum pertinet *Prouerb.* 25. Noli properare ad litigationem, nec quid facias quod poſtea proximū cōfundat. Age cauſam de qua eſt cōtrouerſia inter te & proximum, & arcanum alterius noli reuelare. Hæc ſententia ordinat litigationem forenſem. Pius homo fugiat lites quā tum poteſt, differat quā poſſit diutiſsime. Et ſi omnino litigandum eſt, partes inter ſe diſceptēt rationibus iuſtis, remo

tis

tis præstigiis Sophismatũ & Sycophantiarũ, frenent cupiditatem vindictæ, & totũ πλεονεξίας ingeniũ, caueant ne bonã causam male agẽdo corrũpant, abstineant ab iis quę ad causam nõ pertinẽt. *Breuiter.* Quod iustũ est, iuste persequatur.

QVARTA PARS.

Qui facit hæc non mouebitur in æternum.

HOc est: is & iure occupat locum in Ecclesias in hoc mundo, & futurus est hæres vitæ æternæ in qua nulla vicissitudo rerum pertimescenda est ei qui iis virtutibus studet, quæ in hoc Psalmo piis cõmendantur, vt notæ characteristicæ filiorum Dei. Contra vero qui hæc non facit & in his virtutibus non occupatur, nec iure ciuis Ecclesiæ in hac vita censendus est, nec futurus est hæres vitę æternę. Hæc sententia non est alicuius hominis qui errare potest, sed Dei qui est ipsa veritas. Quare nemo se fallat inanibus cogitationibus, nemo seducatur exemplis & multitudine errantium. Quilibet enim suum onus portabit.

Vsus Psalmi decimiquinti.

Huius Psalmi vsus perpetuus esse debet in Ecclesia, ideoque merito ediscendus & quotidie recitandus est. Est enim & norma ad quam vita piorum exigenda est, & sententia Dei immota de vera Ecclesia & falsa, de viuis Ecclesiæ membris & mortuis, de futuris hæredibus vitæ beatæ, & de impiis in gehennam æternum abiiciendis. Non est quod quis tabulas Parcarum quærat, vnde cognoscat sitne electus an abiectus: Hic Psalmus claram Dei vocem continet, in qua veluti tabulam scriptam manu Dei aspicere licet. Hanc intueamur mente, ad hanc examinemus nostram vitam, nostras actiones & mores. Quos si viderimus congruere ad præ-

ſcriptam normam, agamus gratias Deo, pergamus in cepto curſu, ſemper precantes vt nos ſuſtentet, ſemper cauentes inſidias Diaboli, qui nunquam non piis inſidiatur, vt vel eos in errores præcipitet, vel vitam moreſque eorum polluat, quo rurſus eos in exitium præcipitet. Contra vero ſi depræhenderimus nos a via recta aberraſſe, mature demus gloriã Deo noſtro priuſquam obtenebreſcat, & antequã offendãt pedes noſtri ad mõtes caliginoſos. Et reſipiſcamus per veram pœnitentiam ſeu conuerſionem ad Deũ, vitam componamus ad regulam, retineamus fidem & bonam conſcientiam, militemus honeſtam militiam aduerſus carnem, mundum & Satanam. Et quia ſentimus nos impares tãtis hoſtibus eſſe, imploremus auxilium eius qui vicit mundum, hoc eſt, Chriſti & Domini redemptoris & mediatoris noſtri vnici, in quo victoriam aduerſus mundum reportabimus, modo conſtantes in fide perſtiterimus, iuxta illud Ioannis: Hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides noſtra. Huic noſtro mediatori & victori mundi Domino noſtro Ieſu Chriſto ſit honor laus & gloria, vna cum Patre & Spiritu ſancto, in omnem æternitatem.

AMEN.

PSALMVS

PSALMVS DECIMVS SEXTVS.

Summa Psalmi Decimi sexti.

IN hoc Psalmo filius Dei Saluator noster introducitur orare pro se & sua Ecclesia, & testatur se abhorrere ab impiorum cœtibus, agit gratias Deo, quod ab illo defensus sit, & euaserit victor mortis & inferni. Petrus actorum 2. Et Paulus actorum 13. hunc Psalmum de regno Christi, de morte & resurrectione interpretantur, hinc conuincentes, quod Christus mortuus debuerit resurgere antequam ipsius caro in sepulcro deficeret, aut putresceret. Est itaque hic psalmus propheticus & didacticus. Cuius summa eo redit, quod miseris & perditis hominibus salus morte & resurrectione Christi restituatur. Titulus psalmi Hebræis est Michtam, Græcis στηλογραφία. Michtam aureolum seu κειμήλιον ex auro purissimo, significat quod hic Psalmus fuerit Dauidi preciosissimus, idque merito. Dictante enim Spiritu Christi hunc Psalmum scripsit Dauid. Vnde haud dubie summam consolationem percepit in tota vita, & in morte victoriam super morte & inferno, fiducia in Messiam collocata, quem hic introducit loquentem.

στηλογραφία est victoriæ descriptio. Columna enim, ait Theodoretus, non sepulchris solis imponitur, verumetiam vincentibus erigitur, literasque scriptas habet, quæ inscientes victoriam docent. Titulus ergo

hic græcus monet, quod hic Psalmus sit prophetia de victoria Christi super peccato, morte, inferno, diabolo. Et quoniam euentus optimus est interpres prophetiarum, historia euangelica lucem clarissimam huic psalmo adfert, vt non sit opus longa enarratione.

Ordo & dispositio Psalmi Decimi sexti.

Etsi autem hic psalmus in duas partes præcipuas, videlicet precationem & gratiarum actionem distribui potest: tamen, vt maiorem fructum ex eo percipiamus, placet eum in sex partes distribuere, quæ sunt:

Prima. Precatio cum suis rationibus 1. & 2. vers.
Secunda. Affectus Christi erga Ecclesiam vers. 3.
Tertia, Pœna hostium Ecclesiæ versu 4.
Quarta. Ecclesiæ encomion versu 5. & 6.
Quinta. Gratiarum actio pro liberatione versu 7. 8. & dimidio noni.
Sexta. Narratio prophetica mortis & resurrectionis Domini in reliquis versibus vsque ad finem.

EXE-

EXEGESIS PSALMI DECIMI SEXTI CVM INDICATIONE doctrinarum.

PRIMA PARS.

1. *CVstodi me Deus, quoniam spero in te.*

2. *Dixi, Iehouah, Deus meus es tu, propter te non est mihi bene.*

PRecatio est Christi luctãtis in agone mortis. Est enim prophetia eius precationis, quam Dominus in horto paulo antequam caperetur orauit ratione assumptæ humanæ naturæ. Etsi autem precatio hæc personæ Christi est, tamen respectu humanæ naturæ intelligenda est, vt erudite Theodoretus narrans hunc psalmum explicat, cuius sunt hæc verba: Ex persona saluatoris dictatus est hic Psalmus, secundum vero humanitatem prolatus, sicut alia multa & in sacris Euangeliis inuenimus. Et tale est illud: Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste, verumtamen non vt ego volo, sed vt tu. Et vado ad patrem meum & patrem vestrum. Eodem modo reperiemus ipsum continenter deprecantem & genua inflectentem. Humanæ autem naturæ hæc esse, nec ad deitatem, quæ omnibus rebus affluit, spectare Apostolus aperte docet. Dicit enim sic in epistola ad Hebræos: Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum, qui possit illum saluum facere a morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia. Et quidem cum esset filius Dei, didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam, & consumatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ. Consumatus est autem non Deus Verbum, qui ante secula perfectus erat: verum forma serui consumata est, cum impatibilis, incorrupta, & immortalis effe-

cta sit. Hæc igitur ait effecisse Dominum in diebus carnis, cum mortale habuit corpus. Igitur omnia hæc secundum hominem sunt, Deoque minime conueniunt. Eodem modo in proposito Psalmo, vt conseruetur postulat, & a seipso conseruatur. Postulat enim vt homo, petitionem vero concedit vt Deus, videlicet concurrente bona proprii patris voluntate & opera. Hactenus Theodoretus. Iam ad verba psalmi redeamus.

Conserua, inquit, *me Deus, quia spero in te.* Hic tria sunt: compellatio, precatio, & ratio.

Compellatio, cum inquit: *o Deus.* Est enim solus Deus in omni angustia nostra inuocandus. Cuius rei causas sæpe supra recitauimus. Et vtitur hic compellatione admodum accommodata, nempe a potentia Dei sumpta.

Precatio: *Conserua me*, hoc est: ne sinas me succumbere in hoc agone omnium maximo, sed adiuua luctantem & libera me.

Ratio est: *Quia spero in te*, id est, In te solo meum præsidium statuo.

Hic confirmamur de exauditione in nostris precibus, quod in capite præcessit, vere etiam in membris sequetur. Proinde certissime statuamus, quod orantes iuxta mandatum Dei in vera fiducia exaudiamur propter Christum, iuxta dulcissimam illam promissionem: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabitur vobis.

Dixi Iehouah: Deus meus es tu.

Ætiologia est, cur videlicet speret in Deo, nimirum, quod Deus ipsius Deus sit, a quo sustentatur, & a quo omne ipsius, tanquam a iustissimo iudice, præsidium pendet. Atque ita quilibet pius Deum omnibus communem suum peculiarem Deum facit, dum se totum illi submittit per fidem, quia piis omnibus ita sufficit vnus & idem Deus, vt singulorum proprius recte dici possit. Pagninus vertit: Dic o anima Iehouæ: Deus meus tu, vt sit Apostrophe ad animam propriam, quam excitat ad fidendum Deo, ne tristitiæ magnitudine absorbeatur. De qua tristitia ipse Dominus testatur apud Euangelistas: Tristis est anima

anima mea vsque ad mortem.

Propter te non est mihi bene. Alia est precationis ratio. *Propter te*, inquit, *non est mihi bene*, id est: Quia tibi obedio, & facio voluntatem tuam, ideo affligor. Hinc petant pii consolationem, quoties propter euangelium seu iustitiam persecutionem patiuntur. Si enim Christi discipuli sumus, feramus cum Christo communem sortem non dubitantes quin euentus tandem sit futurus gloriosus. Alii autem sic reddunt: Bonum meum non ad te, hoc est, nihil tibi confert: eo enim non indiges, seu, vt Augustinus ait, bonis meis non expectas fieri beatus. Quo enim indiget, ait Ambrosius, qui abundat omnibus, vt largitur vniuersa? Omnia sine defectu ministrat, a quo accepimus omnia, ipsi autem nihil conferimus? quia nullo indiget. Hanc sententiam Græcus interpres secutus est: ὅτι ἀγαθῶν μοῦ οὐ χρείαν ἔχεις: id est, *bonis meis non eges*. Est & hæc interpretatio concinna & analoga fidei: bonum meum, id est, obedientia mea sub cruce nihil tibi confert sed sanctis qui sunt in terra.

Porro hic sapientia carnis, quæ stultitia est coram Deo, tria obiicit.

Primum. quomodo cum sit summe beatus, tristatur?

Secundum. Cur petat, quod habeat in sua potestate?

Tertium. Cur angatur quasi in re dubia, cum sciat euentum?

Ad primum dico.

Beatitudo summa spectanda est & in suis causis, & in plena eiusdem possessione seu fruitione. Causæ beatitudinis humanæ naturæ hæ fuere. *Prima*, quod vnita sit diuinæ naturæ in vnitate personæ. *Secunda*, quod sit sancta & pura, concepta & nata sine peccato. *Tertia*, Obedientia eiusdem erga Deum iuxta legem. *Quarta*, Obedientia sub cruce vsque ad mortem. *Quinta* victoria super morte, diabolo, & inferno. *Sexta*, glorificatio, ascensio in cœlum, & collocatio ad dexteram patris. Per tres enim veluti gradus peruenit humana natura Christi ad summam beatitudinem supra omnes alias creaturas. Sic enim nos Paulus *Philip.2.* docet: humiliauit seipsum, & factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: quapropter eum Deus extulit, & dedit ei nomen, quod est supra omne nomen, vt ad nomen Iesu omne genu

ſe flectat, cœleſtium, terreſtrium & infernorum. Omníſque lingua confiteatur, quod Dominus ſit Ieſus Chriſtus ad gloriam Dei patris.

Ad ſecundum dico.

Cum Iohannes dicit: poteſtatem habeo ponendi meam animam & rurſus ſumendi eam, loquitur ex idiomate diuinæ naturæ, quam requieſcere oportuit in paſſione, vt humana natura in Chriſto vere ſentiret dolorem inferni in anima, & mori corpore poſſet. Mortuus ergo ſecundum carnē mox diuina virtute tertia die victor euaſit. Ita enim Petrus. 1. *Pet.* 3. ait: Mortificatus quidem carne, viuificatus autem Spiritu, id eſt, vt Paulus interpretatur. 1. *Cor.* 15. crucifixus eſt ex infirmitate, ſed viuit ex Dei potentia.

Ad tertium dico.

Etiamſi Chriſtus euentum ſciuit, tamen ſimul & infirmitatem nouit, & quo maior fuit in Chriſto ſapientia, eo magis intellexit quanta fuerit ira Dei. Hanc quia nouit ſine auxilio diuino ſuſtineri non poſſe, & auxilium & liberationem petit. Quapropter nullo modo ferendi ſunt iſti interpretes, qui hic Tropos fingunt, quibus mollire conantur dicta ſcripturæ de anxietate & doloribus Chriſti patientis. Sit nobis lucerna verbum Dei, credamus prædictionibus prophetarū, adhæreamus narrationibus Euangeliſtarum, ac retineamus confeſſionem piæ antiquitatis. In hoc Pſalmo, vt audiuimus, filius Dei clare dicit: *Conſerua me*, quę vox eſt luctantis & ſentientis, quam triſte onus ſuſtineret. Dauid *Pſalmo* 18. Spiritu prophetico clamat Dominum fuiſſe circundatum doloribus inferni. Dolores inferni, inquit, circumdederunt me, præoccupauerunt me laquei mortis. Vocat autem inferni dolores lethales, vt qui tanti ſunt, vt pene hominem enecent, & in ſepulchrum detrudant. Eſaias *cap.* 53. affirmat Dominum vere languores noſtros portaſſe. In Euangelica hiſtoria plurima habemus teſtimonia. Ipſe Dominus ait: (vt Matthæus refert) Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem, id eſt, ipſa morte grauior eſt dolor animæ, quem patior. Lucas 22. *capite* ait: Anxietate correptus prolixius orabat, & erat ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentes in terram. Conſentaneum autē eſt, vt quemadmodum mors eius omni morte fuerit acerbior ſecundum ſenſum corporis: ita reformidationem om-

nium

nium maximam fuisse in anima. Atque vt immensa charitas nihilo fecit mitiorem sensum mortis in corpore: ita nihil mitigauit de reformidationis acerbitate in anima, quę tāta fuit, vt Angeli etiā corroboratione opus habuerit. Nā, vt Lucas ait, apparuit ei Angelus de cœlo corroborans eū. Diuinitas enim quiescebat, vt vere angeretur humana natura oppressa ira Dei propter peccatum non suum, sed nostrum, quod tamen suum fecit recipiendo in se personam nostram.

Piæ antiquitatis duo tantum testimonia adiiciam, vnum Irenæi. Alterum Ambrosij. Irenæus sic ait: Quemadmodū homo fuit vt tentaretur: ita etiam Verbum, vt glorificaretur, & quiescebat quidem Verbum, dum tentaretur, crucifigeretur, & mortem obiret: Homini autem aderat, dum vinceret, sustineret, resurgeret, & in cœlum ascenderet. Ambrosius in 22. *cap.* Lucæ sic scribit: Hærent plerique hoc loco, qui tristitiam Saluatoris ad argumentum inolitæ potius a principio quam susceptæ ad tempus infirmitatis inclinant, vt naturalis sensum cupiunt retorquere sententiæ. Ego autem non solum excusandum non puto, sed etiam nusquam magis pietatem eius, maiestatemque demiror. Minus enim contulerat mihi, nisi meum suscepisset affectum: Ergo pro me doluit, qui pro se nihil habuit, quod doleret: & sequestrata delectatione diuinitatis æternæ tædio meæ infirmitatis afficitur. Suscepit enim tristitiam meam, vt mihi suam lætitiam largiretur, & vestigiis nostris descendit vsque ad mortis ærumnam, vt nos suis vestigiis reuocaret ad vitam. Confidenter ergo tristitiam nomino, cum crucem prædico. Neque enim speciem incarnationis suscepit, sed veritatem. Debuit ergo dolorem suscipere, vt vinceret tristitiam, non excluderet. Neque enim habent fortitudinis laudem, qui stuporem magis vulnerum tulerint, quam dolorem. Hactenus Ambrosius.

Angores proinde & ingentes dolores in anima Christi fuisse vere statuamus verbo Dei edocti, & piæ antiquitatis confessione: Quorum ingentium dolorum causa fuit conscientia scelerum omnium hominum, quorum reatum in se receperat iamiam a discipulo tradendus in manus hostium. Agnoscamus ergo grati hoc immensum beneficium Saluatoris nostri, qui iram Dei in se suscepit, vt satisfaceret

non pro ſuis, quæ nulla habuit, ſed pro noſtris peccatis. Eſt enim piorum, conſilium Dei adorare, qui voluit filium ſuum in iſtas anguſtias venire, vt vere ſentiret dolores inferni, vere guſtaret, & vere fieret victima expiatrix peccati & propitiatrix iræ Dei. Nam ſi filius Dei non fuiſſet vere in carne paſſus, & non vere ſenſiſſet dolores inferni, nulla vera expiatio pro peccato, nulla vera propitiatio, qua placata eſt ira Dei, fuiſſet apud Deum.

SECVNDA PARS.

3. *Sanctis, qui in terra ſunt & magnificis, omnis voluntas mea in eis.*

HIc verſus exprimit affectum Chriſti erga Eccleſiam pro qua affligitur. Cuius ſenſus eſt: Ego Deus non poſſum de te bene mereri, qui meis bonis non indiges, ſed mea beneficia ad ſanctos pertinent, quibus delector, & quos ſummo amore proſequor.

Etſi autem hunc verſum quidam de Apoſtolis interpretantur, qui Spiritu Dei roborati magnifica & præclara opera fecerunt, quæ ſententia videtur fuiſſe Græci interpretis, qui vertit: ἐθαυμάστωσεν ὁ κύριος πάντα τὰ θελήματα αὐτοῦ ἐν αὐτοῖς, id eſt, *Mirabiles fecit omnes ſuas voluntates in eis*, ſcilicet, *doctrina & miraculis*: Tamen rectius ad totum Eccleſiæ corpus referendum eſſe videtur.

Vt autem multiplicem doctrinam & conſolationem in hoc verſu contentum eruam, analyſin inſtituam, & particulatim proponam quæ in hoc verſu includuntur.

Primum itaque hic indicatur, *Vbi ſit Eccleſia, & vbi quærenda*? nimirum, quod & ſit in terra, & in terra quærenda. Idque non in aliquo remoto, aut inacceſſo loco, ſed vbiuis gentium, vbicunque ſonat vox Euangelij. Quare nullus loco impeditur, quin huius Eccleſiæ domeſticus eſſe poſſit, modo velit. Monet ergo nos hæc circumſtantia, ne alligemus Eccleſiam certo loco ſeu certæ Nationi. Non igitur clauditur limitibus Romani imperij, vt papa exiſtimat, quæ nec Romana, nec Italica, ſed Catholica nominari debet. Cuius etiam fides Catholica dicitur, quia Deus vult eam omnibus eſſe communem vt nullus ab ea excludatur, modo velit ſe ei adiungere. Cuius hæc vnica

cauſa

causa est: Christus Ecclesiæ caput cum sit vbique & omnium Dominus, vult suum dominium vbique conspici. Vbicunque ergo locorum vox Euangelij incorrupta sonat, ibi sciamus veram esse Ecclesiam, quod non tantum de externo ministerio accipio, verumetiam de occulto, vbi homines priuatim legunt & discunt Euangelium, vt in Turcia, & apud alias profanas gentes semper sunt quidam, qui tametsi non habent externum ministerium, tamen verbum habent, in quo efficax est Spiritus sanctus, qualis fuit Naaman, Iob & Ioseph in medio infidelium. Vbicunque enim verbum est, & fides verbi, ibi viua etiam Ecclesiæ membra sunt.

Secundo docemur hic, *qualis sit Ecclesia*, nempe *Sancta & magnifica.*

Verum quia omnes lapsi sumus in Adam, & natura nascimur omnes filij iræ, & polluti, vt scriptura docet, & propria omnium hominum experientia testatur, monemur hoc loco, vt quæramus:

Vnde sit illa Ecclesiæ sanctitas?
Quomodo hominibus in peccatis contingat?
In quibus rebus sita sit? &
Cui fini destinetur?

Harum enim circumstantiarum explicatio pernecessaria est ad recte intelligendum hunc versum. Quare illas ordine quam breuissime percurram.

Vnde ergo sanctitas Ecclesiæ?

A sancto Sanctorum Iesu Christo. Hic enim solus inter filios hominum per se sanctus est, & venit in hunc mundum vt omnes inuitaret ad consortium suæ sanctitatis. Ita enim ait: Venite ad me omnes &c. Et pater mandat, vt hunc audiamus omnes, de quo testatur dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, hunc audite.

Quomodo contingit homini hæc sanctitas?

Per gratiam. Cum videlicet ad vocem Euangelij auditam, vel lectam, vel cogitatam concipimus fidem in

ſanctum ſanctorum, hoc eſt in Ieſum Chriſtum mediatorem noſtrum vnicum, qua fide dum Chriſto inſerimur, efficimur ſancta membra capitis ſancti. Nam ſanctitatis Chriſti per ſocietatem noſtri cum illo efficimur participes.

In quibus rebus ſita eſt hæc Eccleſiæ Sanctitas?

Sanctitas Eccleſiæ alias in exilio noſtro ſeu in hac vita, alias in cœleſti patria conſideratur. In hac vita ſanctitas Eccleſiæ duplex, vna imputata, altera inchoata. Imputata ſanctitas eſt, quæ fide iuſtificato imputatur. Vt enim credens iuſtificatur Chriſti iuſtitia ſibi imputata: ita iuſtificatus ſanctificatur eiuſdem ſanctitate, & ſeparatur ab impuro diabolo & eius membris, conſecratur Deo & illi offertur in gratiſſimum ſacrificium per Chriſtum Ieſum. Etſi enim iuſtificatio & ſanctificatio, de qua loquimur, ſemper cohęrent: qui enim iuſtificatus eſt, eſt etiam ſanctificatus, & qui eſt ſanctificatus eſt etiam iuſtificatus: tamen quia Paulus hæc diſtinguit, & diſtincta beneficia Chriſti eſſe commemorat, omnino diſtinguenda ſunt: Chriſtus, inquit, nobis natus eſt a Deo ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio & redemptio.

Inchoata ſanctitas Eccleſiæ conſiſtit in mortificatione carnis, & viuificatione Spiritus, ſeu in renunciatione operum tenebrarum, & ſtudio innocentiæ. In futura vita erit formalis punitas omnibus modis abſoluta & perfecta. Tūc enim erimus conformes Deo, & perfecte puri & mente & corpore. Similes enim Chriſto noſtro capiti erimus in omnem æternitatem.

Cui fini deſtinatur Eccleſiæ ſanctitas?

Vt gratia ſaluati, & ſanguine Ieſu Chriſti purgati Deo ſeruiamus in iuſtitia & ſanctitate vera, vt magis magiſque reformetur in nobis imago Dei per Ieſum Chriſtum naturalem & viuam patris imaginem.

Hactenus de ſanctitate Eccleſiæ: iam de eius magnificentia & gloria nonnulla adiiciemus. Cum ſanctitate enim Eccleſiæ coniungit Dauid magnificentiam eius, quæ non eſt externa, ſed interna. Omnis enim gloria filiæ Regis ab intus eſt *Pſalm*, 45. nec eſt carnalis, quæ in oculos hominum

incurrit,

incurrit, sed spiritualis, quæ ab iis solummodo intelligitur, qui sunt per filium Dei sanctificati & ipsius sunt viua & vera membra.

Tametsi autem multum differt magnificentia Ecclesiæ ab illa externa mundi & carnali magnificentia : tamen si confertur ad illam, illustrior erit eius definitio. Vt ergo carnalis & externa magnificentia est rerum magnarum & excelsarum cum animi ampla quadam & splendida propositione, agitatio atque administratio : (Sic enim Cicero eam definit) ita spiritualis & æterna magnificentia Ecclesiæ propria est ex spiritu adoptionis concepta fiducia, qua gloriamur in domino nostro Iesu Christo, per quem victores carnis, mundi, diaboli, facti triumphamus, præclareque nos gerimus, quotidie magis magisque in omni cognitione & sensu proficientes, vt probemus quæ excellentia sunt, simus sinceri atque in offenso cursu pergamus ad diem vsque Christi, pleni fructibus iustitiæ per eundem Christum ad gloriam & laudem Dei. Hæc magnificentia Ecclesiæ, externæ illi & caducæ anteponenda est. Non enim clauditur limitibus huius vitæ, sed durabit in omnem æternitatem. Alexandri Magni magnificentia finem infœlicem sortita est : Lazari iacentis extra portam diuitis epulonis magnificentia adhuc durat, & manebit in æterna vita, quæ cum vera animi pietate semper coniuncta est. Quare non immerito de pietate dicitur,

Est merito pietas homini tutissima virtus.

Atque hæc in genere de magnificentia & gloria Ecclesiæ dicta sint.

Verum vt hæc magis conspiciatur rapiamurque in ipsius amorem, visum est gradus huius magnificentiæ & gloriæ attingere, qui inter multos hi præcipui constitui possunt.

Primus gradus magnificæ gloriæ Ecclesiæ est, quod ipsi Ecclesiæ soli commendatum sit præclarum depositum, quo nullum prçclarius est. Est autem hoc depositum verbum Dei, hoc est, scripta Mosis, prophetarum & Apostolorum, quæ suut dictata a Spiritu Dei, in quibus scientia salutis veræ per mediatorem nostrum Dominum Iesum Christum proponitur, vna cum vera Deum colendi ratione. Hic thesaurus vniuersis Persarum gazis merito

anteponendus est. Qui enim opes totius huius mundi possidet,& hunc thesaurum non habet, miserrimus est & pauperrimus,quantumuis coram mundo beatissimus habeatur. Quid iuuatur homo,ait Magister noster, si lucratus fuerit totum mundum,animæ suæ detrimentum patiatur? Magni igitur hunc faciamus thesaurum, qui dignitate,nobilitate, æternitate, claritate, necessitate cœlum & terram excedit.

Secundus gradus magnificæ gloriæ Ecclesiæ. Etsi autē possessio verbi Dei nobilissimus est Thesaurus, & præclarum depositum,vt diximus:tamen sine eius vsu legitimo nemini prodest. Vt enim opes repositæ sine vsu nihil conducunt possessori suo: ita verbum Dei nihil iuuat nos, nisi eo legitime vtamur. Ecclesia quidem, hoc est, externus cœtus profitentium fidem Christianam habet hunc thesaurum: sed in ea sunt & mortua & viua membra. Mortua membra nullum fructum ex hoc thesauro percipiunt. Viua id est,qui fidem huic verbo adhibent,qui regenerantur & viuificantur per Spiritum Sanctum ad prædicationem seu meditationem verbi,soli fructum percipiunt.Nam hi per fidem oblatam per verbum adoptionis gloriam consequantur, vt iam filii Dei sint & vocentur.Dedit enim Deus hanc dignitatem & honorem credentibus in nomen Christi, vt filii Dei sint,& vocentur.Hæc magnifica gloria adoptionis nulla potest maior cogitari,nulla augustior, nulla beatior, a qua & procul absunt & profanæ gentes omnes, & mortua Ecclesiæ membra. Quare demus operam, vt non membra mortua,sed viua simus,quo nobis sit vsui thesaurus ille præclarus apud nos depositus.

Tertius gradus magnificæ gloriæ Ecclesiæ est, quod Ecclesia sit templum seu domus Dei viuentis, in qua Deus vt habitat & inambulat,iuxta scripturas. Cuius maior est splēdor, quam omnium palatiorum principum huius mundi, tametsi foris non appareat. Tabernaculum quod fecit Domino Moses in solitudine, sicut & templum,quod extruxit Solomon Hierusalem, Typus Ecclesiæ fuit,quę est domus seu familia Dei. Vnde Paulus credentes domesticos Dei nominat *Eph.2.* De hac quidam patrum sic ait: Vnus Deus vnam fidem tradidit, vnam Ecclesiam toti orbi diffudit,hanc diligit,hanc defendit,quolibet se quisque nomine tegat, si huic non sociatur alienus est, si hanc impugnat inimicus est. Huius typus etiam erat punicum malum tin-

tinabulo adiectum, vt est *Exodi* 28. Hoc adumbrabat Ecclesiam & eius vnitatem significabat ex multis gentibus in vnum sonum, id est, in eundem fidei consensum. Sicut enim in malo punico vno exterius cortice multa interius grana vniuntur: Sic innumeros sanctæ Ecclesiæ populos vnitas fidei coniungit, quos intus diuersitas donorum ad mutuam ædificationem fouet.

Quartus gradus magnificæ gloriæ Ecclesiæ est. Quod Ecclesia sola habeat in quauis necessitate accessum ad Deum per Dominũ nostrũ Iesum Christũ, vt Deus sit protector & defensor Ecclesiæ. Hoc præsidiũ sola habet Ecclesia aduersus hostes suos, diabolos & eorum membra. Sic enim de Ecclesia *Deuteron.* 4. scriptum est: Non est alia ratio tam magnifica, quę habeat Deos appropinquãtes sibi, sicut Deus noster adest cũctis obsecrationibus nostris. Sicuti & ipse dicit, vt est in *Psalmo* 50. Inuoca me in die tribulationis & exaudiam te, & honorificabis me. Annon hæc maxima est gloria, qua omnes homines, qui sunt extra Ecclesiam, destituuntur. Etsi autem Ecclesiæ membra sunt in se infirma, tamen hoc præsidio consistunt, & saluantur, iuxta hanc dulcissimam promissionem: Omnis qui inuocauerit nomen Domini saluus erit. Ideo Christus ait: portæ inferorum non præualebunt aduersus eum. Conseruat igitur Deus Ecclesiã, & adest ipsi militãti aduersus hostes suos, carnẽ, mundum, & diabolum. Et quantumuis sæuit diabolus in membris suis aduersus Ecclesiam, vt eam opprimat: tamen, Deo conseruante Ecclesiam, durabit. Et tametsi multi sancti in Ecclesia crudeliter tractantur & occiduntur a Tyrannis: tamen non propterea pereunt, sed viuunt, alioqui eorum mors in conspectu Dei minime preciosa haberetur. Nunc autẽ cũ propter euentum pretiosa dicatur, non est dubium quin in ipsa morte Sancti Dei Martyres flores Ecclesiæ victoriam reportent gloriosam. Ecclesiæ enim decus nonnisi per ærumnas elucet. *Esaiæ* 20. Ecclesia insulæ comparatur, quia vndique variis procellis alluitur, & solo Deo adiutore & defensore cõtra tot tẽpestates persecutionũ secura cõsistit. Vt enim Deus posuit terminũ mari: ita non permittit persecutoribus vltra persequi Ecclesiam, quam vt illa ferre queat, & ei vtile sit. Sic enim Paulus Ecclesiam Corinthiacã consolatur: fidelis autem est Deus,

qui non ſinit vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed præſtabit vna cũ tẽtatione etiã euaſionẽ vt poſſitis ſufferre. 1. *Cor.* 10. Cõfertur Eccleſia etiam Arcæ Noe. Sicut enim arca Noe aquis quidẽ & procellis cõcuſſa eſt, & huc illucque iactata: non eſt tamen aquis obruta aut abſorpta, ſed ſeruata diuinitus, in qua Deus Noe & eos qui cum eo in arca erant, defendit: ita Eccleſia in diluuio perſecutionum, quale nunc maximum videtur imminere, Deo defenſore, tuta erit, etiamſi multa membra Eccleſiæ haud dubie glorioſo martyrio coronabuntur. Qui ergo in hoc imminenti diluuio ſecurus eſſe velit, includat ſe in Noe arcam per viuam fidem, & veram obedientiam erga Deum, vt poſsit cum Nazianzeno ex animo & vere dicere:

Ζητῶ νῶε κιβωτον, ὅπως μόρον αἰνὸν ἀλύξω. id eſt:

Arcam Noe peto quo vitem triſtia fata.

Quintus gradus magnificæ gloriæ Eccleſiæ eſt gloria hęreditatis æternæ, qua fruemur cum Chriſto in omnem ęternitatẽ. De hac gloria Paulus loquitur cum ait: Cum Chriſtus apparuerit, qui eſt vita noſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria *Coloſſ* 3. Et 1. *Iohan.* 3. Nunc filii Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus autem quod cum apparuerit ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt. Omnis ergo qui habet hanc ſpem ſanctificat ſe, ſicut & ille ſanctus eſt. Et 1. *Petri* 5. Deus vocauit nos ad ſuam æternam gloriam in Chriſto Ieſu. Huius æternæ gloriæ Eccleſiæ cogitatione erigamus nos aduerſus ærumnas huius vitæ, militemus honeſtam militiam, retineamus fidem, tueamur bonam conſcientiam. Atque hæc de magnifica Eccleſiæ gloria breuiter indicata ſint.

Tertio, cum additur: *Et omnis voluntas mea in eis ſeu erga vos.* Significat filius Dei ſe promptiſsima voluntate mortem ſubire pro humano genere. Sic enim hanc filii Dei voluntatem euentus definit. *Iohannis* 17. pro eis ſanctifico meipſum, vt ſint & ipſi ſanctificati per veritatem, id eſt, per verbum, quod fide apprehendunt. Atque ita hæc filii Dei voluntas intelligatur de omni, id eſt, ex omni parte perfecta ſeu promptiſſima obedientia, qua ſponte obediuit patri forma ſerui aſſumpta vſque ad mortem crucis, vt Paulus loquitur: Vt ſua morte redimeret omnes qui Euangelium amplectuntur. Sicut enim ait Author

Epiſtolæ

Epiſtolæ ad Hebræos 5. Conſecratus factus eſt author ſalutis æternæ omnibus ſibi obedientibus. Obedientia ergo fidei ſeu fide fit applicatio ſacrificii Chriſti, quod etſi ſufficiens λύτρον eſt pro omnibus, & per verbum Euangelii omnibus offertur: Tamen illi ſoli eius erunt participes, qui fide illud ſibi applicant, ſeu potius, qui illud fide viua amplectuntur.

Alias ſæpe dictum, cur acerbiſsimus cruciatus in corpore Chriſti, & triſtitia morte grauior in anima Chriſti, hoc eſt, cur ipſa paſsio Chriſti & mors ſit efficaciſſima actio?

Nimirum, quia ſponte ſuſcepta erat. Voluntas ergo fecit, vt grauiſsima paſsio Chriſti coram patre ſit actio omnium maxima, quia mors vincitur, peccatum abolecur, Deus placatur, Diabolus ſuperatur &c. Admoneat proinde nos hic verſus, vt ſegregemus nos a prophanis hominibus, qui hanc Sanctam Eccleſiam contemnunt & perſequuntur, vt Chriſtum audiamus, & ſanctæ Dei Eccleſiæ nos adiungamus, vt ornemus Eccleſiam noſtris bonis moribus in gloriam Dei, & ædificationem mutuam.

TERTIA PARS.

4. *Multiplicabuntur dolores eorum, qui ad alium accelerauerunt, non libabo libamina eorum de ſanguine, nec aſſumam nomen eorum per labia mea.*

QVia hic verſus videtur opponi proxime præcedenti. Quo facilior ſit nobis eius explicatio, ex antitheſi interpretationem petam. Vt igitur in ſuperiori verſu pronuntiat Eccleſiam eſſe ſanctã & magnificam, erga quam optime affectus ſit filius Dei, adeo vt ſeipſum pro ea tradiderit in mortem: Ita hic depingit hoſtium Eccleſiæ prophanitatem & ignominiam, a qua filius Dei adeo aborret, vt nec illorũ ſacrificiis moueatur, nec pro ipſis oret aut intercedat merito ſui ſacrificii. Et tametſi hæc potiſſimum ad Synagogẽ pertinent quæ Prophetas & Apoſtolos eſt perſecuta, & ſe multis idolis proſtituit, vt Ieremias ait, iuxta numerum vrbium tuarum fuerunt Dii tui o Iuda. Et Oſeas *cap.* 8. Multiplicauit

Ephraim aras ad precandum, hinc sibi dolorem ac ignominiam accersiuit Synagoga: Tamen recte ad Theses referuntur & accommodantur Ecclesiæ hostibus omnium temporum, de quorum pœna hic agitur, quæ est prophanitas, & ignominia, seu superstitio & interitus.

Tenemus summam sententiæ huius versus: iam particulatim videamus quid in hoc versu contineatur.

Continet ergo hic versus duo, quorum *Primum* est propria nota eorum, qui non sunt Ecclesiæ Christi membra, quæ nota est, relicto Christo, aliunde salutem quærere. Nam post alium accelerare est quærere alia salutis media, quam solum Christum, in quo solo salus & vita quærenda est. Fit autem hæc post alium acceleratio tribus, videlicet doctrina, cultu, vita. Quare hæc tria incontaminata seruare eum oportet, qui Christi domesticus esse cupit.

Alterum, quod habet hic versus est pœna eorū, qui Christum sequi recusant, & ad alia salutis media stulte confugiunt. Eaque triplex hic commemoratur.

Prima est multiplicatio dolorum, hoc est, cultuum superstitiosorum seu idolorum, quemadmodum quidam hic vertunt. Vocant enim Hebræi Idolola dolores per Metonymiam. Nam idola nihil suis cultoribus boni adferunt, sed tantum dolores, prophanitatem, ignominiam, interitum. Nam idolorum cultum tandem excipient dolores, opprobria nunquam finienda, & cruciatus.

Hic obiter obseruetur tria esse idolorum genera, quæ perniciem suis cultoribus adferunt, quorum *Primum* est Gentilium, qui fingunt sibi Deos, qui non sunt, eosque colunt sacrificiis suis. *Alterum* papistarum, qui sanctos demortuos loco Dei colunt, detrahentes Christo suum honorem. *Tertium* est, proh dolor, multis Christianis cum Ethnicis & prophanis hominibus commune, videlicet id, in quo suam felicitatem ponunt, cuius generis sunt: auaritia, ambitio, fœda voluptas, iuxta versiculos vulgo iactatos:

Ambitiosus honos, & opes, & fœda voluptas,
Hæc tria pro trino numine mundus habet.

Altera, quod ipsorum cultus Christo minime placebit *Non libabo*, inquit, *libamina eorum de sanguine*, id est, eorum sacrificia,

sacrificia sanguinolenta, & cultum superstitiosum non approbabo.

Tertia, quod non sint participes orationis seu intercessionis Christi. *Non assumam*, inquit, *nomina eorum per labia mea*, id est, non orabo pro eis, non intercedam pro eis.

Verum hoc omnino videtur intelligendum esse de eis, quibus Dominus obiecit blasphemiam in Spiritum sanctum, de quibus loquitur etiam Iohannis 17. Non pro mundo oro. Nam pro aliis hostibus orabat Dominus in cruce dicens; Ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Venit enim in mundum Dominus, vt ipse testatur, vt seruaret quod perierat. Et memorabile dictum Pauli est 1. *Timoth.* 1. fidus est sermo, & omni approbatione dignus, quod Christus Iesus venit in mundum, vt peccatores saluaret. Si ergo venit propter peccatores saluandos, & omnes homines sunt peccatores: Venit profecto propter omnes, iuxta illud: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Item, ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed pro totius mundi.

Obseruemus in hac tertia parte Psalmi, primum, discrimen inter veram Ecclesiam, & alias sectas. Deinde quod nulla sit salus expectanda nisi in solo Christo. Quare eos falli necesse est, qui Iudæos lege Mosis, Ethnicos lege naturæ, Turcas suo Alcorano, vt Christianos lege Euangelii saluari putant. Hos enim aperte Christus dicit sui sacrificii expertes fore quotquot eum non sequuntur, sed ad alios festinant. Et *Iohan.* 3. dicitur, Qui non credit in filium, ira Dei manet super eum.

QVARTA PARS.

5. *Jehouah pars hæreditatis meæ, & calicis mei, tu sustentas sortem meam.*

6. *Funes ceciderunt mihi in amœnis, etiam hæreditas præclara est mihi.*

IN hac quarta parte Psalmi prædicatur & celebratur Ecclesia, & quanta sit eius excellentia exponitur, & reddit hic causam filius Dei, cur ab impiorum sacrificiis abhorreat, & cur nihil

velit habere cum illis commune, videlicet, quia ipsi hæreditas præclara contigerit, quam vt ipse suo acquisiuit sacrificio: ita pater eam tuetur & amat tanquam suum peculium seu hæreditatem. De hac hæreditate seu peculio supra copiosius in Psalmo secundo dictum est, vbi pater filium alloquitur his verbis: postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ, quibus verbis, quemadmodum hic obscure subindicatur reiectio Iudæorum, quæ nullam habuit causam præter ipsorum contumaciam aduersus filium Dei, & conuersio gentium. Nam ex gentibus Ecclesia colligenda, est, quam hic sortem, calicem, & hæreditatem Domini nominat.

Verum vt hæc propius aspiciamus in tria membra hanc partem retexamus.

Primum est: Iehouah pars hæreditatis meæ & calicis mei, id est, Ipse Iehouah est portio mea seu pars hæreditatis meæ, hoc est, Dominus est meus Dominus, quem intime amo, cuique adhæreo, est mea hæreditas meaque sors, qua vnice delector. Nam vt Ecclesia est Domini hæreditas: ita ipse Dominus vicissim est Ecclesiæ hæreditas atque sors. Hinc est quod Ecclesia, *Petri* 5. dicatur sors Dei, & quod Paulus Colossensibus scribens ait: qui idoneos nos reddidit in partē sortis sanctorū in lumine. Quomodo autē hoc fiat, docet ipse magister noster his verbis: Vt sint omnes vnum, sicut tu pater in me, & ego in te. Et Petrus ait: Vt per ista fiamus consortes diuinæ naturæ 2. *Petri* 1.

Sed quomomodo fit illa vnio & illud consortium?

Per viuam in Christum fiduciam. Hac enim Spiritus sanctus copulat Ecclesiam Deo, vt habeat societatē cum patre & filio. Hoc olim in Leuitica Tribu adūbratum fuit, cui cū nullam Deus partem inter fratres suos attribuisset, dixit se illius sortem fore. Sic enim scribitur *Numer*. 18, Ego pars & hęreditas tua in medio filiorum Israel. Et *Deut*. 18. Iehouah est hæreditas eius.

Sed quare Dominus vocat se hæreditatem Ecclesiæ, & Ecclesiam suam hæreditatem?

Primum, vt similitudine nos doceat, quam sint certa illa bona, quæ nobis in filio promiserat pater. Nam vt filius

ius

ius habet succedendi in bona, quæ pater moriens relinquit, eoruntque possessionem sine omni controuersia occupaturus est: Ita nos, qui credimus, ius habemus æternorum bonorum in Christo, quæ suo tempore certissime possidebimus. Deinde, vt nihil probo filio magis dulce habetur, nihilque magis illi charū esse potest, quā hæreditas a dulcissimis parentibus relicta: ita Ecclesiæ nihil dulcius, nihilque charius est Deo, quo tanquā perpetua hæreditate in futura vita fruetur. *Tertio*, vt sciamus possessionem vitæ æternæ non cōtingere nisi filiis, idque gratis, & non ex merito nostro, sed dari nobis propter filium, modo & nos filii sumus. Si, inquit Paulus, filii, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohęredes vero Christi. Vt ergo Deus Ecclesiam: ita Ecclesia Deum tanquam nobilissimum κειμήλιον habet. Hinc petamus consolationem firmam cum in aduersis, tum in prosperis, cum in vita, tum in morte.

Secundum. Consolatio est: *Tu*, inquit, *sustentas hæreditatem meam*, id est, Tu pater sustētas Ecclesiam, quam ego meo sanguine redemi. Sustentat autem pater Ecclesiam verbo, spiritu, & potentia sua.

Significatur proinde hic, quod Ecclesia sit habitura potentes hostes, qui eā in hac vita perpetuo vexabunt: Nā serpens & eius semen semper insidiatur semini mulieris, id est, Christo in suis membris. Cum ergo videmus Ecclesiam inter tantas ruinas regnorum, & tam tristes confusiones opinionum, cultuum, & morum sustentari, sciamus hoc Dei opus esse, qui hæreditatem filii & suam sustinet, ac grati agnoscamus tantum beneficium Dei defendentis Ecclesiam aduersus Diabolum, & eius membra. Monemur quoque, vt semper simus in armis, ne nos incautos opprimat Diabolus. Circuit enim, vt Petrus ait, tanquam leo rugiens, quærens quem deuoret: Vigilemus igitur iuxta magistri nostri mandatum, & oremus, ne intremus in tentationem, scilicet circumuenti astutiis Satanæ, qui nunquā cessat insidiari doctrinæ & moribus Ecclesiæ. Quilibet ergo nostrum quotidie cum Dauide precetur: Sustenta gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea.

Tertium. Christi triumphantis vox est, *Funes*, inquit, *ceciderunt mihi in amœnis etiam hæreditas præclara est mihi.*

Alludit ad dimensiones agrorum, quæ fiebant funibus cum Iosua terram Canaan Tribubus Israel diuideret, nec aliud significatur hac loquendi formula, quam quod Christus vnice sua delectetur Ecclesia, quam suo precioso redemit sanguine. Hinc concluditur, in qua re sit posita piorum gloriatio in hac vita, videlicet, in eo, quod Dominum habeat triumphatorē, in quo & ipsam victoriā consequitur, iuxta dictum Iohannis: Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides vestra.

Et tametsi Ecclesia habet adhuc suos næuos & rugas in in hac vita: Tamen Christus eam adeo charam habet, vt istos næuos & rugas tegat, ac sanet quotidie magis magisque quando in vera inuocatione, sancto pioque proposito ad illum confugimus. Retineamus igitur confessionem, militemus strenue aduersus diabolum, propriam carnem, & mundum armati panoplia Dei, de qua Paulus ad *Ephes.6.*

QVINTA PARS.

7. ***Benedicam Iehouah, qui consuluit mihi, etiam noctibus erudierunt me renes mei.***

8. ***Pono Iehouah coram me semper a dextra mea est, non declinabo.***

9. ***Propterea lætatum est cor meum, & exultauit gloria mea.***

GRatiarum actio est, perceptionem enim beneficii naturali ordine gratitudo animi & gratiarum actio excipere debet. Filius enim Dei homo factus agit gratias patri pro liberatione sui & Ecclesiæ. Et simul ostendit quanto gaudio perfundatur ex sensu diuinæ liberationis & consolationis in agone mortis. Hæc summa sententiæ est huius partis. Nunc singula expendamus.

Benedicam, inquit, *Iehouah.*

Hanc phrasin scripturæ supra in quinto psalmo declaraui. Deus benedicit homini quādo sua bonitate seu beneuolētia homini benefacit. Homo benedicit Deo, quando agnoscit beneficiū Dei, & prædicat benefactorē, præstatque ei debitā obedien-

obedientiam. Quemadmodum hic filius Dei in assumpta humana natura Deo,qui sibi antea benedixerat tam splendida & ampla hæreditate vicissim benedicit,id est,agnoscit hæreditatem donatam, magnificamque illam gloriam Ecclesiæ suæ,& simul celebrat Deum, quem istius magnificæ gloriæ authorem esse nouit.

Qui consuluit mihi. Prima ratio gratiarum actionis, hoc est,qui suo consilio & potentia a periculo me liberauit, & tã præclara hæreditate me donauit. Hoc exemplum filii Dei nobis quoque imitandum est. Agnoscamus proinde beneficia Dei, benedicamus eum & inuocemus, iuxta Tobiæ dictum *cap*.4. Omni tempore benedic Deo,& pete ab eo, vt vias tuas dirigat.

Etiam noctibus erudierunt me renes mei. Secunda ratio gratiarum actionis. Etsi autem alii hoc dictum aliter accipiunt, ego duas interpretationes, quæ maxime congruere videntur,attingam.Quarum prior est:Ego gratias ago Deo, quod semper die nocteque eo sum erga Ecclesiam hæreditatem meam affectu,quod ipsam intime amem. Intimis .n.meis affectibus rapior ad amplectendam, fouendam & defendendã Ecclesiam,repudiata impiorum congregatione.

In voce renium duplex videtur esse figura,videlicet,Metonymia,& Synecdoche. Metonymia quidem,qua subiectũ pro adiuncto, seu continens pro contento ponitur. Sunt enim renes sedes affectuum,sed eorum potissimum,qui ad gignendum pertinent.Synecdoche vero,quoniam enim gignẽdi affectus sunt potentissimi, hos ponit pro omnibus affectibus ac desideriis,ac si diceret:Omnes mei affectus,omnia vota & desideria ad Ecclesiam hæreditatem meam fouendã, ornandam & defendendam propensa sunt.

Porro hic affectus in Christo requirit a nobis,qui eius hæreditas sumus,summam animi gratitudinem, vt illum vicissim amemus,ipsius gloriam omnibus rebus mundi anteponamus,simulque aliis nostro exemplo authores, vt Christum nobiscum agnoscant,& prædicent.

Alii, vt plærique Græci hoc dictum sic interpretantur: *Erudierunt*,hoc est,Corripuerunt me renes mei, vt ad tentationes Christi referatur.Per noctem enim obscuritatem tentationum,quibus superior factus est, intelligunt. Vt per renium in noctibus increpationem significetur interna affe-

ctuum pugna sine cessatione, in qua pugna quia superior factus est, hic Deo gratias agit. Sic Theodoretus & Apolinarius hunc locum interpretantur, quorum ille ait: A domino edoctus, & optimis cogitationibus vsus crucis nocte superior ero: hic vero sic reddidit: παννύχιος νεφροῖσιν ἐφ᾽ ἡμετέροις ἐδαμάσθην. Huc videtur respexisse author Epistolæ ad Hebræos, cum ait: Didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam sub cruce.

Posui Dominum in conspectu meo semper. Tertia ratio gratiarum actionis. Agit enim gratias Deo pro fiducia, qua in Dominum recumbat, ipsumque perpetuo ante oculos habeat, & pro studio obediendi Deo ex toto corde. Vtrumque enim opus Dei est, videlicet, vt & credamus, & ex fide Deo obediamus: tametsi & fides & obedientia sit spontanea. Quis enim vnquam inuitus credidit? quis nisi volens obediuit?

Quoniam a dextra est mihi, ne commouear. Quarta ratio gratiarum actionis pro præsenti auxilio & liberatione. Ago, inquit, gratias Deo pro præsentia ipsius, qui semper adest mihi ne commouear, & succumbam sub onere & grauitate persecutionum & malorum, quæ mundus & diabolus mihi intentant.

A dextris esse, significat hoc loco auxilio esse. Cum ergo hic dicit, quoniam a dextris est mihi, sensus est: mihi auxilio est, tanquam socius vel patronus latus meum cingens, & quidem dextrum, vt prior se periculo subiiciat, & mala imminentia depellat, vt non commouear fractus cruce, & acerbitate cruciatuum victus.

Quid nos hinc discemus? Vt exemplo filii Dei fiduciam in Deum collocemus, illum semper in conspectu habeamus tanquam testem & iudicem omnium actionum nostrarum, illum timeamus, ei obediamus, atque in cruce inuocemus, vt nobis sit a dextris, ne fracti mole persecutionum ab ipso deficiamus. Quod si fecerimus vere sentiemus ipsius præsentiam, & quod vitæ nostræ perpetuus sit custos.

Propterea lætatum est cor meum. Effectus est præsentiæ Dei in cruce. Dicit enim se gaudere, quod Deum habeat a dextris qui se sustentat, & qui pro se pugnat, ne commoueatur. Sic gauisus est Stephanus, & alii Dei Martyres sub cruce, qui tametsi dura passi sunt, tamen præsentia Dei intus corda consolantis & robur animi, ne sub cruce abiicerent consolatio-

nem

nem tribuentis. Non enim ſemper Deus adeſt, vt tribus viris coniectis in caminum ardentem adfuit, ſed aliquando foris ſinit corpora torqueri, vt magis glorioſa animi ſit victoria. Quæ enim quęſo eſſet virtus Martyrum aut gloria, ſi mox e periculo liberarentur, aut nō ſentirent cruciatus? profecto nulla. Dauid proinde in alio loco dicit, precioſa coram Domino mors ſanctorum eius. *Cur precioſa*? propter cauſam iuſtam, propter obedientiam debitam, propter confeſſionem neceſſariam, propter glorioſam animorum victoriam in Chriſto Ieſu Domino noſtro, qui vicit mundum, & propter remunerationem in reſurrectione mortuorum.

Hic cum ſit mentio gaudij ſanctorum, obſerua obiectum, cauſas, gradus, & conſumationem gaudij ſanctorum, quibus à mundi gaudio diſtinguitur.

Obiectum eſt ipſe Deus, vt Paulus ait: Gaudete in Domino. *Eſaiæ* 61. Gaudens gaudebo in Iehouah, & exultabit anima mea in Deo meo. *Pſalm.* 32. Lætamini in Domino, & exultate iuſti, & gloriamini omnes recti corde. Cum ergo tale eſt cuiuſque gaudium, quale eſt eius obiectum, neceſſe eſt illud gaudium eſſe perfectum, cuius obiectum eſt optimum, nempe Deus ipſe: contra vero mundi gaudium, cuius obiectum ſunt res caducæ, caducum & imperfectum eſſe, & ſæpe initium magni mali, vt videre eſt in Tyrannis & Epicureis, quales fuerunt, Nero & diues Epulo. Recte proinde Ouidius cum ait:

Gaudia principium noſtri ſunt ſæpe doloris.

Et illud Martialis:

Gaudia non remanent, ſed fugitiua volant.

Tardi ſiquidem gaudio plerunque proximus eſt acerbiſſimus luctus. Quare non immerito ab Auguſtino gaudium vanitatis dicitur.

Cauſæ gaudij piorum ſunt: Spiritus ſanctus, firma notitia miſericordiæ Dei in mēte, viua promiſſionis fiducia in corde, bona conſcientia, ſpes vitę æternæ, & aſſiſtentia Spiritus ſancti in cruce. Chriſtus Dominus iubet ſuos gaudere & exultare cum variis premūtur afflictionibus. Et Iacobus vult, vt Chriſtiani æſtiment omne (plenum & ſolidum) gaudium eſſe, cum in varias tentationes inciderint. Et Petrus ait: Cōmunicantes Chriſti paſſionibus gaudete, *c.* 4. Hæc tametſi

videntur rationi παράδοξα, & abhorrere a communi sensu omnium sanorum hominum: tamen pij in se experiuntur verissima esse. Iob in summa sua afflictione hoc gaudio exultauit. Vnde prorupit in hanc vocem. *cap.* 19. Scio quod Redemptor meus viuit, & in nouissimo die resurrecturus sum: ita omnes sancti sub cruce & sensu & euentu gaudent. Sensu quidem, quia habent in se Spiritum sanctum cõsolantem se & erigentem aduersus crucis acerbitatem. Euentu vero, quia sciunt se glorificandos olim cum Domino suo cui hic in cruce sunt conformes. Nam vt Paulus ait, si vna cum eo patimur, vna etiã cũ illo regnabimus. 2. *Tim.* 2.

Gradus gaudij sanctorum sunt hi: *Primum* fundatur hoc gaudium in corde ex fiducia remissionis peccatorum. *Deinde* crescit ex certa persuasione de præsentia Dei. *Tertio* confirmatur delectatione, & meditatione verbi Dei, iuxta illud: Testimonia tua gaudium meum. *Quarto* roboratur in dies timore Dei, alacritate obedientiæ erga Deum, vt in *Psalmo* 86. dicitur: Lætatur cor meum, vt timeat nomen tuum. Et omnium maxime sentitur hoc gaudium in ardenti inuocatione Dei, & exauditione. Hoc sanctorum gaudiũ consumabitur tandem in resurrectione mortuorum, & durabit in omnem æternitatem.

Et exultauit gloria mea.

Hic Græcus interpres pro gloria linguam reddidit. Vertit enim sic: ἠγαλλιάσατο ἡ γλῶσσά μου. id est, *exultauit lingua mea*, vt sit Metonymia, qua obiectum seu materia pro instrumento ponitur. Lingua etenim testatur de lætitia cordis, dum gloriam Dei prædicat. *Eodem modo gloria pro lingua videtur in vltimo versu psalmi* 30 *&* *in primo versu psalmi.* 38.

Alij per gloriam animam intelligunt gloriantem & exultantem in Domino, quod & tantus honor dignitasque sibi cõtigerit a Deo, vt Deus ipsius dicatur hæreditas, & quod in tantis malorum procellis, & tam horrendis tentationibus sit factus victor, confortante ipsum Angelo post preces & supplicationes ad Deum in horto factas, cum sudaret sanguinem, vt refert historia passionis. Sudor sanguineus tentationum grauitatem indicat, ostenditque quod Deitas plane quieuerit patiente Christo in carne, id est, in anima & in corpore. Huc etiam pertinet querela illa, *Matth.* 27. congruens

cum

cum prophetia, quæ est in *Psalm.22.* Deus meus, Deus meus cur deseruisti me. Hæc deſertio non fuit diſceſſio ab humana natura Chriſti, quam ſemel aſſumpſerat in vnitatē perſonæ, ſed ſolummodo ſignificatur his verbis, quod diuina natura in Chriſto quieuerit patiente carne, id eſt, humana natura. Prior interpretatio Græcorum & Latinorum plærorumque eſt. Poſterior videtur concinnior & magis periſtaſi loci congruere, modo hiſtoriam, ſicuti par eſt, cum vaticinio conferamus.

Sexta Pars.

9. *Etiam caro mea habitabit confidenter.*

10. *Quoniam non dere linques animam meā in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.*

11. *Notam facies mihi ſemitam vitæ, ſatietas lætitiarum in vultu tuo, iucunditates in dexta tua in perpetuum.*

HOc vaticinium eſt illuſtre de morte, ſepultura, & reſurrectione Domini, item de vita beata, quam ſua reſurrectione Dominus omnibus in ſe credentibus adfert.

Huc lubet aſcribere ea quæ in hunc locum annotauit Theodoretus Chriſtianæ fidei ſtrenuus aſſertor aduerſus Eutychen & alios hęreticos. Hęc, inquit, ſuperuacuum eſt explanare, cum Diuus Petrus horum verborum interpretationem dicat, accepta de patre, de filio, & de Spiritu ſancto reuelatione. Hic cum inter Iudęos concionaretur, adducto hoc in medium teſtimonio, ita inquit: Viri fratres liceat audacter dicere ad vos de patriarcha Dauid, quod defunctus eſt, & ſepultus eſt, & ſepulchrum eius eſt apud nos vſque in hodiernum diem, propheta igitur cum eſſet, & ſciret, quia iureiurando iuraſſet illi Deus de fructu lumbi eius oriturum eſſe Chriſtum ſecundum carnem, prouidens locutus eſt de reſurrectione Chriſti, quia neq; derelicta eſt in inferno eius anima, neq; caro eius vidit corruptionem. Et alibi: Dauid cum propriæ generationi ſubſeruierat mortuus eſt, & vidit corruptionem: quem vero Deus ſuſcitauit non vidit corruptionem. Iis, qui audent interpretari hæc de Dauide, atque etiam Iudæis hæc

adferenda sunt. Manifestam enim habent confutationem Iudæorum delirationis. Dicit igitur Dominus Christus humano more etiam hic: Ego a diuina natura continue corroboratus, ad salutarē crucem accedo, & resurrectionis spe gaudeo. Nec enim anima mea in inferno derelinquetur, nec caro mea secundum naturam corruptionem sustinebit. Nam velocis resurrectionis compos ero, & in vitam redibo omnibus hominibus hanc viam ostēdens. Implebis me, inquit, lætitia cū vultu tuo delectationes in dextra tua vsq; ad finem, quoniam cum ad crucem accessisset, dixit: Tristis est anima mea vsque ad mortem, merito his verbis vsus est, cum de resurrectione mentionem fecisset, docens se pro illa mœstitia in perpetuo gaudio fore, cum secundum humanam naturā impatibilis, immutabilis, & immortalis factus sit. Nā vt Deus hoc erat semper, atq; etiam vi facile erat hoc humanæ naturæ præbere, cum primū in vtero formaretur. Verum per afflictiones progredi voluit, & naturā humanā accepit, vt hoc modo, cū peccati potentiā euertisset, Diaboli Tyrannidē cedaret, & mortis imperiū destrueret, omnibusq; hominibus resurrectionis facultatē præberet. Vt homo igitur & incorruptionem & immortalitatem accepit. Hactenus Theodoretus. Nunc particulatim singula expendamus.

Caro mea habitabit confidenter. Id est, quiescet in fiducia, secura omnium periculorū. His verbis tria significantur. *Primū* passio & mors Christi, quæ erat satisfactio propitiatoria & victima pro peccato, vt credentes fiant iustitia Dei in ipso 2. *Cor.* 5. *Secundum,* quod hic significatur est sepultura & Sabbatum seu quies Domini in sepulchro. *Tertium* est victoria super morte per gloriosam resurrectionem.

Hæc obscurius quidem hic indicantur, quibus clarissimam lucem adfert historia Euangelica.

Nos hinc exemplo filij Dei in quauis cruce petamus consolationem. Crucem enim nostram, modo vere credamus, excipiet mors, mortē excipiet quies in sepulchro, hanc quietē suo tēpore excipiet gloriosa resurrectio, hāc opponamus omnibus aduersis, quę nobis in hoc mūdo cōtingere possūt

Quoniam non derelinques animam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Expolitio est superioris dicti. Clarius enim exponit, quod obscurius dixerat, ne qua sit huius prophetiæ deprauandæ

occa-

occaſio, præuiderat enim Spiritus ſanctus in Dauide fore, qui huic prophetiæ veritatẽ adimerent, alioq; quã ad Christũ ſuperius dictũ transferrent. Vis verborũ hunc ſenſum, vt a Petro docemur, ſuppeditat: *Non derelinques*, id eſt, non ſines animam, id eſt me, in inferno, id eſt, in ſepulchro permanere, hoc eſt, vt & adhuc clarius ſe exponit, *non dabis*, id eſt, non permittes Sanctum tuum videre corruptionem, id eſt, ſentire corruptionem, ſeu corrumpi. Impedies enim tua potentia, ne corpus meum corrumpatur & putreſcat inſtar corporum aliorum hominũ in ſepulchro. Sanctus enim ſum, & immunis ab omni peccato ratione perſonæ meæ. Quare iuſtitia tua poſtulat, vt corpus meũ (quod ſanctũ eſſe nouiſti, & immune ab omni peccati cõtagione) a corruptione vindices, vt incorruptus e ſepulchro prodeam.

Quoniã autẽ corruptibile dicitur pluribꝰ modis, huc ex Athanaſio aſcribã quid ſit corruptibile, vnde etiã dictũ, & quot modis dicatur

Dupliciter corruptibile dicitur, corporaliter & ſpritualiter. Ac ſpiritualiter quidẽ, vt cum peccauerit quis dicitur eſſe corruptus, quemadmodũ ſcriptura ait: Corrupti ſunt & abominabiles in iniquitatibus: Corporaliter vero corruptibile tribus modis dicitur, mors, corruptio & interitus. *Mors* dicitur animæ ſeparatio a corpore: *Corruptio* vero eſt, quando corpus a vermibus cõſumitur, & ſolũmodo relinquũtur oſſa. *Interitus* autẽ vocatur quãdo putreſcunt ipſa quoq; oſſa, & abſumũtur, abeuntq; ne amplius extent. Hoc enim de Domino noſtro Ieſu Chriſto quoq; dicimus, quod mortem tantum ſubierit: corruptionẽ vero aut interitum ſacroſanctum eius corpus neutiquam ſuſtinuit, ſed reſurrexit die tertia primogenitus factus ex mortuis. Hactenus Athanaſius

Etſi autẽ interpretatio, quam attulimus, Petri eſt actorum 2. & Pauli actorum 13. Tamen adhuc quæritur, idq; a doctiſſimis hominibus quid hic anima, & quid infernus ſignificet?

Sunt enim hæc vocabula polyſſyma.

Quidam vocabulũ animę pro Spiritu hominis accipiunt, vnde cõcludunt vocẽ inferni non poſſe pro ſepulchro accipi, propterea quod nullus ſanus credat animas mortuorum includi in ſepulchris. Si ergo infernus (inferunt) non ſignificet ſepulchrũ, abſq; omni dubio damnatorũ locum ſignificabit, quo Chriſtus deſcendit, ſed ibi non eſt detentus, haud permittente patre filium ſuum apud inferos detineri. Atq;

hinc putant confirmari articulum Symboli de descensu Christi ad inferos.

Quidam longius procedunt, & ex hoc loco colligunt animam Christi fuisse apud inferos punitam, & e pœnis infernalibus ereptam diuina potentia.

Quid ad hæc dicemus?

Etsi autẽ authoritate Ecclesiæ motus non oppugno eorũ sententiam, qui hæc Psalmi verba ad descensum Christi ad inferos referunt: tamen hoc certissimum est, quod non satis solido fundamento nitantur, qui sic sentiunt. Dicunt quidẽ animas mortuorũ nõ includi in sepulchris, quod sane verum est, quando anima ponitur pro spiritu hominis, qui anima cõmuniter dicitur. Sed scriptura docet, quod anima seu nephes, quo vocabulo hic vtitur vates, interdũ pro ipso corpore animæ experte accipitur, quemadmodum & ψυχή. Cuius rei clarissimum testimonium extat *Leuitici* 21. Super animam non cõtaminet se quisquam vestrũ in populo suo. Hic vetus interpres habet: super mortuis, Hebreus, nephes, & Græcus ἐν ψυχαῖς. Vbi manifeste anima pro ipso corpor animæ experte ponitur. Quare infirma est illorũ collectio qui ex vocabulo animę hic ratiocinantur Scheol significare locum infernalem, in quo detinebantur animæ sanctorum vsque ad victoriam Christi super morte & inferno.

Quod si autẽ cõcesserimus eis animã hic proprie accipi pro spiritu hominis, nõ tamẽ efficiẽt, quod volũt. Nam nos tũc possumus dicere cũ viris doctis, iisq; multis Scheol poni metaphorice pro horribili consternatione animi, & sensu iræ Dei propter peccatũ totius mũdi, quod in se Dominus recepit, vt sit sensus. Non deseres animam meam luctantem in doloribus inferni, quos sustineo propter peccata mundi, sed eam liberabis.

Si autem hoc testimonio, quod valde infirmum est, destituti fuerint qui realem Christi ad inferos descensum defendunt, vix habebũt vllũ aliud in scripturis solidũ testimoniũ, quo suã sententiam fulciant, vt interim taceam, quod nec veteri Symbolo, nec in Nicæno, nec in Basilii, nec Epiphanii, nec Ambrosii Symbolo habeatur de descensu Christi ad inferos. Sed vt & est, nolo cuiquã hac de re litem mouere, cum constet Christum victorem mundi, peccati & Diaboli

boli nos liberasse a potestate inferorum.

Cœterum, etsi facile admitto, vt diximus, propter autho ritatē Ecclesiæ, & istum articulum Symbolo insertū, & animam proprie accipi, & Scheol pro inferno: tamē cōstanter nego, quod asluit quidā magnus Theologus, videlicet, Christū apud inferos anima passum esse, & inde e manibus puniē tium potentia patris ereptum. Id quod minime cōgruebat, nec vllū argumentū firmū adfert Theologus iste, quo suū dogma confirmet. Quod autem dicit Christum debuisse satisfacere pro toto homine, atque ideo sustinere pœnā pro peccato & in corpore, & in anima, verissimum est: sed quod addit corpus tantum in cruce, animam tantum in inferno passam esse, falsum est, & tanto Theologo indignum. Quod autem Dominus sit passus in anima & ante crucem & in cruce, satis conuincit Euangelicà historia. His addo hanc rationem, quam firmissimam esse iudico: Quemadmodum Adam anima & corpore coniunctis & non separatis peccauit, & totam suam posteritatem moledictioni & morti sub iecit: ita congruebat iustitiæ Diuinæ, vt Christus secundus Adā anima & corpore simul iūctis satisfaceret pro peccato, restitueret benedictionem & vitam.

Est & alius magnus Theologus, qui videtur idē sentire cū illis qui putāt animā Christi passā esse apud inferos, sed tan dē in certamine vicisse: Quod tamē, si ipsius sententia recte intelligatur, non facit, sed figurate describit victoriā Christi proposita imagine ab humanis victoriis sumpta. Vt si quis in hostilem domum armatus irrumperet, tantoque impetu ferretur in eos, qui ibi inuenientur, vt alii per fenestras, alii per fumaria effugerent, ne in hostis sui manus peruenirent trucidandi, & crudeliter discerpendi.

Scire facias me semitam vitæ, abundantia gaudiorum est in vultu tuo, iucunditates sunt in dextra tua in perpetuum.

Hic clarius vaticinatur Spiritus Christi in Dauide de resurrectione Domini, & de ęterna felicitate resurrectionem excipiente.

Scire, inquit, *facias me semitam vitæ*, id est, qua itur ad vitam, hoc est, suscitabis me. Congruit cum hoc vaticinio historia *Matthæi* 28. *Marci* 16. *Lucæ* 24. *Ioannis* 20. Breuiter omnes Euangelistæ & Apostoli huius rei sunt testes. Hic notetur effectus seu fructus mortis & resurrectionis

Domini, qui est plenitudo omnium rerum expetendarum, seu æterna beatitudo.

Recitantur autē hic quadruplicia bona beatitudinis per Christi mortem, & resurrectionem partæ, quæ sunt æterna vita, perfecta lætitia, fruitio vultus Dei, & delectatio inenarrabilis in æterni Dei regni hæreditate. In horum bonorum fruitione status hominis erit perfectissimus. Erit enim vere beatus, beateque habebit homo in hoc statu. Siquidē futurus est expers omnis doloris, nec formidabit vllum malum, abundabit omni bono, vt nihil amplius desideret, eritque certissimus de perpetua possessione & fruitione boni, quo abundabit.

Quod autem hæc beatitudo sit finis hominis, si statū eius perfectissimū consideres ex creatione hominis ad imaginē Dei intelligitur. Nā ideo, vt ait Gregorius Nissenus, Deus formauit hominem ad imaginem suam, quia voluit eū per communicationē & participationem suæ beatitudinis beatum esse. Quemadmodū enim in præstanti corporis forma principalis quædam ac primaria pulchritudo in viuenti vereque subsistenti facie est. Secundum vero locum ab hac obtinet id, quod imitationem eius in imagine atque simulachro ostenditur: Ita natura quoque humana, quæ est effigies & imago supernæ beatitudinis etiam ipsa bona pulchritudine designatur, cum in se beatorum ostenderit insignium, significationes, & repræsentationes. Sed quia peccatorū sordes pulchritudinē imaginis labefactauerūt, & inutilē reddiderūt, venit is, qui nos elueret sua aqua viuenti pariter & salienti in vitā æternā, vt deposita turpitudine ex peccato contracta, ad beatam formam renouemur. Hactenus Nissenus. Nulla proinde verior beatitudo est huius vitæ, quam quæ incipit sempiternam. Ideo Dominus dicit: Beati qui audiūt verbū Dei, & custodiūt illud. Et Dauid: Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Huc pertinent ea, quæ Matthæi 5. recitantur de beatitudinibus.

Theodoretus æternam beatitudinem definit esse iungi Deo, qui per se beatus est, frui omni felicitate, & exortem esse malorum omnium in loco beatorum.

Vsus

Vsus Psalmi Decimi Sexti.

Vsus huius Psalmi quadruplex vtiliter ordinari potest.

Primus. vt collatione vaticinii & euentus confirmemus fidem nostram de Mediatore Domino nostro Iesu Christo. Hanc collationem vaticiniorum & euentuum commendat Christus Iudæis. Et Paulus, vt est in Actis, & Petrus. De qua Augustinus sic ait: firmitas fidei in eo est, quod omnia quæ prædicta sunt de Messia, completa sunt in Iesu Christo.

Secundus. vt nos seiuncti a prophanitate mundi iungamur Christo, quo nos ipsius hæreditas effecti, ipsius quoque potentia aduersus Diabolum defendamur.

Tertius. Vt perpetuo Deo gratias agamus per Iesum Christum, pro tam immenso Thesauro bonorum Spiritualium & æternorum, quorum hæredes sumus in Iesu Christo.

Quartus. Vt cruce pressi in hac vita solemur nos spe beatitudinis nobis promissæ in Christo Iesu, ac simul toto corde anhelemus, vt tandem veniamus in promissæ beatitudinis & hæreditatis securam possessionem, per eundem Dominũ nostrum Iesum Christum, cui honor, & gloria in omnem æternitatem. AMEN.

PSALMVS DECIMVS SEPTIMVS.

Summma Psalmi Decimi septimi.

VT Dauid in hoc Psalmo petit se cõseruari a Deo in puritate doctrinæ & vitæ: ita hostiũ veræ doctrinæ techn as & insidias, videlicet, Saulis, eorumque qui ipsi adhærebãt, deprecatur. Quorum insidias cũ cogitat, ardẽtius precatur & in precatione consolationẽ percipit ex lætissima catastrophe. Nam huius mũdi molestias excipiet tandem lætissima omnium bonorum satietas.

Quoniam autẽ Dauid typus erat & Christi, & Ecclesiæ, potest & debet hic Psalmus mystice de oratione Christi contra suos hostes, & Ecclesiæ & cuiusque pij hominis contra Tyrannos & Sophistas intelligi.

Ordo & dispositio Psalmi Decimiseptimi.

Etsi autem huius Psalmi vnus scopus est, videlicet, petitio ardens conseruationis in puritate doctrinæ & vitæ contra hostes, Tyrannos & Sophistas: tamen eius partes quinque constitui possunt.

Prima, precatio est generalis: petit enim se diuinitus cõseruari, vt diximus, in doctrinæ puritate, & vitæ innocentia, a 1. *versu vsque ad versum* 8.

Secunda. Est precatio specialis contra Tyrannos, & hostes Ecclesiæ, versu 8. *&* 9.

Tertia. Est descriptio hostium Ecclesiæ & furoris eorundem aduersus Ecclesiam versu 10. 11. 12.

Quarta

Quarta. Precatio est, qua petit vindictam super hostibus Dei & Ecclesiæ ipsius: versu decimotertio & decimoquarto.

Quinta. Consolatio est cum promissione, versu vltimo.

Est ergo hic Psalmus mixtus, qui ex potiori parte εὐτικος *seu precatorius est.*

EXEGESIS PSALMI DECIMI SEPTIMI CVM INDICAtione doctrinarum.

PRIMA PARS.

1. *AVdi Iehouah iustitiam, intende clamori meo, ausculta orationem meam (quæ est) absque labiis doli.*

2. *A facie tua iudicium meum egrediatur, oculi tui videant æquitatem.*

3. *Probasti cor meum, visitasti nocte, examinasti me, & non inuenisti, cogitaui, non transiit os meum.*

4. *In operibus hominũ*

HÆc precatio Dauidis est ardentissima, qua petit se conseruari in puritate doctrinæ, & vitæ innocentia, ne hostium astutiis, & violentia circumuentus & victus deficiat a puritate Doctrinæ. Quod hic sit sensus huius primæ partis Psalmi, ex 4. & 7. versibus clarissime colligitur. Iam propius singula declaremus.

Audi Iehouah iustitiam. Compellatio & precatio est, quæ implicitã rationẽ, cur exaudire Dominus Dauidem debeat, cõtinet.

per verbum labiorum tuorum ego obseruaui semitas dissipatoris.

5. *Sustenta gressus meos in viis tuis, ne declinent pedes mei.*

8. *Ego inuocaui te quoniam exaudis me Deus, inclina aurem tuam mihi, audi eloquium meum.*

7. *Mirifica pietates tuas Saluator sperantium ab insurgentibus in dexteram tuam.*

Compellatio enim *Iehouah*, vt sæpe iam a nobis dictum est, continet argumentum & voluntatis & facultatis. Nam quia Iehouah est, & vult iusta, & potest quæ iusta sunt, præstare. Vocat autem hic Dauid iustitiam iustam postulationem, seu iustam suam causam, propter quam Saul; & Hypocritæ ipsum persequebantur. hæc causa fuit conseruatio Doctrinæ diuinitus acceptæ, & innocentia in sua vita, & vocatione, ad quam diuinitus erat vocatus, in qua vocatione se vixisse bona conscientia hic testatur.

Porro congeries Illa Synonymorum, seu sæpius iterata precatio, & periculi, in quo fuit Dauid, magnitudinem, & ardorem precantis coarguit: Nam ter eandem precationem mutatis nonnihil verbis, sed manente eadem sententia, repetit, cum addit: *Quæ est sine labiis doli*, id est, sine hypocrisi, ex sincero corde profecta. Labia siquidem doli sunt, cum aliud loquimur, & aliud cogitamus, sed oportet, vt nos hic Dauid suo exemplo docet, linguam habere congruentem cogitationibus mentis, & fiduciæ cordis.

Hinc discant & principes pii fautores veræ Religionis, & priuati quid agere eos oporteat, cum in periculis propter confessionem veræ doctrinæ versantur.

Primum causam recte perpendant, propter quam periclitantur, quæ si iusta fuerit, consolentur se Christi promissione dicentis: Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.

Deinde causam iusto iudici commendent, qui cum iustus sit, iustitiam diligit, ardenterque ipsum absque omni

omni hypocrisi ex sincero corde inuocent supplicantes, vt ipse iustæ suæ causæ patrocinium suscipiat, iuxta suas promissiones.

Tertio. Deum ipsum, quem a dextris habent, ipsiusque potentiam hostium multitudini, eorumque ferocitati & viribus opponant.

Quarto. Sic animis instructis pii principes etiam arma sumant, veramque Religionem tueantur, modo necessitas hoc omnino postulauerit.

Quinto. Quod si hic Deus velit pios principes, vel propter veritatis defensionem mori, vel alias grauiter affligi, obtemperent Deo, statuantque consilium Dei sibi salutare fore, modo in fide perstiterint. Nam cum regnum Christi non sit de hoc mundo, animus in cruce erigendus est spe promissæ hæreditatis regni cœlestis

Præterea subditi Deum precentur, pareantque piis principibus, & cum illis pro aris & focis aduersus hostes Dei & Ecclesiæ dimicent. Hæc opera militiæ piorum principum & subditorum cum ex iustis causis proficiscuntur, & tendunt in gloriam Dei, & Ecclesiæ conseruationem, sunt cultus Dei, & testimonia confessionis necessaria.

A facie tua iudicium meum egrediatur.

Hic Dauid sistit se coram Tribunali Dei, quem orat, vt inter se & suos aduersarios iudicet, vt qui iustissimus Iudex, æquitatisque amantissimus sit, *a facie*, inquit, *tua*, id est, a te, cuius faciei seu vultui omnia parent, vt qui omnium rerum curam geras. Ideo addit: *Oculi tui videant*, id est, considerent æquitatem, eiusque dignam rationem habeant. Est enim Anthropopathia, qua hominis iudicis membra & gestus, causam aliquam diligentius perpendentis & examinantis Deo tribuuntur. Sic & 2. *Paralipom.* 16. dicitur: Oculi Iehouah contemplantur omnes terras, & robur addet iis, qui corde perfecto ipsi adhærent, id est, qui bonam causam habent, eamque bona conscientia ex fide Deo commendant.

Hic commendatur nobis studium retinendæ bonæ conscientiæ, vt cum agendum nobis sit cum aduersariis de Doctrina, aut de alia quauis causa, non dubitemus nos

sistere Dei iudicio, vt ipse inter nos, & aduersarios nostros iudicet. Non est dubium, quin maxima pars Doctorum, & Aulicorum, qui parebant Sauli, Dauidem damnauerint, cum propter doctrinam, quam profitebatur, tum propter affectationem regni, vt falso putarint, quia ergo defuerunt homines, qui iustæ ipsius causæ patrocinium susciperent, confugit ad Deum, cuius iudicium merito præferendum est omnium Tyrannorum & Sophistarum huius mūdi iudiciis. Nos igitur exemplo Dauidis, dum traducimur vt hæretici, dum spernimur, & damnamur a Gnathonibus Tyrannorum, clamemus ad Deum cum Dauide, dicamusque: *iudicium nostrum Domine a facie tua prodeat*, & *oculi tui videant æquitatem.* Hic si Deus ad tempus sinit nos vexari a Tyrannis & Sophistis: tamen tempore beneplacito nos exaudiet, nos respiciet, & e manibus luporum potenter eripiet.

Probasti cor meum, visitasti nocte, & examinasti me.

Hic Dauid prouocat ad testimonium Dei, & propriæ conscientiæ, quæ sane omnium maxima sunt testimonia, non quidem coram mundo, sed coram Tribunali Dei. Huc ergo prouocandum est, cum in causa iusta hominum testimoniis destituimur. *Probasti*, inquit, *cor meum*, hoc est, explorasti, seu tentasti adeo, vt habeas exploratos omnes recessus, & cogitationes cordis mei, vt nihil eorum, quæ verso animo, te fugiat. Scis ergo, quod non meditor mala Sauli, qui me persequitur.

Hic notandi sunt modi, quibus Dominus homines probare, id est, examinare, seu explorare, seu tentare, seu experimentum de hominibus facere solet, qui sunt plures.

Primum enim Dominus hominem probat certo cognoscendo omnia, quæ sunt in homine, vt cogitationes, affectus, consilia omnia siue bona sint, siue mala. *Psalmo* 139. Domine probasti me, & cognouisti me, item proba & cognosce cogitationes meas. Hinc Epitheton Dei καρδιογνώστης *Actor.* 1. & 15. sumptum est.

Secundo. Deus probat hominem μακροθυμίᾳ, id est, tolerantia, cum videlicet differt pœnam, & non statim rapit sceleratos ad supplicia.

Tertio, probat hominē permissione, videlicet, cū permittit grassari scelera vel hęreses, vel miracula fieri quib. homines

tentantur,& exploratur eorum constantia. *Deut.*13. Si surrexerit in medio tui propheta, &: Scito, quia tentat Iehouah Deus vester vos,vt sciat an diligatis illum.Et Paulus 1.*Cor.*11. Oportet hæreses inter vos esse, vt qui probati sunt manifesti fiant.

Quarto,Deus probat hominem imperando quæ difficiliora sunt factu,vt cum probat Abrahamum. *Gen.*22.iubens, vt offerat ipsi in holocaustum proprium suum filium vnigenitum Isaac.

Quinto,probat hominem Deus dilatione auxilii, item cruce graui.Cuius rei exempla in Psalmis & alibi occurrunt.

Visitasti nocte.Scilicet animum meum,hoc est, eo tempore,nempe nocte quando liberius indulgetur cogitationibus, & magis affectus irritantur, eorum præsertim, qui singulari iniuria affecti sunt.

Explorasti cor meũ. Vnde scire potes me nullo affectu prauo aduersus hostes meos præditũ esse, sed malle eos a suo errore in viã redire,in gloriam Dei,& ædificationẽ Ecclesiæ.Quis non merito prædicauerit hanc animi constantiam in Dauide,qui toties læsus non meditatur vindictam?Hunc imitetur quisquis seruus Dei esse velit.

Huc nonnulla adiiciemus de Visitatione Dei, quomodo videlicet homines visitare soleat. Visitare superioris est, visitari inferioris. Est autem visitare in genere & proprie inuisere,seu venire visum personam vel rem aliquam. Deinde per metalepsin transsumitur hoc verbum ad actionem, seu effectum,seu finem visitantis.Ex quo fit,vt plures sint modi, quibus Deus hominem visitat, quorũ aliquos exempli causa recitabimus.

Primus est omnium maxime admirandus & hominibus ante omnia salutaris,qui personalis dici potest,quo videlicet λόγος æternus nos ex alto visitauit, assumendo naturam nostram in vnitatem personæ suæ. De hoc visitationis modo loquitur Zacharias apud *Lucam cap.*1. Benedictus Deus Israel qui visitauit,& fecit redemptionem populo suo. Item, visitauit nos oriens ex alto. Deinde visitat Deus hominem spiritualiter, dum videlicet suum sanctum spiritum illi communicat, quo veluti docetur & vngitur. Item visitat Deus homines,dum mittit Doctores vtiles Ecclesiæ,& bonos gubernatores politiarum.

Præterea visitat Deus homines, dum beneficia corporalia illis confert, vt *Psalmo* 65. Visitasti terram & inebriasti eam. Item visitat dum punit sceleratos & inemendabiles, vt Pharaonem, Senacherib & alios.

Item visitat, dum castigat filios suos delinquentes. *Psalmo* 89. Visitabo in virga iniquitates eorum, misericordiam autẽ meam non auferam ab iis.

Postremo visitabit Deus omnes homines, idque in die iudicii, pios quidem, donando iis vitam æternam. 1. *Petri* 5. Humiliamini sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in die visitationis: impios vero, eos humiliando & puniendo æternis pœnis.

Examinasti me, hoc est, Quemadmodum fabri aurum igne explorant: sic animum meum facibus ærumnarum incendisti, neque tamen victus ærumnis aliquod facinus admisi, vel salutis tuendæ causa, vel vt grauissimas iniurias vlcisce-rer, tametsi non semel acerbissimi hostis opprimendi facultas mihi oblata est.

Cogitaui, non transiit os meum. Id est, quod cogitaui, seu cogitatio mea non transiit os meum, hoc est, non aliter cogitaui, quam locutus sum, seu cogitatio mea & os meum plane consentiunt, hoc est, quod supra dixit, orationem suam proficisci absque labiis doli, hoc est, quod precor ore, simul & corde precor, & non aliud.

Commendatur nobis exemplo Dauidis sinceritas mentis & sermonis, quod profecto filiorum Dei verum χαρακτηριστικὸν existit.

In operibus hominũ per verbum labiorum tuorum ego custodiui semitas dissipatoris.

HIc versus in Hebræo admodum obscurus est. Nam varias interpretationes Hebraicus textus admittit: At ego eas interpretationes adferam, quæ maxime argumento Psalmi conuenire videntur, quæque ex historia cõfirmari possunt. Deinde adiiciam etiam anagogicam interpretationem. Primum ergo sic possunt accipi verba huius versus, quasi contineant defensionem Dauidis aduersus criminationes hostium suorum. Vt enim illi criminabantur Dauidem machinari Sauli insidias vitæ: ita Dauid contra se defendit & opponit istis falsis criminationibus suum factum, ac facto ipso ostendit quã

vana ſit illorum criminatio: Syntaxis huius verſus hæc ſit: Ego cuſtodiui, ſeu obſeruaui ſemitas latronis in operibus hominum per verbum labiorum tuorum. Hic tria dicuntur. *Primum*, quid fecerit Dauid: *Ego*, inquit: *cuſtodiui ſemitas latronis*. *Secundum*, vbi hoc fecerit: *In operibus*, inquit, *hominum*. *Tertium*, quomodo hoc fecerit: *per verbum*, inquit, *labiorum tuorum*. Hac Syntaxi verborum, & hac analyſi conſtituta, ſententia clarior euadet hoc modo: Ego, inquit, cuſtodiui ſeu obſeruaui ſemitas latronis, hoc eſt, attendi technas & inſidias Saulis, quibus ipſe conatur me meoſque obruere non ſecus atque fur & latro, qui in ouile perrumpit, vt oues innocuas perdat: has, inquam, inſidias & technas attendi in operibus hominum eorum videlicet, qui cum Saule aduerſum me conſpirabant. Idque feci per verbum labiorum tuorum. Tu ſiquidem mihi ſuggeſſiſti quid agerem, videlicet, vt nec ipſum in ſpelunca occiderem, nec manus illi adferrem dormienti, cum illum facile e medio tollere potuiſſem. Hoc meum factum ſatis teſtatur de mea innocentia, & conuincit criminationes hoſtium meorum eſſe falſas.

Hæc interpretatio congruens hiſtoriæ vtilem doctrinam & admonitionem nobis ſuppeditat, tranſlata hypotheſi ad theſin, videlicet, Quod verbum Dei debet nobis eſſe regula in tota vita, ne quid committamus, quod non decet, quo vlciſcamur noſtras iniurias.

Poteſt etiam hic verſus reddi in hunc modum: *propter opera hominum in verbo labiorum tuorũ ego cuſtodiui vias latronis*. Atque tunc eſt querela in hanc ſententiam accipienda: propter opera hominum, id eſt, propter inſidias, quæ mihi ſtruuntur ab hominibus, Saule videlicet, & ipſius complicibus, in verbo labiorum tuorum, id eſt, fretus tuo verbo, quod mihi ore proprio locutus es de regno, ad quod vnxiſti me per prophetam tuum, ego cuſtodiui, ſeu obſeruaui vias latronis, id eſt, abdidi me in latebras, & in locis niueis me occultaui inſtar latronis, vt *cuſtodire ſemitas latronis* ſit hoc loco ſe occultare inſtar latronis, qui latebras quærit, ne in manus quærentium ſe veniat, idque vel in ſpeluncis, vel in nemoribus, vbi viæ non ſunt pedibus hominum tritæ. Hanc ſententiam poſterioris partis huius verſus amplexus videtur Græcus interpres. Sic enim habet: ἐφύλαξα ὁδοὺς σκληρὰς, id eſt, *cuſtodiui vias aſperas*, id eſt, non tritas,

vt Apolinarius interpretatur. Sic enim heroico carmine hoc hemistichion expressit:

Σῶν χάριν ἀτρίπτους ἐπέων ἐφύλαξα κελεύθους, id est,

Tuorum verborum causa ego custodiui vias non tritas, id est, abdidi me in latebras vbi viæ sunt asperæ & non tritæ.

Hanc interpretationem si sequimur, quæ etiam congruit cum historia, monemur, vt non temere nos obiiciamus periculis, sed declinemus pericula quantum in nobis est, modo vocatio nostra non aliud postulare videatur. Tunc enim in timore Dei vocationem nostram tuebimur, omnem nostram curam in Dominum reiicientes.

Sunt alij, qui hunc versum ad disciplinam, qua Dauid suos socios in officio continuit, ne ipsi aliquid in Saulis necem machinarentur, referunt. Atque in hunc modum reddunt: *Operibus hominum iuxta verbum tuum* (intentus) *ego custodiui vias latronis*, ac si diceret: Non solum ipse me innocentem seruaui, & ab iniuria Saulis, qui me persequitur, continui, sed & alios, qui mihi adhærent, inde reuocaui. Operibus enim hominum eorum, qui mihi adhærent, iuxta verbum labiorum tuorum, id est, iuxta tuum præceptum intentus fui, curam habui, vt mandatis tuis minime aduersarentur. Diligenter siquidem obseruaui semitas latronis, id est, caui, ne ingrederentur semitas Saulis, qui leges perrumpit, & omne ius dissipat, quod si facerent, Sauli similes facti malum pro malo redderent. Neque enim hæc interpretatio dura est. Sumpta enim esse videtur ex 3. *capite Gen.* 1. vbi dominus dicitur collocasse ad orientem paradisi Cherubin ad custodiendum viam arboris vitæ. Sic enim Cherubin custodierunt viam arboris vitæ, ne homo eam adiret: Sic Dauid custodiuit & obseruauit vias latronis, dum cauit ne qui eorum, qui cum eo erant, eas ingrederentur, & Sauli similes facti sumerent arma aduersus hostem suum.

Hanc interpretationem si amplectimur, translata est ad thesin hypothesi, docemur, vt eos, qui nostræ curæ sunt commissi, ita disciplina iuxta verbum Domini regamus, ne quid contra Deum externis factis delinquant.

Porro quoniam Dauid fuit typus Christi, item Ecclesiæ, & piorum Doctorum in Ecclesia: Et Saul contra fuit typus Diaboli, Tyrannorum, & falsorum Doctorum in Ecclesia:

Ecclesia: potest hic versus anagogice seu mystice exponi de certaminibus Ecclesiæ cum Tyrannis & falsis doctoribus, qui vere sunt fures & latrones, vt Dominus ipse testatur, *Iohann.*10. cum ait: Omnes, qui ante me venerunt, fures sunt & latrones. Id est, Omnes qui venerunt sine meo Euangelio sparserunt falsa dogmata, & stabiliuerunt idololatricos cultus, quibus tanquam latronum gladiis animæ hominum occiduntur. Hæc latronum opera pij Doctores obseruant, cauentque, ne quis eorum, qui suæ fidei commissi sunt, veneno falsorum dogmatum, aut cultuum inficiatur, & moriatur multo crudelius, quam latronis gladio. Hoc autem faciunt pij Doctores non sapientia humana, sed diuina. Verbo enim Dei, vt discernunt vera dogmata a falsis: ita eodem verbo regunt homines, & continent in officio. Hæc anagoge nos admoneat, vt amemus & colamus Doctrinæ cœlestis studia, & fugiamus falsa dogmata & Idola.

5. *Sustenta gressus meos in viis tuis, ne declinent pedes mei.*

QVia Dauid vndique premitur, & mole ærumnarum grauatur, Deũ precatur vt suos gressus sustentet in viis suis, hoc est, vt se suasque actiones internas & externas ita moderetur, ne vel fractus cruce, vel exemplo improborum hominum victus, labatur aut cadat, & cõtra Dominum peccet. Crux enim & malorum hominum exempla mirum in modum piorum mentes percellunt. Tanta enim est vel sanctissimorum hominum infirmitas, vt nisi diuinitus sustententur, non possint non succumbere.

De duabus proinde rebus admonet nos hic versus, videlicet de infirmitate virium nostrarum, & de inuocatione Dei. Ea siquidem nostra est infirmitas, & nisi diuinitus adiuuemur, & veluti manu Dei gestemur, plane succumbamus. Ardenter proinde Deus inuocandus est, vt nobis adsit, nos tueatur, nos sustentet, nos verbo & Spiritu suo dirigat, donec ad portum, quo properamus, peruenerimus. Hoc si fecerimus, portæ inferorum nequaquam aduersus nos præualebunt. Nam & Diabolus fugit ab iis, qui ardenter Deum inuocant, & Deus suppeditat vires inuocantibus, vt quod per se non possunt, per mundi victo-

rem efficiant. Ideo scriptum est: 1. *Ioh* 5. Hæc est victoria, quæ vincit mundū, fides vestra. Vbicunque enim fides est viua, ibi victor mūdi Christus, cuius spiritu ad precādū homo impellitur. Contravero qui in precando segnescit, paulatim in eo extinguitur fides, quo facto facile hostis fit superior.

6. *Ego inuocaui te, quoniam exaudis me Deus, inclina aurem tuam mihi, & audi eloquium meum.*

REpetitio est inuocationis, quæ non est tautologia inanis, quia proficiscitur ex ardentissimo cordis desiderio, quēadmodum a supplicibus fieri solet. Sunt etenim huiusmodi repetitiones in precibus veluti flammulæ quædam, quibus homo magis magisque ad precandum accenditur, vt impetret tandem quod petit.

Erigit autem se hic Dauid ad precandum cogitatione auxilij diuini, quod sæpius antea expertus erat. *Ego inuocaui*, inquit, *quoniam exaudis me*, id est, ego soleo te inuocare in meis necessitatibus, & tu soles me exaudire ex tua misericordia. Quare & nunc in his meis persecutionibus inclina aurem tuam mihi, & audi eloquium meum, id est, orationē meam. Inclinare aurem gestus est hominis diligentius audientis compellantem se, qui gestus Deo per ἀνθρωποπάθειαν tribuitur, vt eius ad exaudiendum se inuocantes ex fide promptitudo intelligatur.

Sed vnde proficiscitur hæc promptitudo in Deo ad exaudiēdum? Non ex merito hominis, sed ex merito vnius Iesus Christi mediatoris. Illud siquidem pro fundamento & principio cōstitutum nobis semper esse debet, non aliter vel patribus vel nobis aditum ad Deum, quam per mediatorem Dominum nostrum Iesum patere. Ille enim ad Dei maiestatē nobis aditum facit qui sese adeo demisit, vt humilitati nostræ sese accōmodaret. Etsi autem legimus patres, vt Dauidem hoc loco Deū inuocasse non expressa mediatoris mentione: Animo tamē & intelligentia illum supplerunt. Sciuerunt enim hāc promissionem: Semen mulieris conteret caput serpentis. Quoties ergo nos iuxta mandatum Dei oramus dicentes: Pater noster, qui es in cœlis, sub patris nomine mediatorem filium concipimus.

7. *Mirifica pietates tuas,*

PEtitio generalis est pro defensione Ecclesiæ in

saluator sperantium ab insurgentibus contra dexteram tuam.

siæ, in qua obserua compellationem, & petionem ipsam. Compellatio est proprium Dei Epitheton commune Patri & Filio & Spiritui sancto, videlicet, *Saluator sperantium*, sed seruata cuiusq; personæ proprietate. Continet autem hæc cōpellatio rationem petitionis dulcissimam petitam a perpetua Dei consuetudine & immoto decreto. Semper enim Deus est saluator in se sperantium. Deinde alia petitionis ratio includitur in voce pietatum seu misericordiarū, quæ similiter sumitur a proprietate Dei. Deus est pius & misericors. Ergo afficitur miseria eorum, qui se ex fide inuocant & eos exaudit. Sed obserua quod in *Psalm.* 18. dicitur: Cum pio pie agis, & cum integro integre agis.

Petitio est: *Mirifica pietates tuas*, id est, adiuua me mirabiliter prout soles facere ex magna tua pietate.

Mirificat autem Deus suas misericordias quādo aliter cū piis agit, quam sensus & ratio iudicant, vt cum mirabiliter contra omnium hominum expectationem suos sæpe e mediis periculis liberat, quemadmodū Dauid iam sæpenumero expertus erat. Ioseph cōiicitur in cisternam, vt pereat, sed mirabiliter Deus eum liberat, vt fiat princeps Ægypti. Tres viri in caminum ignis coniecti mirabiliter liberantur. Daniel coniectus in lacum leonum, mirabiliter inde euadit illæsus. De his mirabilibus cōsiliis Dei, quibus suam Ecclesiā conseruat, supra in tertium versum 4. Psalmi diximus.

Ab insurgentibus in dexteram tuam. Hic obserua, quod qui pios Dei famulos persequitur, resistat dextræ Dei, quod haud impune factúrus est. Hinc ergo nos consolemur & erigamus nos in nostra cruce modo causam iustam haberi mus, & in Deum speramus, eum ex fide inuocantes qui est saluator in se speratium.

SECVNDA PARS.

8. *Custodi me vt pupillam oculi, in vmbra alarum tuarum absconde me.*

9. *A facie impiorum qui vastant me, inimicorū meo-*

ETsi autē Dauid hactenus & de sua innocētia testatus est, & de periculis cōquestus est, & se custodiri a Deo precatus est. Tamen hic altius insurgit, & precatur non vulgarem,

rum qui propter animam circumdant me. sed singularem quandam custodiam nimirum, vt quemadmodũ homo pupillam oculi custodit, & aues pullos suos, quos in eminenti periculo subter alas suas abscondunt: ita Deus sui curam gerat, tueatur & custodiat aduersus hostes suos, qui sibi per insidias vitam eripere moliũtur. Significat ergo Dauid his imaginibus (vt transferamus hypothesin ad Thesin) & quanta sit prouidentia Dei pro Ecclesia, & in quantis periculis versetur Ecclesia, & quanti sint furores Diabolorum & hominum, Tyrannorum & malorum Doctorum persequentium Ecclesiam. Prouidentia Dei & cura pro Ecclesia hic duplici comparatione significatur.

Primum dicit: *Custodi me vt pupillam oculi*, id est, Custodi me eo studio, quo homines solent pupillas suorum oculorum custodire. Nã illis lęsis homines miserrime in tenebris palpitant. Destinantur autẽ oculi potissimũ contẽplationi rerum naturæ, vt ex eius concinna compositione & ordinatione Deum cognoscat homo. Ideo Gregorius Nissenus dicit: Oculus nobis interpres est omnipotẽtis sapientię Dei.

Hic primũ admiramur sapiẽtiã & prouidẽtiã Dei in custodia pupillę oculi. Habet enim pupilla oculi, vt Theodoretus in hũc locũ scribit, veluti quædam munimẽta palpebras, pro vallis pilos habet, habet etiam supercilia tanquam propugnacula transmittentia sudoris pluuiam, & defendẽtia videndi vim a nocumẽto, quod inde posit accidere. huiusmodi ergo curam consequi precatur Dauid.

Socrates apud Xenophontem ab oculorum fabrica argumentum prouidentiæ Dei petit, cum ait: Annon videtur tibi & hoc esse prouidentiæ Dei opus, quandoquidem visus est infirmus, Deus ipsũ palpebris tanquã foribus muniuit, quæ, cũ visus postulat, aperiuntur, & in somno claudũtur: vt autẽ venti non lædant visum, tanquam vallum cilia produxit, & ne sudor de capite fluens, eundem offendat supercilia tanquam subgruentia supra oculos fabricauit.

Altera comparatio sumitur a cura auium pro suis pullis, quę quanta sit, experiẽtia docet. Vtrãque similitudinẽ Dauid desumpsisse videtur ex 32 capite Deuteronomii, vbi sic scribitur de prouidentia Dei: custodiuit eũ vt pupillã oculi sui, vt aquila quę excitat nidũ suũ, super pullos suos cubat, expã

dit alas ſuas, aſſumit eos, portat eos ſuper alas ſuas. Et Dominus *Matth.* 23 ad Hieruſalem ait: quoties volui congregare filios tuos ſicut Gallina congregat pullos ſub alis ſuis, & noluiſti. Vt enim accipitres & milui inſidiātur pullis gallinarū, vt eos rapiāt & deuorēt: Sic Diabolus, Tyrāni & Sophiſtæ inſidiātur Eccleſiæ, quæ donec per fidē, obedientiā & ſeriā Dei inuocationē ſub alis Dei māſerit, haud dubie ſecura erit. Vna proinde ſimilitudine & noſtra infirmitas, & cura Dei pro nobis ſignificatur. Demus ergo operam, ne nidum noſtrum, id eſt, Eccleſiam deſeramus, ac nos temere accipitribus ac miluis exponamus. Huius curæ Dei pro nobis veritas & in aliis Pſalmis ſignificatur vt *Pſalmo* 36. filii hominum in tegmine alarum tuarum ſperabunt. Et *Pſalmo* 61. Sperabo in velamento alarum tuarum.

Si quæris quænam ſint alæ Dei? Reſpondet 36. Pſalmus: Expande miſericordiam tuam ſcientibus te, iuſtitiam tuam his, qui recti ſunt corde. Sunt ergo alæ Dei ſub quibus abſcondit nos, duæ, videlicet miſericordia & iuſtitia.

Sequens verſus etſi plures interpretationes admittit ſi verba ſpectes: tamen ſenſus manifeſtus eſt, nimirū quod petat ſe defendi aduerſus eos, qui ſuę inſidiātur vitæ, Saul nempe & eius complices. Pagnini verſionem ego retinui, in qua obſcura eſt hæc oratio: *Qui propter animam circumdant me.* Dubium enim eſt an ſuam, vel hoſtium animam intelligat: ſi ſuam intelligit, ſenſus eſt: circūdant me inimici mei propter animam, id eſt, vt mihi vitam eripiāt, vt anima pro vita ponatur per metonymian: At ſi inimicorum ſuorum animā intelligit, erit hic ſenſus: Inimici mei ex toto corde, ex tota anima mihi inſidiantur, vt me vita ſpolient. Sed de ſententiæ ſumma nihil decedit quomodocunque accipias.

Hieronymus non verbis inſiſtens, ſed ſententiā fideliter reddens ſic habet: Inimici animā meam circumdederūt. Hic Dauid vndiq; cinctus hoſtibus typus eſt Eccleſię & ſingulorū piorū in Eccleſia omniū temporum. Semper enim Diabolus ſui ſimilis eſt, ſemper mordet calcaneū ſeminis mulieris, ſēper inſidiatur doctrinæ, moribus, vitæ & ſaluti piorū. Sēper enim excitat Tyrannos & falſos Doctores aduerſus Eccleſiam, quæ tamen tuta manebit, modo ſub alis Dei ſe occultauerit. Petamus ergo cum Dauide: ſub tegmine alarum tuarum abſconde nos.

TERTIA PARS.

10. *Adipe ſuo clauſerũt os ſuum, locuti ſunt cum ſuperbia.*

11. *In greſſu noſtro nunc circumdant me, oculos ſuos ponunt ad conculcandum in terram.*

12. *Similitudo eius vt leonis parati ad prædam & vt leũculi habitãtis in abditis.*

CONqueriturDauid de hoſtibus ſuis & Eccleſiæ, quorum furores ad ſe perdendũ deſcribit. Ac primũ quales ſunt ipſi in ſe: Deinde quales ſunt aduerſus ſe, idque ſimpliciter, & comparate oſtendit. Tribuit autẽ eis quatuor, videlicet, ἡδυπάθειαν, ἀλαζονείαν, ὑπερηφανίαν, καὶ θηριότητα. hoc eſt, *voluptatem, iactantiam, ſuperbiam, & crudelitatem.* Quæ vitia olim veteribus poëtis materiã Tragœdiarum ſubminiſtrarũt. Nam eorũ exitus plerũque tragicus, hoc eſt, triſtiſſimus eſſe ſolet.

ἡδυπάθειαν notat, cum ait: *Adipe ſuo clauſerunt os ſuum,* id eſt, præ pinguedine præcluſerunt ſibi fauces, vt in Iob dicitur: Operuit impius faciem ſuam adipe ſuo. Hac locutione hyperbolica ſignificatur ἡδυπάθεια, quæ eſt voluptas bruta, in qua Epicurei ſummũ hominis bonũ collocant, vt qui aliũ Deũ neſciant, quam ventrem. Huius rei imaginẽ Euripides in Cyclope proponit, qui in colloquio, quod cum Vlyſſe habuit teſtatur ſe nullos Deos agnoſcere pręter πλοῦτον καὶ γαστέρα. De Pluto ait: ὁ πλοῦτος ἀνθρώποισι τοῖς σόφοις θεός, τὰ δ᾽ ἀλλὰ κόμποι καὶ λόγων εὐμορφία. Sed multo rectius philoſophus, qui ait: Vniuerſæ Perſicæ gazæ non ſunt conferendæ cum vna virtute. Cumulant autem Epicurei opes, vt habeant inſtrumenta voluptatis, hoc eſt, ſi vere iudicare volueris, gladium, quo ſeipſos iugulent. Vere enim dicitur: Nimia bonarum rerum copia ingens eſt initium malorum. De Ventre dicit: Non ſacrifico Diis aliis, quam ſummo Deorum ventri, hunc placo edẽdo & bibendo, & Venerem exercendo. In his enim tribus σωματικὰς ἡδονὰς collocant. Quæ autem præter hæc adhibentur, vt cantiones, ſaltationes, Muſica inſtrumenta &c. vocantur προσθῆκαι voluptatis. Cur autem cõiungant has tres voluptates corporeas, hæc cauſa eſt: Nõ poteſt aliud fieri, vt

eſt corrupta humana natura,quã vt repleti delicatiori cibo & potu ferãtur in libidines. Ita enim Phocilides ait: ἡ πολλὴ δὲ τροφὴ πρὸς ἀμέτρους ἕλκει ἔρωτας. Et Philo venuſtiſsime ait: bruta pars animæ ſanguine fermentata feruentes furores,& concupiſcentias ardentes excitat. Vnde fit, vt omnium honeſtarum rerum obliti homines in libidines ferantur. Qui ergo voluptatibus indulget, Deum non agnoſcit, nec vllas res honeſtas in precio habet,atque omnes, quos ſibi ſimiles non viderit, perſequitur, & maxime eos,qui ſuæ vitæ inſtitutum accuſant & damnant. Sed qui tales ſunt, olim mercedem ſuis voluptatibus dignam reportabunt. De qua re multa ſunt Philoſophorum & Eccleſiæ dicta,quæ experientia confirmantur.Seneca ait: Voluptas mirificã habet naturã,quos ſuis bonis dignatur,eos multat, quos vero his priuat,eos adiuuat.Idem: Homines qui ſeruiunt voluptatibus,mala ſua (quod malorum eſt vltimum) amant. Cicero refert Architam Tarentinum dixiſſe: nullam capitaliorẽ peſtem,quã voluptatẽ corporis hominibus a natura datam.Et diuinus Plato vt idem Cicero ait, eſcam malorum voluptatẽ appellat,quod ea homines capiuntur, vt piſces hamo.Cum ergo tã pernicioſa eſt voluptas, nemo inuideat Epicureis & Tyrannis ſuas voluptates, cum eorum exitus miſerrimus ſit. Quare nos amemus temperantiam,& ſectemur veras voluptates,hoc eſt,Chriſtianas quæ in cibo dulciſsimo verbo Dei,& Spirituali nectare Spiritus ſancti effuſi in corda noſtra,& in cõmunione dulciſsima cũ Filio Dei conſiſtunt,quarum gloria erit immortalis & finis beata & æterna vita.His voluptatibus recreatus eſt Stephanus, cum lapidibus appeteretur. Nam vt vere de illo hic etiam poetæ verſum vſurpemus,

Ibat ouans animis,& ſpe ſua damna leuabat.

ἀλαζονεία,id eſt,iactantia ſeu arrogãtia hoſtium Dauidis, videlicet Saulis & complicum eius ſignificatur geſtu oris, cum ait,*Ore ſuo loquuntur*,ſe,ſcilicet,ſuaque iactantes.

Eſt autem ἀλαζονεία vitium turpiſſimum quo quis faſtuoſe ſe extollit & prædicat,idque vel propter ea,quæ habet,tanquam ea a ſe haberet,vel ob ea quæ non habet, ſed tamen ea verbis ſe habere fingit,geſtibuſque totius corporis tumorem animi quaſi repræſentat, magnæ exiſtimationis & authoritatis comparandæ cauſa.

Huiusmodi arrogantia & iactantia fuit Thrasonis apud Terentium, qui quæ habuit nimium extulit, non agnoscens se a Deo habere, &, ea quæ nō habuit, fastuose sibi attribuit.

Atque ita omnis arrogans est & sacrilegus, & mendax, & iniustus.

Sacrilegus, quia quod Dei est sibi assumit.

Mendax, quia gestus & oratio subiectæ rei non cōgruit.

Iniustus, quia sibi non conuenientem gloriam rapit, & authoritatem venatur, qua est indignus,

Sunt autem arrogantiæ causæ tres, videlicet, cæcitas mentis, iniqua & falsa rerum æstimatio, ac φιλαυτία. *Prima causa cæcitas mentis est*, quæ est vel naturalis, vel accersita: quarum illa quidem spectatur in rebus spiritualibus. Nam alioqui aliqua lux remanet in homine etiam post lapsum. Hæc cæcitas est pœna peccati originalis in omnibus hominibus post lapsum Adæ, quæ tantisper manet in homine, donec noua luce, id est, verbo Dei, & spiritu sancto mens illustratur: Hæc vero spectatur in vita formanda & moribus, & ex culpa hominis accedit vt pœna peccati actualis. Hæc cæcitas, vt homo magis magisque peccatis indulget: ita magis magisque crescet, donec homo prorsus fiat ἀναίσθητος & ἀπηλγηκος, quemadmodum, proh dolor, in multis videre est.

Sed quomodo, inquies, *causa arrogantiæ est cæcitas, cum cæcitas sit priuatio, & priuatio nihil agat?*

Respondeo.

Cæcitas mentis dici potest causa arrogantiæ, & est ratione consequentiæ. Ex priuatione enim concluditur negatio habitus vt cæcus est. Ergo non videt. Sic cæcitas mentis impedit visionē mentis, id est, cognitionē, qua homo seipsum cognosceret. Ex quo fit, vt homines ita cæci de se non recte iudicent. Nam si de se recte iudicarint, nullus sane aditus pateret iactantiæ. Nam nemo, qui seipsum recte cognoscit, iactare se & sua potest, qui cum nouit seipsum recte, cogitur cum Paulo sibi ipse dicere: Quid habes, quod non accepisti, & si accepisti cur gloriaris, tanquam non acceperis? Item: Miserum me hominem, quis liberabit me de corpore mortis huius?

Secunda causa iactantiæ seu arrogantiæ est iniqua rerum æstimatio. Alias enim res magni ponderis esse arrogans

æstimat,

æstimat, sed quæ reuera aut nullius, aut perexigui ponderis sunt: alias, quæ reuera quidem magni ponderis sunt, sed vt suas æstimat, cum sint alienæ: alias fuco pingit, & pro veris venditat, cum sint adulterinæ. Exempla primi generis continent vulgares versus:

Forma, fauor populi feruor iuuenilis, opesque
Surripuere tibi: noscere quid sit homo.

Hæc quatuor a stultis hominibus iudicantur magni pōderis esse, cum tamen sint foliis leuiora caducis. De quibus ordine, sed breuissime dicemus.

Forma hoc loco pro pulchritudine corporis accipitur. Nam animi pulchritudo nullam arrogantiam admittit, sed sanctam in Deo gloriationem. De forma corporis noti sunt versus Ouidij:

Forma bonum fragile est, quantumque accedit ad annos
Fit minor, & spacio carpitur ipsa suo.

Cum his cōgruit dictū Solomonis *Prou.* 36. fallax gratia, & vana pulchritudo. Esaias: Omnis caro fœnū est, & omnis gloria eius tanquam flos agri. Et Boætius ait: formæ nitor rapidus est & velox, & vernantium florum mutatione fugacior. Bernardus: pulchritudo corporis vana est, terra & cinis est. Deus non requirit corporis decorem, sed animi pulchritudinem. Deinde periculū est a corporis pulchritudine magnum, iuxta poetæ dictum: Sequitur superbia formam, vt in Absolone & multis aliis videre est. Vix fœmina inuenietur excellenti forma prædita, quæ non superbiat. Vnde & sibi pericula, & aliis ingentia mala creat.

Secundum, cuius meminere versus citati, est fauor populi.

Est autem fauor populi animorum populi in aliquē propensio, cum beneuolētia & honorifica testificatione de ipso. Cuius fauoris fundamentum seu causæ perpendantur: quæ aut sunt veræ & honestæ, aut tales videntur. Si fuerint veræ & honestæ, vt virtus, eruditio, pietas, industria in vocatione, res bene gestæ, & salutares humanæ societati, agnosce fauorem istum populi esse donum Dei, qui monebit te, vt Deo gratias agas, agnoscas infirmitatem tuam, atque interim cogites quod populus, qui tibi fauet, sit πολύτεϱπος. Quare Phocillidi, pare qui ait: λαῷ μὴ πίστευε πολύτεϱπος ἐστὶν ὅμιλος.

At si causæ videntur veræ & honestæ, & non sunt tamen, tunc fauor populi nihil aliud est, quam vanitatis illecebra & inepta populi testificatio de aliquo.

Porro vt ex fauore populi (cuius causæ sunt res honestæ) in prudentibus nascitur acre studium virtutum & officiorum erga homines, constantia in recte factis, diligensque cura, ne quid committas sceleris, quo iste fauor populi erga te extinguatur: ita in stultis nascitur opinio æstimationis, arrogantia summa, contemptus aliorum, & superbia, quam tristis tandem excipiet casus.

Quantum autem ad fauorem principum erga subditos attinet, nihil aliud dicam, quã quod magnus ille princeps Dauid olim suasit, *psa.* 146. nolite, inquit, confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus, exibit Spiritus eorum, & reuertetur in terram suam, in illa die peribunt omnes cogitationes eius. Hoc expertus est ipse, qui cum miles esset optime de Republica meritus, fuit gratissimus Sauli in principio. Sed iste fauor versus est in odiũ implacabile. Bellisarius in fauore erat Iustiniani Imperatoris summo propter res multas feliciter gestas. Sed quid fit? fauor iste mutatur in odium, spoliatur Bellisarius, exoculatur, & in eas angustias venit, vt stipe mendicatim peteret. Clytus intimus fuit apud Alexandrum magnum. Nemini enim in toto exercitu magis fauebat Alexander, quam Clyto, sed iste fauor tristissimum finem habuit. Nam Clytus ab Alexandro ebrio indignissime est trucidatus. Historiæ plenæ sunt multis huiusmodi exemplis. Cum ergo aura mutabilior sit Magnatum fauor, nemo in eo fiduciam collocet, sed in Domino, qui custodit veritatem in seculum, hoc est, cuius fauor est constans, & immutabilis, modo nos in fide eius perstiterimus.

Sequitur *feruor iuuenilis*. Quoniam autem vocabulũ feruoris in scripturis sumitur & in bonam & in malã partem, de duplici feruore, videlicet, bono & malo pauca adiiciam.

De bono loquitur Paulus *Rom.* 12. Spiritu feruentes Domino seruientes. Huius exemplum est *act.* 18. Apollo feruens spiritu loquebatur, quæ sunt Christi.

De malo feruore loquitu Esaias *cap* 57. Cor impii quasi mare feruens non potest quiescere.

Verũ vt has duas feruoris species rectius explicemus, primum

mum tradam definitionem feruoris in genere. Deinde species a nobis assignatas declarabimus.

Definitio feruoris hæc sit: feruor animi est ardens affectus animi ex quauis re ortus, quo quis ita impellitur ad aliquid audendum, vt non possit seipsum cohibere, quin illud aggrediatur nullum periculum pertimescens. Est autem metaphora sumpta ab aqua feruente, sicut Iob testatur *capite* 41. Sicut ollæ succensæ atque feruentes. Eadem metaphora mare feruere dicitur, quando excitatum a tempestatibus magno impetu ruit, vt cohiberi non possit, vt de ceto scribitur in libro Iob, feruescere faciet quasi ollam profundum maris. Tenemus iam definitionem feruoris in genere, & vnde translata sit vox feruoris in scripturam. Iam species feruoris, quas proposuimus, declaremus.

Feruor bonus seu zelus secundum scientiam est, quo quis accenditur ad dicendum & faciendum quæ recta & laudabilia sunt. Etsi autem talis feruor in Ethnicis multis fuit, nos tamen maneamus apud Ecclesiam, & de feruore sanctorum loquamur, qui a causa impulsiua feruor Spiritus a Paulo dicitur, cuius differentiæ hoc modo a causis, conatu, & finibus sumi possunt. Feruor igitur sanctorum a fide nascitur, spe impellitur, charitate inflãmatur donec ferueat, impetuque maximo feratur ad aliquid audendũ, hoc est, dicendum vel faciendũ pro gloria Dei & salute Ecclesiæ. Hic feruor si regitur pia prudentia bonus & laudabilis est.

Huiusmodi feruore impulsus est Helias ad audacter respõdendum Regi Achab 3. *Reg.* 18. Nã cũ diceret ei Achab acerrimus hostis ipsius & Ecclesiæ totius: Tune es ille, qui conturbas Israel? respondit Helias magno feruore spiritus, non ego turbo Israel, sed tu & domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, & secuti estis Baalim. Talis feruor in Christo fuit, dum eiiceret vendentes & ementes e templo. Talis fuit etiam in Apollo. Sic enim Lucas scribit: Apollo feruens Spiritu, loquebatur quæ erant Christi. Huius heroici feruoris exemplum illustre habemus etiam in electo illo organo Dei reuerendo Domino Luthero, qui se imperatoribus & Papis, adeoque toti mundo opposuit magno Spiritus feruore.

Feruor malus commode distingui potest in iuuenilem, & veteratorium.

Feruor iuuenilis est inconsultus & temerarius, vt qui non

ratione,sed affectibus feratur ad aliquid audendum,nō prospiciens finem contra poetæ consilium:

Quicquid agas, prudenter agas, & respice finem.

Hic iuuenilis feruor præter calidiorē sanguinē habet alias atque alias causas & fides, videlicet, nunc immodicum vini vsum, qui parit furorem in consiliis, & temeritatem in actionibus, nunc opinionē prudentiæ, nunc suspicionem iniuriæ, plerunque iuuenilia consilia, sæpe ineptas assentatorum, qui lucrum quærunt, laudes, non raro impatientiam, quæ impellit ad temerariam festinationem, quæ semper est improuida & cæca.

Feruor veteratorius est afflatus antiqui serpentis quo hostes Ecclesiæ Dei Papa cum suis magno impetu feruntur ad obruendā & euertendam Ecclesiam. Huius feruoris veteratorii in Papistis causæ sunt plures, vt spontanea cæcitas, inuidia, odiū, captatio opinionis, sapientiæ & constantiæ, insatiabilis voluptatum & opū fames, dominandi libido, laudūque immensa cupido. His tanquam facibus ardentibus inflāmantur & adeo feruent, vt nunquā quiescere possint, quin Ecclesiæ interitū meditētur. Huius feruoris hostiū Ecclesię allegorica imago proponitur *Iob cap.* 40. & 41. in Behemoth & Leuiathan, vbi inter alia dicitur: e naribus eius egreditur fumus sicut ex olla feruente. Item, omnes sublimes despicit, & est Rex super omnes filios superbiæ.

Opes postremo loco a poeta ponūtur. Mirū enim in modū plerique diuites insolescunt, & ex instrumentis virtutis exercendæ sibi laqueum texunt, quo miserrime capiuntur, non quidem culpa diuitiarū quæ per se ociosæ sunt, sed proprio abutentium diuitiis vitio. Non enim diuitiæ sunt causa, sed solummodo occasio ruinæ eorum, quæ illis abutuntur. *Geneseos* 15. in illustri exemplo definiuntur diuitiæ: Erat, ait Moses, Abraham diues valde in pecore, in auro & in argento.

Sunt ergo diuitiæ ampla rerum possessio quarumcunque siue pecorum, siue agrorum, siue auri, argenti, pecuniæ &c. vt est in versu Horatii:

Diues agris, diues positis in fœnora nummis.

Christus Dominus discernit inter diuitias terrenas & spirituales. Has illis propter bonitatem & durationem præferens. Sunt ergo Christo veræ diuitiæ, pietas & obedientia, philo-

philoſophis eruditio & virtus, vulgo magna rerum copia. Sed nos hoc loco ſolummodo dicemus de diuitiis, quæ ſunt veluti Lydius lapis, ad quem hominum mores probantur, iuxta dictum Menandri: πλοῦτος δὲ βάσανος ἐστὶν ἀνθρώπου τρόπων. Ex quo fit, vt in aliis ſint virtutis & pietatis exercendæ inſtrumentum, in aliis fomes arrogantiæ & ſuperbiæ, occaſioque infinitorum malorum.

Duo ſunt Monachorum errores de diuitiis, vtrique pernicioſi. Quidam propter dictum Chriſti *Matth.*16. facilius eſt Camelum intrare per foramen acus, quam diuitem in regnũ cœlorum, omnes diuitias, idque in omnibus hominibus dãnant, adeo vt neminem diuitem ſaluari poſſe contendant: ſed male, cum Chriſtus non loquatur vniuerſaliter, ſed indefinite tantum & de abuſu diuitiarum, videlicet, cum ab imprudente poſſeſſore occupantur. Alii non negant diuites ſaluari poſſe, ſed illos ad perfectionis laudem nequaquam peruenire contendunt, quia Dominus apud Matthæum *cap.*19. Adoleſcenti diuiti, qui honeſte a iuuentute coram hominibus vixerat, dicit: Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia, quæ poſſides, & da pauperibus. Sed peſſime ex perſonali mandato de deſerendis diuitiis generalem regulam faciunt, quẽadmodum & multi Iudæi fecerunt, qui vt Abrahami imitari exemplum viderentur, liberos ſuos in holocauſtum obtulerunt contra vniuerſale mandatum: Non occides. Verũ mandatum Chriſti non in ſpecie, ſed in genere facti rectiſſime omnibus piis accommodatur, & quæ ſit Chriſtiana perfectio perſpicue docet, nimirum, quod Chriſtiana perfectio, qualis in hac vita eſſe poſſit, ſit ex fide anteponere obedientiam erga Chriſtum omnibus rebus huius mundi vel nobis dulciſſimis & chariſſimis, adeoque vitæ ipſi. Ab hac obedientia longe abfuit diues ille adoleſcens, vt qui plus ſuas opes, quã Chriſtum amauit peruerſo rerum ordine. Quid enim iniquius eſſe poteſt, quam amare opes plus quam Chriſtum, cũ ordo rerum poſtulat, vt diuitiæ terrenæ longe infra quemuis hominem collocandæ ſint?

Porro vt methodo certa de diuitiis dicam, quatuor ordine faciam.

Primum Regulam de diuitiis & paupertate tradam.

Secundo. De iuſtis diuitiis & earum recto vſu, præmiiſque agam.

Tertio. De iniustis diuitiis, & earum abusu, pœnisque abusus admonebo.

Quarto, nonnulla περὶ τῆς αὐταρχείας, & de diuitiis spiritualibus adiiciam.

His enim quatuor cognitis intelligent auditores quid sit pie de diuitiis iudicandum, & quid sit fugiendum, ne fiant nobis spinæ & laquei.

De primo.

Regula hæc sit: Cum diuitiæ per se sunt res mediæ sicut & paupertas, qualitatem cum bonitatis, tum malitiæ ab affectione vtentis mutuantur. Si enim in bonum inciderint bonæ fiunt vsu: sin in malum malæ. Ideo & Terentius nec in bonis nec in malis diuitias numerat, sed tales dicit eas esse, quales sunt ii, qui illis vtuntur. Regula confirmatur dicto Syracidæ *cap*.13. Diuitiæ sunt bonæ ei, in quo non est peccatum, & paupertas mala in ore impii. His congruit Bernardi dictum: Nec diuiti obsunt opes, si eis bene vtatur, nec pauperem egestas commendabilem facit, si inter inopiam sordes peccati non caueat. Recte proinde philosophi quidam diuitias δυνάμεις nominarunt, id est, instrumenta, quibus homines cum ad virtutem, tum ad vitia vti possunt. Eadem plane Platonis est sententia, qui dicebat diuitias cœcas esse sine prudentia. Sed acutum cernere, cum prudentiam sequūtur. Ideo & Menander ait: μακάριος ὅστις οὐσίαν καὶ νοῦς ἔχει.

Sed, inquies, *Communiter tamen accidit homines diuites esse insolentiores.* Respondeo.

Hoc mirum non esse, cum sint plures mali, quam boni. Nam si in bonos incidunt diuitiæ, nequaquam illorum animos mutant, sed, vt diximus, illis pietatis exercendæ instrumenta ministrant, vt Abraham, Loth, Isaac, Iacob, Ioseph, Dauidi, Ezechiæ, Iosaphat, Cornelio &c. In his enim & κτῆσις & χρῆσις diuitiarum fuit pia & iusta. Summa dictorum huc redit, quod nemo nec bonus, nec malus, similiter nec laudandus, nec vituperandus ob diuitias vel paupertatem simpliciter iudicari debeat, sed ex animo possidentis & vsu. Ex quo sequitur Monasticam criminationem diuitiarum iniustam esse.

De secundo.

Iustæ sunt diuitiæ, quarum acquisitio est iusta, possessio pia,

pia,& prudens administratio.

Primum dico, quod acquisitio debet esse iusta, & hæc est multiplex. Alias enim ex iusta hæreditate acquiruntur diuitiæ, vt cum filij succedunt in paterna bona iuste parta. Nam si iniuste parta sunt, quæ ex hæreditate obueniũt, iniusta etiam erit eorum possessio ab hæredibus. Id, quod pœnæ in hæredibus sæpe ostendunt, quibus confirmatur vulgaris versiculus:

Ex male quæsitis non gaudet tertius hæres.

Exempla recentia omitto. Alias ex fertilitate agrorum, quæ sane acquisitio iustissima est, cum terra cum vberrimo fœnore reddit quod accepit. Nam quicquid ita obuenit, ex benedictione Domini est. Ipse enim fœcundat agros. Alias ex pecorum fœtura, quales fuere diuitiæ patrum, Iacob, Ioseph & aliorum. Olim enim præcipuæ diuitiæ fuere ex fœtura pecorum, quæ est ex benedictione Domini, vt in historia Iacob videre est. Atque hinc pecuniæ nomen desumptum est. Hoc & superius genus comparandarum diuitiarum Aristoteles dicit esse secundum naturam. Alias ex reditibus fundorum à Regibus & principibus concessis iis, qui hos sua industria & laboribus meriti sunt, qui vel adhuc seruiunt Reipubl. aut seruire aliquando poterunt, si illorum ministerium requiratur. Non his patrocinor factis qui occupant reditus Ecclesiasticos seu politicos, qui plane inutiles sunt Reipublic. & Ecclesiæ, hi deuorant bona pro quibus non laborarunt. Alias ex labore manuum, aut iusta mercatura, aut etiam ex vtili officio in Repub. & Ecclesia. Illi enim fructum manuum suarum iuste manducant, & si quid supererit præter necessarium vsum iusta est laboris merces.

Secundo. possessio debet esse pia. Hæc pietas possidentis tria vitia cauet, videlicet, fiduciam in diuitiis, superbiam ob diuitias, ὕβριν ex diuitiis. Hæc omnia vt caueamus in diuitiis monet Dauid vno verbo, *Psalmo 62.* Si diuitiæ affluunt nolite cor apponere, id est, nolite diuitiis animum adiicere, sed perinde affecti estote quasi nihil possidentes. Transit enim celerrime imago huius vitæ inanis & adumbratæ. Omnia, siquidem quę καταχρηστικῶς fortunæ bona nominantur, caduca, fluxa & pro nihilo putanda sunt. Neminem enim beare possunt. Deinde qui sic affectus est, vt non ap-

ponat animum diuitiis, is nec ob diuitias superbit, nec ex iis contumeliosus & iniuriosus efficitur.

Tertio. iustarum diuitiarum debet esse prudens administratio, prudentem diuitiarum administrationem suadet pietas erga Deum, vrget charitas erga proximum, moderatur oculus œconomicus iuxta facultatum modum. Quicunq; enim diuitias habet, sciat se iis donatum esse a Deo, vt earum sit fidelis œconomus Domino suo rationem, vbi ipsi visum fuerit, redditurus.

Quomodo autem iustæ diuitiæ administrari & dispensari debeant, *primum* in genere ex Solomone indicabo. Deinde particulatim quisnam debeat esse legitimus diuitiarum vsus, ostendam, vt sint possessoribus suis ornamenta & non detrimenta, sint corona non & ignominia, iuxta illud Solomonis *Prou.* 14. Corona sapientum diuitiæ eorum. Huc pertinet illud Senecæ dictum: Diuitiæ apud sapientem virum in seruitute sunt, apud stultum in imperio.

Solomonis hæc verba sunt *Prou.* 5. Bibe aquam e tuis fontibus, & tui fontis riuulos bibe. fontes tui foras deriuentur: & riui effluant in plateas: At tu dominus esto horum solus, & non alieni tecum.

Hoc præceptum sapientissimi Solomonis allegorice prudentem diuitiarum administrationem, sed in genere tantũ docet. Fontis enim nomine facultates & possessiones hominis intelligit. Continet autem hoc Solomonis præceptum tria: *Primum* enim vsum priuatum diuitiarum & domesticum locum commendat. Deinde communicationem præcipit. Tum Dominium retinendum esse suadet.

De primo ait: Bibe aquam e tuis fontibus, id est, vtere facultatibus iuste partis ad tuum & familiæ tuæ vsum, id est, quibus & tu & familia tua honeste sustentemini, & liberaliter. Honeste quidem, vt ratio tui status & conditionis habeatur, ne quid prȩter τὸ πρέπον personæ tuæ facias: Nam hoc esset abuti & non pie vti facultatibus suis: Liberaliter vero, ne sis sordidus, & abiicias te infra status tui dignitatem. Aliud enim decet Solomonem, aliud Abner, aliud Nathanem & Vriam. Maior enim splendor in Rege requiritur, quam in nobili, maior in nobili, quam in sacerdote & ciue. Sed quando sacerdos aut ciuis vult nobilem æquare splendore & sumptibus, & nobilis Regem, non seruatur τὸ πρέ-

πον,

νον, nec iustus est vsus facultatum, sed maximus abusus, qui & habet comitem inuidiam, qua fama, & superbiam, qua conscientia læditur.

De Secundo ait : fontes tui foras deriuentur , & riui tui effluant in plateas. Hic de communicatione seu liberalitate agit Solomon. Vult enim vt pro modulo nostrarum facultatum in alios simus liberales & studeamus nostris facultatibus de aliis, qui nostra ope indigent, bene mereri. pietatis enim lege & charitatis obligamur perpetuo ad succurrendum aliorum inopiæ. Sed quomodo hoc fieri debeat infra dicam, vbi prudentis administrationis facultatum modos exponam. Nunc enim solummodo mentem Solomonis in genere ostendi.

De Tertio ait: Et tu dominus esto horum solus, non alieni tecum. His verbis suadet Solomon retinendum esse dominium nostrarum facultatum. Hæc pars præcepti Solomonis primum sancit distinctionem dominiorum. Non vult ergo Platonicam aut Anabaptisticam rerum communionem. Deinde prodigalitatem seu profusionem damnat, qua exhauriuntur & alienantur facultates. *Tertio* requirit prudentem admini strationem & Geometricam, vt pro ratione hominum simus liberales, in alios magis, in alios minus. Hactenus ex Solomone de prudenti administratione facultatum, sed in genere tantum, diximus. Nunc particulatim in quos oporteat diuites esse liberales ostendam.

Vt autem id fiat dilucidius septem gradus constituamus eorum, quibus nostris facultatibus seruire Religio & charitas suadent.

Primus. Quoniam ideo creati & redempti sumus a Deo, vt ipsum glorificemus, omniũ iustissimũ fuerit partem nostrarum facultatum eo conuertere, vt Dei gloriæ seruiat. Hoc autem fit quando sanctorum exemplo partem nostrarum facultatum ad Religionis conseruationem, sine qua Deus coli nequit, conuertimus. Et quoniam Religio conseruari minime poterit sine publico verbi ministerio, hoc est, sine piis Euangelij ministr is, & pij ministri haberi non possunt sine liberali institutione & liberalis institutio nequit fieri nisi docentibus & discentibus in scholis liberaliter prospiciatur, sequitur quod hæc omnia ad conseruationem Religionis ordine requirantur. Qui ergo finem conditi & re

dempti hominis (qui est Deum celebrare) recte perpendit, is etiam media, quæ ad finem ducunt, nequaquam negligit. pars proinde nostrarum facultatum destinanda est Scholarum conseruationi, & ministerij Euangelij. Hunc vsum diuitiarum postulat Solomon cum ait *Prouerb.* 3. Honora Deum de facultatibus tuis. Hic siste gradum & vtrumque cogita: primum, quantum decus sit liberalitatis erga Ecclesiam seu ministerium verbi, cum ipse Spiritus sanctus per Solomonem pronuntiat Deum honore affici huiusmodi officio. Deinde cogita antithesin, videlicet, quam turpe sit nihil conferre. Nam Deus ignominia afficitur ingratorum turpissima auaritia, qui nihil conferunt in conseruationem ministerij Euangelij. Imitemur ergo Dauidis exemplum pro nostro modulo, & aliquid conferamus in conseruationem ministerij Euangelij: propter domum, inquit, Domini Dei nostri quæsiui bona tibi. Verum ne hic quis superstitione peccet, spolietque necessarios suos, videlicet, parentes & liberos debito officio prætextu liberalitatis erga ministerium Euangelij, Christus *Matth.* 25. *Marc* 7. reuocat nos ad quartum præceptum. Simus ergo liberales erga ministerium sine superstitione conferamus partem facultatum nostrarum ad vtilem conseruationem ministerij, non ad luxum pharisaicum & papisticum, vt olim pharisæi, & hodie papistæ prætextu Religionis spoliarunt familias. Vtinam non essent hodie, qui in reformatis Ecclesiis vetera aucupia iam dudum sepulta, tanquam ex inferis reuocare studerent, quo ipsorum auaritiæ fiat satis: quod tamen nunquam fieri potest, cum crescat amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

Secundus. Quilibet pius aliquam suarum facultatum partem conferat in subsidium & ornamentum patriæ seu Reipublicæ in qua habitat. Et quo fuerit ditior, eo plus conferat, vt subleuentur pauperiores. Hanc ob causam tributa imponuntur, vt illis tanquam neruus contineatur & cohæreat Respublica, hoc est, vt sint ornamenta pacis, subsidia belli, & præmia eorum qui Rempublicam administrant. Hic pij subditi discant obedire & non disputare, prompto animo conferant quæ imperantur, non disputent quid & quantum liceat magistratui, sed in timore Domini pacem ament, foueantque, se suæque omnia prouidentiæ diuinæ

commit-

committentes cum omni ſubiectione & obedientia, etiamſi durius videatur onus. Huc Chryſoſtomi dictum adiiciam de obedientia: principibus eſt obtemperandum, modo præcipiant honeſta, aut certe ea, quæ licet iniqua ſunt, nos tamen non reddant impios, ſed afflictos. At ſi de Religione agitur Petrum imitemur, qui ait: Oportet magis Deo, quam homini obedire. Et Polycarpus ait: Magiſtratui tribuendus eſt honor, qui non eſt Religioni contrarius.

Tertius. Vt diues ſeipſum pro ſuæ conditionis ſtatu honeſte alat & veſtiat, vxorē, liberos & familiam pie & probe ſuſtentet ſine vtroque extremo, id eſt, ſordibus & prodigalitate. Mediocritas enim in omni re eſt laudabilis. Breuiter, quilibet cogitet quid ſuæ perſonæ & conditioni congruat, caueantur illecebræ & dilitiæ nimiæ in cibo & in potu, quæ animum veluti eneruant, & paulatim inducunt mollitiem animi viro pio indignam.

Quartus. Si diues habuerit cognatos pauperes & conſanguineos, habeat rationem ſanguinis ſui, non patiatur eos viuere in ſordida paupertate. Storga enim naturalis, vera pietate temperata ſemper eſt συμπαθὴς, ſemper eſt expoſita iis, qui digni ſunt, vt iuuentur. Verum hic iudicium in dando, & prudentia adhibenda eſt, ne coniunctis ſanguine miniſtret inſtrumenta heluationum & libidinum. Hoc enim eſſet furioſo gladium porrigere. Quare ſi quis tales habuerit conſanguineos, ſinat eos cum calamitatibus ſuis conflictari donec reſipiſcant.

Quintus. Sunt Artifices & Mercatores, item coloni, qui poſſunt ſibi honeſte proſpicere manuum labore & artificio, item mercatura & agricultura: ſed interdum inopiam partiuntur, vt niſi mutuum aliunde acceperint, periclitētur, his mutuum dabit diues gratis (iuxta illud Pſalmi. Vir bonus miſeretur & commodat) vt ipſorum inopia ſuccurrat, nec ſit durus exactor, ſed patienter expectet donec poſſunt ſine damno mutuum ſoluere. Hoc qui fecerit, ſe Chriſti ſeruum eſſe declarat, qui ſuis hoc officium imperat, cum ait: Date mutuum nihil inde ſperantes, hoc eſt, ſine omni ſpe analogi officij. Eſſet autem analogum officium ſi eo animo indigenti mutuum dares, vt ille tibi viciſſim in ſimili aut diuerſo officij genere gratificaretur, vt ſi

piſcatori des mutuo pecuniam, vt tibi obnoxius ſit ad vendendum tibi piſces præ aliis. Quale officium inter prophanas gentes vſitatiſsimum eſt.

Sextus. Diues non patiatur pro ſe laborantes fruſtrari debita mercede, ſed potius ſi viderit eos grauiter & fideliter laboraſſe, addat potius aliquid vltra pactum. Hæc enim liberalitas & bonum nomen conciliat, & beneuolentiam in laborantibus fouet.

Septimus. Sunt pauperes qui vel præ ſenio vel morbo, non poſſunt ſe ſuis laboribus ſuſtentare, his gratis & hilariter ſuccurrendum eſt. Nam hoc officii genus adeo Deo gratum eſt, vt Spiritus ſanctus illud loco ſacrificii Deo longe gratiſsimo habeat. Sic enim ad *Hebræos* 13. ſcribitur: Beneficentiæ & communionis nolite obliuiſci τοιαύταις γὰρ θυσίαις εὐαρεστεῖται ὁ θεός, hoc eſt, *huiuſmodi hoſtiæ Deo pergratæ ſunt & ſumme placent.* Et meminerint omnes diuites dictum Iohannis 1. *Iohan.* 3. Si quis habuerit τὸν βίον τοῦ κόσμου (id eſt, *mundanas facultates, quibus hæc vita ſuſtentatur*) & viderit fratrem ſuum (id eſt conſortem religionis Chriſtianæ. fratres enim Iohannes in tota Epiſtola prima nominat Chriſtianæ Religionis conſortes) egentem, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Porro piæ liberalitatis erga pauperes triplex præmium promittitur *Pſalmo* 112. quorum primum eſt augmentum donorum ſpiritualium & corporalium. Secundum, honeſtum nomē. Tertiū, benedictio poſteritatis. Huiuſmodi liberalitatis erga pauperes Chriſtus meminerit in extremo die cum dicturus ſit: Venite benedicti patris mei, eſuriui enim & dediſtis mihi cibum, ſitiui & dediſtis mihi potum, nudus eram & me cooperuiſtis.

De tertio.

Etſi ex Antitheſi promptiſsimū videtur definire quænam ſint iniuſtæ diuitiæ. Nam ſi iuſtæ ſunt diuitiæ, quarum acquiſitio eſt iuſta, poſſeſsio pia & adminiſtratio prudens, profecto iniuſtæ erunt, quarum iniuſta eſt acquiſitio, impia poſſeſsio & imprudens adminiſtratio: tamen vt laqueus Diaboli (Sic enim Paulus vocat iniquas opes) maiori cum ſtudio caueatur, huc nonnulla, mutato nonnihil tractationis

nis ordine de iniustis diuitiis, quæ hominem demergunt in interitum, adiiciam.

Sunt autem iniustæ diuitiæ μετωνυμικῶς & quæ iniuste parantur, & quæ male vsurpantur, & quæ male detinentur, & quæ adeptæ peruerso rerũ ordine nimium amantur. Tot enim viis iniustitia diuitiis sese insinuat, vt interim taceam rimulas alias, per quas se ingens vitiorum caterua animis diuitum ingerit. Nam diuitiæ infinita vitiorum pharmaca in se continent. Homines siquidem ad virtutis & pietatis studium natos ad se conuertunt, vt omnis virtutis & pietatis immemores se vitiis dedant. Atque hinc est, quod ad modum paucos inuenies diuites, nisi quos timor Dei in officio continet, quos ipsæ diuitiæ suis venenis non inficiant lethaliter. Hanc ob causam Magister noster *Lucæ* 16. diuitias Mammona iniquitatis nominat, non tam quod inique, vt sæpe fit, comparantur, quam quod iniquitatis sunt ἀφορμαὶ & instrumenta, nisi prudentem possessorem nactæ fuerint.

Hæc contractius dicta scripturis & exemplis fusius illustremus.

Primum itaque diuitiæ iniustæ sunt, quando iniuste acquiruntur. Ideo Solomon *Prouerb.* 28. de iniusta diuitiarum acquisitione sic loquitur: Qui festinat ditari, nõ erit innocens. Huius dicti rationem reddit Paulus 1. *Timoth.* 6. cum inquit: Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem & in laqueum Diaboli, & in cupiditates multas, amentes & damnosas, quæ demergunt homines in exitum & interitum. Radix enim omnium malorum est auaritia. Quod etiam Phocillides intellexit, cum ait: ἡ φιλοχρημοσύνη μήτηρ κακότητος ἁπάσης. Qui enim ita affecti sunt erga diuitias acquirendas, varios modos excogitãt, quibus ditari possunt, quales sunt: furtũ, rapina piratica, fraus, mendacia, periuria, vsuræ immoderatæ, iniqua põdera & mẽsuræ &c. Horum stultum conatum damnat Habacuc propheta *cap.* 2. cum ait: Væ qui congregat non sua, vsquequo aggrauat super se densum lutum. Hic obserua prophetam Dei iniuste acquisitas opes densum lutum nominare Quid enim aliud sunt diuitiæ fraudibus & rapinis, aliisque iniquis artibus partæ, quam graue & molestum terræ pondus seu lutum, quo homines seipsos obruũt, fœdãt & excæcant, vt ad cœle-

ſtia aſpirare non poſſint? Verũ eſt proinde Auguſtini dictũ, qui dicit, lucrum in arca eſſe ingens in cõſcientia damnum, vt non immerito videatur prophanus poëta dixiſſe: μὴ σπεῦδε πλουτεῖν, μὴ ταχὺ πένης ἴσῃ. Id quod fieri non ſolum in conſcientia, ſed interdum etiam in arca, iuxta illud *Prouerb.* 22. Qui iniuria afficit pauperem, vt hoc modo facultates ſuas augeat, is dabit ditioribus & egebit. Idque iuſtiſsimo Dei iudicio. Nam per quæ quis peccat, per eadem punitur. *Sapient.* 11. Qui exempla huius rei petit, quærit aquam in mari. Mundus enim plenus eſt in omnium hominum ſtatibus talibus ſordibus hominum iniuſte diuitias quærentium. Nota eſt hiſtoria de Villico illo *Lucæ* 16. qui ſuum dominum defraudarit, vt ſuis cupiditatibus ſatisfieret, & ſibi proſpiceret, ne fodere cogeretur ſenex amotus ab officio.

Secundo. Diuitiæ iniuſtæ fiunt, quando male vſurpantur. Etſi autem diuitiæ interdum ſine ſcelere parantur & ratione acquiſitionis ſunt iuſtæ: Tamen iniuſtæ efficiuntur, ſi ad ſcelera vſurpantur. Iuſte forte acquiſiuit diuitias prodigus, cuius mentio fit apud Lucam *cap.* 15. Sed acquiſitas iuſte iniuſte vſurpauit. Sicuti & diues ille Epulo *Lucæ* 16. qui præter decorum perſonæ ſuæ & conditionis induebatur purpura & byſſo, & quotidie ſplendide epulabatur. Quicunque ergo abutitur diuitiis ad voluptates, ad cõmeſſationes, ad inanem pompam, vt prędicetur eius apud homines liberalitas, is vanus eſt, & ex diuitiis ſuis ſibi ſpinas & laqueos facit, vt eſt *Prouerb.* 22. Diuitiæ ſunt ſpinæ & laquei in via peruerſi. Huc reſpexit Dominus *Matt.* 13. vbi comparat diuitias ſpinis, adeo vt etiam qui ſapere ſibi videntur, hic ſpinis interdum lethaliter pungantur. Cuius rei exempla quotidie in oculos hominum incurrunt.

Tertio. Diuitiæ iniuſtitiæ labe contaminantur, dum male detinentur. Sit ſane quod iuſte ſint partæ quas habes, opes: Eſto quod iuſte illis, quantum ad tuum domeſticum vſum attinet, vtaris: tamen iniuſtitiæ maculã non effugies ſi eas apud te recõditas ſerues, quando in gloriam Dei & in neceſsitatẽ proximi erogãdæ eſſẽt. Tũ enim tuę diuitię qua ſi teſtes ſe offerũt tuæ impietatis aduerſus Deũ, & crudelitatis aduerſus proximũ. Quod cũ ſit, quid quęſo aliud facis, quã quod tibi iram in diem iræ cumulas? Cõtra hanc iniu-

ſtam

ſtam diuitiarum detentionem inuehitur Iacobus *cap.* 5. Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miſeriis veſtris, quæ ſuperueniẽt vobis. Diuitię veſtrę putrefactę ſunt, & veſtimenta veſtra a tineis exeſa ſunt, aurum veſtrum & argentum ærugine vitiatum eſt, & ærugo eorum in teſtimonium vobis erit, & comedet carnes veſtras ſicut ignis, & theſaurizaſtis vobis iram in nouiſsimis: Ecce merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, a vobis intercepta, clamat, & clamores eorum, qui meſſuerũt, in aures Domini Zebaoth introierunt. An nõ Iacobus hic graphice depingit mores diuitũ huius ſeculi? Et Ambroſius ait: Eſuriẽtium eſt panis, quẽ tu detines, nudorum veſtimentum eſt, quod tu recludis, miſerorum redemptio eſt pecunia, quam tu in terram fodis. Tantorum ergo ſcias te inuadere bona.

Quarto. Iniuſtæ etiam redduntur diuitiæ partæ, cum quis eas nimium amat, hoc eſt, non ſuo ordine, id eſt, longe infra Deum & ſeipſum & alios homines omnes. Quod cum fit, amor diuitiarum tuarum amoris Dei & proximi venenum eſt. Nam qui diuitias amat vt Deum, Idololatra eſt: qui tanquam ſe, iniuſtus eſt: qui plus quam fratrem indigentem, iniurius eſt & iniquus. Quare Cicero recte ſentit, cum ait: Nihil eſt tam anguſti animi tamque parui, quã amare diuitias.

Sed audiamus quæſo quid viciſsim diuitiæ præſtant homini adeo impenſe ſe amanti? Duo faciunt. *Primum* enim diuitiæ nactæ ſtultũ poſſeſſorẽ excæcant illũ, & grauiſſima ſeruitute premunt, nec ſinunt eũ vnquam quieſcere nec mẽte, nec corpore. Deinde eum ſuperbiſſime extollunt, vt nec Deũ metuat, nec homines reuereatur, ſed vnũ Deũ Mãmon agnoſcat colatq;, homines autẽ pauperiores tãquam ex alto deſpiciat, ſuperbe contemnat, inhumaniter tractet, donec fraudibus, vſuris & mille fallendi technis eos oppreſſerit.

Sed quem fructum tandem reportabunt, qui nimium ſuas opes amant? Miſeriam ſempiternam. In extremo enim die fatebuntur diuites ſe in viis iniquitatis ambulaſſe & prę anguſtia ſpiritus gemẽtes dicẽt, vt eſt ſapiẽtię 5. Quid nobis profuit ſuperbia noſtra? diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Tranſierunt omnia ſicut vmbra, & tanquam nuntius prætercurrens. Chriſtus *Lucæ* 6. dicit: Væ vobis diuitibus quia habetis conſolationẽ veſtram. Loquitur autẽ

Dominus de iis diuitibus, qui seruiũt diuitiis suis, non de iis, quibus diuitiæ, iuxta verbum Dei, seruiunt in gloriam Dei, & vtilitatem proximi. Nam nemo, eodem teste, potest seruire Deo, & Mammonæ, sed seruire Deo & habere diuitias, quibus imperat, sapiens potest, dum scilicet, suis opibus recte, vt supra docuimus vtitur, quod sane stultus non poterit. Nec is Deo derelicto Mammonę misere subiectus est, eique seruit, quam etsi putat se possidere, tamen reuera ab ea possidetur, nisi forte ita habere stultum diuitias dices, quemadmodum febris habet febricitantem.

Sed dulce, ait stolidus diuitiarum amator, est laudari ob diuitias suas apud homines. Respondeo. Quid prodest tibi ore hominum laudari, quando os Dei te condemnat? Quid multis? stultus ex suis diuitiis in hac vita nihil pręter laborem, dolorem & timorem lucratur, quem post mortem gehenna excipiat. Hoc vult Solomon cum ait de stulto diuite: Cuncti dies eius pleni sunt laboribus & ærumnis.

De Quarto.

Quarto loco proposui me dicturum περὶ τῆς αὐταρκείας, deque veris & spiritualibus diuitiis. De quibus Pauli dictũ ex prioris sexto ad Timothęum adducam, vbi collationem instituit inter veras spiritualesque diuitias, & mundanas, de quibus hactenus diximus.

Sunt autem hæc Pauli verba: ἔστι δὲ μέγας πορισμὸς ἡ εὐσέβεια μετ᾽ αὐταρκείας. Id est, *magnus quæstus est pietas cum sufficientia*, quasi diceret: Si quæris quæstum, en pietas cum sufficientia est magnus quæstus omnibus modis pręferendus lucris huius mundi perituris. Nam vbi vera pietas, ibi Christus, & in ipso omnia. Sed Pauli verba breuiter declarabimus.

Est, inquit, *magnus quæstus pietas.*

Est autem pietas religiosa animi affectio hominis conuersi ad Deum, iustificati fide, donatique Spiritu sancto, qua vt homo in Deo acquiescit: ita ex fide ei perpetuã obedientiã pręstare statuit. Huius illustre exẽplum habemus in patre nostro Abrahamo cuius pietas a Mose prolixe, a Paulo breuissime, sed plenissime ad *Rom.* 4. describitur. Huius filii censentur corã Deo omnes, qui ipsius vestigiis per fidem & obe-

obedientiam insistunt. Hi enim & filii Dei & hæredes, & cohæredes Christi dicuntur. Ex quo cogitare licet quantum thesaurum cœlestium diuitiarum in Christo habeamus repositum.

Porro hæc pietas, vt alias sæpe a nobis dicitur, est fundamẽtum, principium, dux & gubernatrix omnium virtutũ, quæ sunt spirituales quædam diuitiæ omnes mundi opes precio, dignitate, & duratione superantes.

Fundamentum, quia super ea extruuntur veræ virtutes. Nam extra illud fundamentum nulla vera virtus.

Principium, quia ab ea manant virtutes vt a fonte riuuli.

Dux, quia regit eas & continet intra limites verbi Dei, ne vel ad dextram vel ad sinistram deflectamus.

Gubernatrix, quia efficit, vt ad verum finem ferãtur virtutes, videlicet, ad gloriam Dei, ædificationem Ecclesiæ & vtilitatem proximi.

Huic pietati adiungit Paulus αὐτάρκειαν, quã vetus Interpres sufficientiã vertit, alii nunc abundantiam, nunc id quod satis est. Sed sufficientiæ vox, etsi forte minus latina, magis tamen conuenire videtur.

Porro αὐτάρκεια, quantum quidẽ ad nostrum institutũ attinet, alias ad rẽ, alias ad personam refertur. Cũ ad rem refertur, aliter eam Stoicus, aliter Peripateticus, aliter Epicureus, aliter Christianus definit. Stoicus virtutem dicit esse αὐτάρκειαν, vt quæ soli sufficiat ad felicitatem. Peripateticus eam definit tantam rerum abundantiam, qua ciuitas, & quæuis familia in ciuitate suum statum tueri possit. Epicureus in voluptatibus eandem ponit. Christianus in Thesauris spiritualibus, quos habet reconditos in Iesu Christo vnico saluatore nostro, qui factus est pauper, vt nos ditaret. In hoc enim solo omni bonorum copia & affluentia abundamus. Hæc αὐτάρκεια semper coniuncta est cum vera pietate, vt Paulus hic docet, quæ sane maximus & incomparabilis est quæstus. Quando autem αὐτάρκεια ad personam refertur, tunc affectu personæ æstimatur, cuius definitionem petamus ab exemplo Pauli, qui Philippensibus scribens, *capite* 4. ait: Ego didici in quibus sum αὐτάρκης εἶναι.

Est ergo αὐτάρκεια virtus, qua quis sua forte contentus

quiescit,& non quærit aliena.Significatur ergo voce αὐταρκείας animus,qui mediocritate est contentus,hoc est, victu & amictu. Sicut Paulus eam definit, cum addit superiori sententiæ:habentes alimenta,& quibus tegamur, his contenti erimus.Huiusmodi αὐτάρκειαν, quæ est medium inter opulentiam & inopiam petit Solomon, vt est *Prouerb.* 30. Inopiam & diuitias ne dederis mihi,dimensum meum suppedita mihi,ne vbi satur fuero mentiar, & dicam: quis est Deus?neve per inopiam furtum committam,& polluam nomen Dei mei. Hanc αὐτάρκειαν petimus ex Magistri nostri mandato, cum dicimus:panem nostrum ἐπιούσιον da nobis hodie. Est autem panis ἐπιούσιος, qui nobis in hac vita alendis sufficit,id est, quo in hac vita superesse & viuere possimus. Cum addit,*nostrum*, requirit Dominus, vt non tanquã fuci ex alieno viuamus,quod furti species est, sed ex proprio pane,honesto labore acquisito. Ideo Paulus ad *Ephes.* 4.vult,vt pii non furentur,sed laborent,vt habeant quod dẽt necessitatem habenti,pro qua liberalitate Deus vberẽ gratiam rependet,vt Paulus ait 2.*Corinth*.9.

Hactenus de primo genere rerum egimus,vnde homines τῆς ἀλαζονείας materiam petere soleant, quæ quam sunt exigui momenti ostendimus.

Secundum genus rerũ,vnde se temere homines iactant,diximus magni quidẽ esse ponderis,sed in hoc errare homines, quod ea quæ sunt aliena,sibi ascribãt. Huius generis sunt: sapientia,prudẽtia,magna eruditio,acumẽ, fœlicitas in rebus gerendis.Hinc qui sumunt materiã iactantiæ,vt sibi vendicant sacrilege quæ sunt Dei dona:ita sæpe iustissimo Dei iudicio tristem sortiuntur exitum. Quare hic commendo omnibus dictum Pauli 1.*Cor*.4.Quid habes quod non accepisti?& si accepisti,cur gloriaris, quasi non acceperis?

Tertium genus rerũ,vndẽ stolidi homines materiã gloriãdi petunt,est plane fucatum,cum illorum iactantię inani nulla res solida subsit, vt Thraso Terentianus se gloriose extulit,cum esset inanis illa iactatio.Sic stulti quidam iactant sapientiam,prudentiam,eruditionem, cum vix vmbram sapientiæ,prudentiæ,aut eruditionis nacti sunt.Qui tales sunt sæpe in suis propriis negociis miserrime errant, cum præ superbia ab aliis consilia petere dedignentur.

φιλαυτίαν tertiam arrogantiæ causam fecimus.

Est

Est autem φιλαυτία, si Etymon spectes, amor sui. Qui cum sit duplex, rectus & vitiosus: Hic de vitioso solummodo loquimur, quo nos ita amamus ex concupiscentiæ originalis vitio, vt quæ corporis sunt, præferamus iis quæ sunt animæ, quæ sunt caducæ huius vitæ iis, quæ ad æternam vitam & salutem pertinent. Breuiter. hoc nos ipsos efferimus, proximum præ nobis contemnimus, & plusquam oportet, sapimus.

Tertio. Dauid hoc loco tribuit suis hostibus ὑπερηφανίαν, cum ait: *Locuti sunt in superbia.* Huius superbiæ duæ partes sunt. Vna, qua ipsi volunt videri & reputari præ aliis magni & præclari. Altera, quæ alios tanquam ex alto despiciunt. Qui tales sunt, sciant se Deum habere aduersarium, iuxta dictum *Petri* 5. ὁ θεὸς ὑπερηφάνοις ἀντιτάσσεται, id est, se ex aduerso superbis opponit, & tanquam in acie stans contra eos dimicat. Nunquam ergo dubitandum, quin omnis superbia miserum tandem sit habitura exitum. Id quod cum scriptura experientia omnium temporum testatur.

Quarto loco tribuit Dauid hostibus suis & Ecclesiæ θηριότητα, id est immanitatem, qualis est Leonis parati ad prædam, qualis est Leunculi famelici quæuis obuia animalia deuorantis. *Oculos suos*, inquit, *ponunt ad conculcandum nos in terram*, non secus atque Leo, qui famelicus obseruat feras, vt eas rapiat, discerpat, dilaniet, deuoret. Quam hæc sit apposita imago Tyrannorum, qui etiam hodie Ecclesiam Dei persequuntur: experiuntur multi pii Christiani, qui ab istis sæuis leonibus, & eorum leunculis capiuntur & trucidantur immanissime, idque indicta causa, neque ab initio mundi immanior fuit laniena sanctorum, quam nunc auditur esse in multis locis. Quare nos admoneamur, qui adhuc in hisce Halcyoniis latitamus, vt pro fratribus nostris pugnemus ardentissimis precibus ad Deum, petamusque vt Deus det illis constantiam in vera confessione Christi ad finem. Deinde vt nos præparemus ad similia pericula, ne citius opinione nostra opprimamur. Sciamus & nobis dictum esse a Domino: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. *Matth.* 26.

QVARTA PARS.

13. *Surge Iehouah, præoccupa faciem eius, prosterne eum, libera animam meam ab impio gladio tuo.*

14. *A viris manu tua Iehouah, a viris de mundo, portio eorum in vita, & abscondito tuo imples ventrem eorum, saturantur filij, & relinquent residuum suum paruulis suis.*

PEtit vindictam Dauid super hostibus suis, & petit se defendi, vt ipsis prostratis ipse liber euadat. Compellatio Iehouah iam sæpius declarata est. Petitio gemina est, vna qua petit, vt aduersariũ suum Saulem præoccupet, priusquam in se impetum faciat. Id quod etiam præstitit misso nuncio de incursione Philistinorum. 1. *Reg.* 23. Altera petit se liberari a vitæ discrimine. *Libera*, inquit, *animam meam*, id est, me, ne vitam mihi hostis eripiat. Cum aduersarium suum impium vocat, rationem petitionis suæ reddit, quæ ex hoc principio dependet: Deus semper solet pios contra impios defendere, piisque potenter liberatis hostes prosternere. Quoties ergo contra hostes Ecclesiæ precamur hoc fundamento nitamur, quo & monemur, ne hostibus, quibus interitum imprecamur, impietate animi similes simus. Qui enim opē petit a Deo contra impios & hostes Ecclesiæ sine vera pœnitentia & bono proposito, & contra seipsum orat. Non est proinde satis, si nomine pius es, si nomine Euãgelicus, si nomine hostis Antichristi, nisi reuera sis, quod dici velis, id est, vere pius & Euangelicus.

Porro aliqua obscuritas est in hac locutione: *libera animã meam ab impio gladio tuo.* Latinis gladio tuo potest instrumẽtaliter accipi, vt per gladium potentia Dei intelligatur, qua suos & Ecclesiæ hostes solet cohercere, qui quidem sensus non est malus: Sed tamen istam interpretationem non videtur pati sacræ linguæ proprietas, qua potius dicendum sit, quod sit Appositio, & sit hic sensus: libera animam meam ab impio, qui est gladius tuus, & apud *Esaiam* 10. iam Assur virga furoris Domini nominatur. Et *Iob* 19. dicitur manu Dei tactum esse, cum tamen Diabolus eum percussisset,

quo Deus vſus erat tanquam manu ad caſtigandum ſeruum ſuum. Nam tametſi portæ inferorum ne minimum quidem nocere poſſunt minimo in Eccleſia, niſi hoc Deus, vt pater clementiſſimus, permitteret: tamen ſic videtur optimo Deo ſuum exercere iudicium. Hinc cõſolationem petamus, quod non caſu, ſed diuina prouidentia ab hoſtibus in noſtrum bonum vexemur.

Decimus quartus verſus eandem repetit precationem, cui addit ſucceſſum impiorum in hac vita. *A viris*, inquit, *manu tua Iehouah, & a viris de mundo*, ſcilicet, libera animam meã. Hic precatur Dauid contra duo hominum genera, videlicet, contra Tyrannos & Epicureos, quorum illi gladio perſequũtur Eccleſiam: hi Eccleſiam derident tanquam ſtultam, quæ tanta vult pati pro religiõe. Alii quidam hic vertunt: A viris manus tuæ, non incommode quidem, ſi ſententiam ſpectes. Nam violatur phraſis ſacræ linguæ. Vocabulum enim *metiri* non ponitur in ſtatu regiminis, ſed abſolute. Quare & hic appoſitio eſt, vt in ſuperiori verſu, quem ſic recte expreſſit Pagninus: A viris, qui ſunt manus tua. Cur autem impii dicantur manus Dei, paulo ante diximus.

Sequitur Epicureorum ſucceſſus, quos primum vocat homines mundanos, hoc eſt, mundo deditos, qui voluptatibus, honoribus & opibus ſtudent, vt ſuis poſteris amplam hæreditatem relinquant, quibus nihil boni ſperandum eſt poſt hanc vitam. Ideo ait: *Quorum portio in vita*. Benedicũtur enim a Domino mundanis rebus, ſeu vt hic loquitur: *Abſcondito tuo imples ventrem eorum*: id eſt deſiderium eorum. Quicquid enim boni habent Epicurei, id a ſolo Deo, etiamſi illud minime agnoſcunt, habent. *Saturantur*, inquit, *filij eorum*, id eſt, abundant liberis, quibus & ſuas facultates, quas habent reſiduas, morituri relinquent.

Sed cur, inquies, *Deus ita impios ditat & fortunat, cum ſint ſui hoſtes?* Reſpondeo.

Cur ſinit ſolem ſuum oriri ſuper bonos & malos? Hic vna cauſa potiſſimum ſpectanda eſt, videlicet, bonitas Dei, qua impios & Epicureos inuitat ad pœnitentiam. Deinde etiam quia vult aliquo modo ſtatum mundi etiam impii ſeruare incolumem propter Eccleſiam. His adde, quod Dominus etiam Epicureis benefaciat propter politicas virtutes, quarum vſus eſt in gubernanda externa diſciplina hominum,

15 *Ego in iustitia videbo faciem tuam, satiabor, cum expergefacta fuerit imago tua.*

GRæcus fere eodẽ modo: *Ego autem in iustitia apparebo conspectui tuo, satiabor cum apparuerit mihi gloria tua.*

Opponitur autem hic versus superiori. Vt enim in versu superiori summam felicitatem mundanorum hominum in rebus terrenis perituris posuit, eamque terminis huius vitæ clausit: ita felicitatem piorum (nam quod de se Dauid dicit, hoc de tota Ecclesia & singulis eius membris accipiendum est. fuit enim Dauid Ecclesiæ typus) in iustitia æterna, in abundantia bonorum, in gloria sempiterna, qua sancti similes Deo erunt post resurrectionem a mortuis, collocat.

Hæc est summa sententiæ huius versus. Vnde non solum docemur infinitum discrimen esse inter felicitatem sanctorum & mundanorum hominum: verumetiam luculentum testimonium habemus de resurrectione a mortuis, & gloria sanctorum hominum post hãc vitam, quando impii & mundani homines luctabuntur cum sempiterna ignominia & miseria. Habemus mẽtem Dauidis, & vnde summam in suis angustiis hausit consolationem, nobis relinquens exemplũ, vt nos similiter in nostris angustiis faciamus. Sunt autem huius versus duæ partes, quarum prior agit de felicitate sanctorum, quæ inchoatur in hac vita, & perficietur in futura. posterior de gloria æterna, & abũdantia omnium bonorum in futura vita.

De priori sic ait: *Ego in iustitia videbo faciem tuam.* Iustitiam apponit Dauid opibus, honoribus, voluptatibus, & quicquid mundus charum habet, quæ omnia sunt veluti fumus qui dissipatur a vento. faciem Dei videre, opponit pulchritudini rerum mundanarum, palatiorum, ornamentorum, aureorum, & quicquid mundus admiratur. Qui ergo compos mentis est non potest non iudicare meliora & pulchriora in infinitum omnibus modis præferenda esse voluptatibus huius mundi ad breue admodum tempus duraturis.

Sed quænam, inquies, est iustitia illa, quænam facies Dei, quæ hic significatur? De iustitia facilimum est respondere. Nam ex scripturis clare colligitur iustitiam hic esse non eã,

qua homo suis operibus iustus censetur, quæ etiam legis iustitia dicitur. Nam de ea scriptum est: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Ergo necesse est esse aliam iustitiam, quę tamen Dauidis esse potest, de qua hic loquitur. Sed quænam illa est? Audiamus ipsum Dauidem duplicem proponentem iustitiam, quarum priori non consistit coram Deo, sed posteriori: ita enim ait: Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis subsistet? quasi diceret: nullus. Hic Dauid aperte negat se posse consistere coram Deo propria iustitia. Ideo addit: Apud te propitiatio est, scilicet in semine promisso, qui tegit peccatum & imputat credenti suam iustitiam. Hic Dauid fatetur se iustum esse aliena iustitia, nempe Christi. Sic etiam *Psalmo* 32. ait: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum. Ex quo loco Paulus colligit nos iustificari aliena iustitia nempe Christi, quæ imputatur credenti. Nam qui beatus est, certe iustus est. Deinde illi soli qui prodeunt ornati Christi iustitia, accessum ad Deum habent. Ergo & illi soli faciem Dei videre possunt. Nam iustitia hominis impurior est, quam vt prodeat in Dei conspectum.

Facies Dei, quæ a Sanctis cernitur in hac vita, est sensus fauoris Dei in cordibus sanctorum, qui sensus concipitur & nascitur operante Spiritu sancto ex fiducia Christi, qui est naturalis imago patris. Ex quo fit, vt qui in filium credit, filium mente & corde videat & in filio patrem. Hæc visio vultus Dei patris in filio est inchoatio visionis in æterna vita, qua videbimus Deum sicuti est.

De posteriori sic ait: *Satiabor cum expergefacta fuerit imago tua.* Hic opponit Dauid saturitati hominum mundanorum qui in hac vita fallacibus bonis & interituris satiantur, de quibus Dominus apud Lucam ait: Væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis, saturitatem sanctorum cum in hac vita, tum in futura post resurrectionem a mortuis. Sancti dum in terra sunt satiantur quidem pane vitæ, qui est Iesus Christus, iuxta illud *Psalmi* 22. Edent pauperes & saturabuntur, & laudabunt Dominum qui requirunt eum: viuent corda eorum in seculum seculi. Hanc saturitatem promittit suis Dominus *Matth.* 5. *Lucæ* 6. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quia illi saturabuntur. Verum hæc satietas san-

ctorum in hac vita est solummodo gustus respectu saturitatis eorum in gloriosa resurrectione. De quo gustu alibi Dauid dicit *Psalm* 34. Gustate & videre quam suauis est Dominus, beatus vir qui sperat in eo. Hoc gustu mirabiliter reficiuntur Sancti in hac vita, dum ex verbo per Spiritum sanctum fidem concipiunt in Dominum, qui panis est vitæ æternæ. Nam de hoc pane quisquis gustauerit non morietur in æternum. Ego sum, ait Dominus, panis viuus, qui de cœlo descendi, si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Verum saturitas sanctorum in beata vita erit consumatissima, ita vt non vltra quicquam requirant. Hoc enim pane vescentes super mensam Christi, vt est *Lucæ* 22. perfecte beati erunt, hoc est, abundabunt omni bono, nullo prementur malo, nullum timebunt malum, certi erunt de æterna fruitione conspectus Dei patris & filij & Spiritus sancti, ex quo fiet vt refulgeat in sanctis clarissima Dei imago. Nam Domino nostro Iesu Christo, qui est æternus Dei filius & imago patris, similes erimus in omnem æternitatem, cum corporibus, tum animabus & vtrisque simul. Corporibus quidem claritate, subtilitate, agilitate, potentia, incorruptibilitate & immortalitate: Animabus vero luce æterna, sapientia, iustitia, libertate arbitrij: Vtrisque perfecta sanctitate. Sed quid hic inenarrabilia enarrare pergo? præsertim cum Paulus dicat 1. *Corinth*. 2. quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit iis qui diligunt illum?

Vsus Psalmi Decimiseptimi.

Vsus huius Psalmi eum ad Doctrinam & imitationem referamus.

Doctrina est Ecclesiæ notissima, videlicet, quod Ecclesia in hac vita sit instar ouium in medio Leonum & Luporum. Semper enim sunt Tyranni, semper sunt Sophistæ, semper Epicurei, qui persequuntur Ecclesiam & conantur illam funditus delere, iuxta dictum: Gen. 3. Tu mordebis

debis calcaneum eius. Quando igitur audimus de perſecutionibus Eccleſię in variis locis mundi, non peregrinemur tanquam aliquid noui audiremus, ſed ſciamus hoc fieri bono & ſapienti conſilio Dei in ſalutem Eccleſiæ. Nam cruce cōtinetur in officio. Imitatio exempli Dauidis in his quatuor conſiſtit.

Primum, vt contra hoſtes Dei & Eccleſiæ precibus noſtris ad Deum, qui curam noſtri gerit, pugnemus.

Secundo vt non temere nos coniiciamus in manus hoſtium, ſed declinemus pericula, quantum per pietatem licet.

Tertio. Vt non frangamur proſperitate hominum mundanorum. Nam illorum proſperitas ad ſummum terminis huius vitę clauditur, & tanquam vmbra præterit.

Quarto, vt omnibus aduerſis, quæ cogimur experiri in hac vita, hoc eſt, momentaneę afflictioni opponamus tamquam rupem fortiſſimam æternum pondus gloriæ, de quo poſtremus verſus huius Pſalmi concionatur. Hæc enim gloria æterna calamitates huius vitæ excipiet, idque per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, cui vna cum Patre & Spiritu ſancto ſit honor & gloria in omnem æternitatem.

Amen.

PSALMVS DECIMVS OCTAVVS.

Summa Psalmi Decimi octaui.

HIC *Psalmus qui est veluti cignea cantio Dauidis ante migrationẽ ipsius ex hac vita, cum suo titulo translatus est in librum Psalmorum ex 2. Reg. 22. cap. Titulus authorem, occasionem, & argumentum Psalmi clarissime indicat: Nam Dauid post sublatos hostes suos, Saulẽ, Absolonem, deuictas vicinas gentes, & alios domesticos hostes, gratias agit Deo qui se in tantis periculis sustinuit, & tandem potenter liberauit. Deinde altius commemorat diuina beneficia erga se, quæ postea in quatuor ordines digeremus. Breuiter vt in superiori psalmo petit liberationem ab hostibus, ita hic pro impetrata liberatione se Deo gratum fore pollicetur. Est itaque hic psalmus totus* ἐπινίκιον, *& gratiarum actio pro sui conseruatione & liberatione ab omnibus suæ ætatis hostibus, qui ipsum & Ecclesiam Dei horribiliter persecuti sunt. Porro psalmus hic mystice Christo, Ecclesiæ, atque adeo singulis in Ecclesia recte accommodabitur, cum quia Dauid in suis persequutionibus & liberationibus Typus erat Christi & Ecclesiæ, vt iam aliquoties a nobis indicatum est. Tum quia eadem omnibus temporibus Ecclesiæ conditio est, & gubernatorum Ecclesiæ, etsi enim personæ temporibus variant, sors tamen eadem semper*

Ecclesiæ

Ecclesiæ in hac vita manet, quia causæ non imitantur.

Ordo & dispositio Psalmi decimi octaui.

Hic Psalmus pluribus ornamentis ornatus duas habet præcipue partes, quæ sunt:

PRIMA, *Quæ absoluitur sex primis versibus. Est gratiarum actio seu promissio gratitudinis erga Deū. hæc gratiarum actio sæpe repetitur, augetur, & amplificatur in hoc Psalmo. Quoties enim mens pia incidit in memoriam, vel commemorationem beneficiorum Dei erga se, mox fertur in gratiarum actionem ex abundantia enim cordis, os loquitur. Cum ergo legimus in Psalmis aut alibi sæpius repeti gratiarum actiones & petitiones, sciamus id fieri non temere, sed ex piißima cordis sanctorum affectione proficisci, qui ne cogitare quidem possunt beneficia Dei erga se, sine gratæ mentis significatione.*

In secunda parte huius Psalmi commemorat Dauid Dei erga se beneficia, eaque multiplicia, quæ omnia sunt ratio gratiarum actionis. Ex quo fit, vt totus hic Psalmus in hoc Enthimema includi poßit: Plurima sunt Dei beneficia erga me, ergo par est vt illum ex intimo corde diligam, celebremque. Hoc Enthimema fluit a principio natura noto, seu a lege naturæ, quæ dictat gratiam deberi benemeritis, & summā optime meritis: Quare Deo a quo omnia habemus, in quo viuimus, mouemur, & sumus. Quique nos ab omni malo inuocantes liberat, maxima debetur gratia, quam qui non reddunt, legem naturæ violant, suæ ingratitudinis pœnas olim luituri. Porro hanc secundam Psalmi partem in quatuor ordines cum Lu-

thero digeramus. Qui sunt:

Primus, Commemoratio liberationis e manibus Saulis, in qua moratur a versu septimo usque ad decimumsextum.

Secundus, ad vicinas gentes pertinet, a quibus se liberatum in Domino gloriatur, idque a decimosexto versu, usque ad trigesimumquartum.

Tertius, liberationem ab insidiis Absolonis continet, a versu trigesimo quarto, usque ad quadragesimum secundum.

Quartus, a versu quadragesimo secundo usque ad finem Psalmi, habet cōmemorationem, quomodo Dauid ab hostibus intestinis & domesticis sit liberatus.

Hæc omnia ut supra quoque notauimus mystice de Christo, Ecclesia & quolibet pio in genere accipi possunt, qui diuinitus a suis hostibus, tyrannis, Sophistis, & falsis fratribus liberantur. Etsi autem diuersis modis sancti in hoc mundo affliguntur, tamē ad unum omnes persequutionem patiuntur, iuxta regulam 2. Tim. 3. Omnes qui pie viuere volunt in Christo, persequutionem patiuntur, sed lætissima tandem erit καταστροφή. Ex his intelligi potest quod totus hic Psalmus sit εὐχαριστικός, in cuius fine vaticinium de Christo, de vocatione gentium, & reiectione Iudæorum additur.

EXEGE-

EXEGESIS PSALMI DECIMI OCTAVI CVM INDICAtione doctrinarum.

PRIMA PARS.

1. *Diligam te, Iehouah, fortitudo mea.*
2. *Iehoua, petra mea, & arx mea, & liberator meus, Deus meus, robur meum, sperabo in eo, scutum meum, & cornu salutis meæ, eleuatio mea.*
3. *Laudatum inuocabo Iehouah, & ab inimicis meis saluus ero.*
4. *Circumdederunt me funes mortis, & torrentes Belial terrebant me.*
5. *Funes inferni circumdederunt me, præuenerunt me laquei mortis.*
6. *In angustia mea inuocaui Iehouah, & ad Deum meum clamaui, & clamor meus coram eo, introibit in aures eius.*

HÆc prima pars Psalmi continet vt diximus gratiarum actionẽ, cuius hæc est summa: Ego in variis angustiis inuocaui Dominum, qui quoniam me clementer exaudiuit, illi gratias ago, eumque celebro. Hoc Dauidis exemplo discamus & nos quid sit nobis in nostris angustiis faciendum, nimirum vt ex fide opem diuinam imploremus, & exauditi agnoscamus Deum liberatorẽ, gratias ei agentes, illumque corde & lingua, adeoque tota vita celebrantes, iuxta primum præceptũ, & iuxta mandatum Dei. *Psal.* 50. Inuoca me in die tribulationis, eripiam te & glorificabis me. Atque hactenus de summa sententiæ horum sex versuum, nũc sigillatim nostro more verba expendamus, quo omnia melius in nostrum vsum transferamus.

Diligam te Iehouah fortitudo mea. Propositio est gratiarum actionis, seu promissio gratitudinis erga Deum, pro beneficiis acceptis: Requirit autem primum caput legis cum dilectione Dei, gratitudinē erga ipsum, cuius effectus est gratiarum actio, quæ voce fit. Vtitur hic Dauid admodū significāti vocabulo, sumpto a mutua στοργῇ parētum & liberorū, hi enim dictante lege naturæ se intimo amoris affectu amplectuntur. Vt ergo bonus pater suam prolem intimo amoris affectu amplectitur, & bona proles vicissim parētem in visceribus suis habet, ita Deus pater piū quēlibet, & quilibet pius Deum complectitur, vt sit mutuus amor Dei & hominis pii. De Deo duo dicta hoc tempore ascribam, quibus amor Dei erga hominem credentem per comparationem describitur. *Esaiæ* 49. Nunquid obliuisci potest mulier infantis sui, vt nō misereatur filii vteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. *Psalm.* 103. Quemadmodum miseretur pater super filios suos, misertus est dominus super timentes se. In his dictis Esaias & Dauid, eodem verbo quod in hoc Psalmo est, vtuntur, quo significatur, vt dixi amoris Dei affectus erga Ecclesiam, hoc est erga omnes qui Christo per fidem inserti sunt, qualis est parentum erga liberos, cui ex aduerso respondebit similis affectus in sanctis.

Porro ne quis larua dilectionis Dei seipsum per hypocrisin decipiat, teneamus hanc dilectionis Dei, id est, qua homo Deum diligere debet, definitionem. *Dilectio Dei* seu dilectio qua Deus diligi debet vera est, quando illū intimo cordis affectu ita cōplecteris, vt vniuersis rebus illū anteponas tanquā vere & pulcherrimū & optimū & beneficentissimū: vt honorem & gloriam illius chariorem habeas, cunctis huius vitæ honoribus, opibus & voluptatibus: vt, quēadmodum amicus cū amici memoria occurrit, beneuola quadam afficitur, & pia lętitia, sic cures vt diuina omnia amicissima tibi sint, & proinde lætissima, verserisque in ipsis multo libentissime: vt omnia caueas quæ illi ingrata esse noueris, amesq; ea omnia, quę ipse amat, & quæ te ipse amare iubet: Breuiter, vt ei iunctus fide, & amore ipsi similis fieri studeas, in qua re finis hominis, si statum eius spectes, cōsistit. Hæc definitio dilectionis Dei extructa est ex verbis legis, quæ est *Deut.* 6. videlicet, Dilige Iehouah Deum tuum toto corde tuo, & tota anima tua, & tota facultate tua Etsi

autem

autem recte dicitur & docte hanc legem requirere perfectam notitiam, perfectam dilectionem Dei & perfectã obedientiam erga Deum, tamen vtile est eam retexere, & singula penitius introspicere, vt eius vis aliquo modo intelligatur, quæ nunquam satis in hac vita exhauriri potest.

Primum ergo hæc lex quatuor continet.

1. Quisnam sit diligendus? videlicet, Deus æternus, qui est Pater & Filius, & Spiritus Sanctus.

2. Quis diligat, nempe homo formatus ad imaginẽ Dei.

3. Quare diligat, quia est Dominus & Deus hominis.

4. Quomodo diligat, videlicet, toto corde, tota anima, & tota facultate, scilicet cordis & animæ, a qua corpus in obsequium Deo adducitur, non enim corpus per se agit, sed agitur ab anima cuius organum est. Sed omissis tribus prioribus, de vltimo dicamus, videlicet, de modo dilectionis Dei, ac primum verba legis expendamus, deinde sententiam videamus: De voce dilectionis supra satis dictum est. Quare ad alia verba legis nos conferamus.

Cor, hoc loco intellectum seu intelligentiam significat, ita enim accipi solet, quando animæ in scripturis iungitur. Anima proprie totam animalẽ virtutem notat, facultas autem, cum cordis tum animę vires denotat. Ideo *Marcus* 12. & *Lucas* 10. pro vna voce Hebraica *meod*, duas videlicet διάνοιαν & ἰσχὺν posuere, vt διάνοια sit facultas cordis. id est intelligentiæ & ἰσχὺς sit facultas animæ, id est totius animalis virtutis, quæ Latinis anima dicitur.

Postquam in hunc modum vim vocabulorum exposuimus, sententiam legis conemur explicare: cuius sunt duæ partes. Vna diligere Deum, toto corde, totiusque cordis integra facultate. Altera, Diligere Deum tota anima integraque totius animæ facultate seu viribus.

Quid est diligere Deum toto corde & tota cordis facultate?

Est intelligentiam nostrã, & omnes vires intelligẽtię, quę διανοίας voce significantur, eo conuertere, vt veram Dei notitiã assequamur, vt Deũ cognoscamus qui est vnus in essẽtia, & trinus in personis quæ sunt Pater & λόγος, & Spiritus sanctus, sicut se patefecit diuinitus verbo, & testimonio: vt voluntatẽ Dei sciamus: vt diuina semper cogitemus, meditemur, contẽplemur, ac sapiamus: Breuiter vt totis viribus in

hoc incumbamus, vt nobis constet vera de Deo & eius voluntate notitia: quæ cum non aliunde petitur salutaris, quam ex scriptis propheticis & Apostolicis, commendatur homini hac lege sacræ scripturæ studium, vt iuxta Psalmum primum, dies atque noctes meditetur homo legem, hoc est, verbum Dei. Deinde quia in natura ipsa impressa sunt quædam vestigia Dei, debet homo etiam in mirando opificio mundi potentiam & maiestatem Dei, & mirari & prædicare: Cœli enim vt Dauid ait enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Et Paulus ad *Rom.* 1. τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ, manifestum erat illis, Deus enim eis manifestauit quæ eius sunt inuisibilia, dum per res conditas intelliguntur, ex creatione mundi præuidentur æterna scilicet eius tum potentia, tum diuinitas, in hoc vt sint inexcusabiles.

Quid est diligere Deum tota anima & totius animæ facultate seu viribus?

Vt hoc distincte explicemus, vires animæ quatenus distinguitur a mente notandæ sunt. Sunt autem in anima affectus sensus inclinationes, operationes, ac vita ipsa. Cũ ergo iubemur Deũ diligere tota anima, requiritur a nobis, vt affectibus, sensibus, inclinationibus, operationibus, ac denique tota vita ipsum amemus, hos modos ordine, quantum liceat, explicabimus.

Quomodo diligitur Deus affectibus?

Ex notitia Dei vera simul oriuntur fides & amor: cognitum enim Deum omnis boni fontem, & amamus, & in eum iuxta ipsius verbum credimus. Hic amor purus fuit in Adamo ante lapsum, nullus erat in Adamo peccatore ante conuersionem, inchoatus est in Adamo iustificato, & consumabitur in Adamo glorificato. Proinde in homine non conuerso ad Deum nullus est Dei amor, quia nulla fides: In conuerso autem vna cum fide in Deum concipitur & parturitur, & suo modo nascitur per Spiritum sanctum verus Dei amor, qui pro incremento fidei crescit in hac vita, qui in

in futura tandem perfectus erit. Ex fide & amore nascitur summa delectatio in Deo, sanctus Dei timor & filialis, qui indies magis magisque exercitiis crescit & fit maior. Cũ timore Dei cõiuncta est spes quæ non confundit. Requiritur proinde in hoc primo modo, fides, amor, læticia cordis, timor, & spes.

Quomodo diligitur Deus sensibus?

Si nihil audimus libentius quam quæ Dei sunt: Si nostræ aures nunquã afficiũtur tędio eius audiendi verbi: Si auertimus aures a blasphemia nominis diuini & ab eo omni quo Deus offenditur: Si nihil videamus pulchrius quam Deum inter homines celebrari, & coli, atque ea quæ Dei sunt magnifieri. Si nihil nobis suauius sapit quã bonitas: Si Euangelii odor præ omnibus aromatibus nobis dulcessit: Si nihil in mundo attrectamus maiori cũ voluptate, quã quæ ad gloriã Dei & honorem Dei faciũt. Denique si ab omnibus iis quæ Deo ingrata sunt, oculos, & aures atque adeo omnes sensus auertimus.

Quomodo diligitur Deus inclinationibus?

Quando declinamus a malo, & inclinamus corda nostra ad Dei mandata, cum Dauide qui ait, Inclinaui cor meum ad facienda mandata. *Psal.* 119.

Quomodo diligitur Deus operationibus animæ?

Quando omnes nostros conatus, & omnes actiones, totum corpus, & eius membra omnia ad laudes Dei conuertimus, non prosternentes corpora nostra idolis, sed ea potius in obsequium Dei referentes, quod tum demum fit, quando Deum ex viua fiducia filii inuocamus, ei gratias agimus, illum confitemur, & eius nomẽ sanctificamus. Breuiter, Cum facimus ab eo imperata, & cauemus prohibita, per patientiã expectantes quæ nobis in Christo promissa sunt.

Quomodo diligitur Deus tota vita?

Tribus modis, videlicet, si toto nostræ vitæ tempore ardemus vero Dei amore, nec finimus illum amorem vllo temporis interuallo interrumpi: Si propter Dei gloriam propagandam nobis vitam prolongari cupimus. Si gloriam Dei nostræ vitæ anteponimus, ita vt

potius velimus vitam pro ipsius gloria asserenda profundere,quam vt feramus ei aliquid nostra culpa decidere. Quid hinc sequitur, si vitam nostram gloriæ Dei postponere oportet? Sequitur profecto vt quod minus est, ipsius gloriæ anteponamus, hoc est: Vt gloriam & honorem Dei omnibus nostris opibus, honoribus, voluptatibus & commodis quibuscunque anteferamus: Qui enim amat suas opes,voluptates,honores,& commoda præ Deo, is profecto nunquam amauit Deum.

Definitionem dilectionis Dei a nobis traditam,lege Dei quæ est *Deut.* 6.confirmauimus: Nunc videamus ecquid natura nos doceat de diligendo Deo:Est enim admodum vtile videre quousque natura in hac re progrediatur.

Primum hoc omnibus sanis constat,& est principiũ naturali intelligentia notũ,quod quilibet de aliquo bene meritus sit amãdus,& melius meritus sit magis amãdus,& optime meritus,sit maxime amãdus.Nã si gratitudo erga bene meritos lege naturæ:iureque sanctissima virtutum cognominatur,profecto amor erga benemeritos,ex eodem fonte manat,vt qui gratitudinis prima pars est. Iam autẽ cũ Deus omnium sanorum iudicio,& propria singulorũ experientia sit optime de homine meritus,a quo habet homo, & quod sit,& quod viuat,& quod bene habeat.Quis,nisi impos mentis,non statuit Deum supra omnia amandum esse? Præsertim cum natura dictet parentes intime a liberis amandos. quorum tamen minora sunt merita erga liberos quam Dei erga vnumquemque nostrum: hæc demonstratio,quam nobis ipsa natura suppeditat,sua euidentia clarior est, quam vt vlla nube Sophistices interposita obscurari possit.

Deinde relictæ sunt in natura humana post lapsum tres facultates animæ,quæ tametsi valde debilitatæ sunt, & veluti in cœnum quoddã immersæ, tamen nos aliquo modo deducunt ad Deũ,illumque amandũ esse supra omnia indicant vt summum bonũ,in cuius possessione & fruitione summa felicitas sita est,vt præstantissimi philosophi testantur.Harum prima λογιστικὴ dicitur,i.vis ratiocinandi: hac enim quid verum & bonum sit inquirimus, & veluti per gradus paulatim conscendimus,quo ad summum bonum peruenerimus qui est ipse Deus.Secunda vocatur ἐπιθυμητικὴ, quæ natura sic homini astructa est vt bonum cognitum desideret, a-

met,

met. Et ſi ſummũ bonũ fuerit, in quo non ſit aliud melius, in eo acquieſcat, eoque fruatur. Ita enim natura condita eſt, vt ad bonũ feratur, illudque appetat & amet. Tertia appellatur θυμοειδὲς, quæ fortiter & animoſe bonum adeptum tuetur, ira citur noxiis, eaque fugit. Hæc profecto animæ partitio, eiuſque actio propria optime quadrat ad eas partes quas poſuit Moſes: Cordi enim reſpõdet λογιστική, animæ ἐπιθυμητική, virtuti ſeu fortitudini vtriuſque τὸ θυμοειδὲς. Hinc natũ eſt dictum cuiuſdam ſapientum ſeptem Græciæ ἕπου θεῷ, *ſequere Deum*: Hinc Plato ſummum hominis bonum, adeoque finem bonorum affirmat eſſe ὁμοιοῦσθαι θεῷ, amore & virtute. Hinc Philo philoſophus dicit finem hominis eſſe, iuxta naturam viuere, quod fit, vt ait, quando mens ingreſſa per virtutis ſemitam, incedit per rectæ rationis veſtigia, & Deum ſequitur, eique amore iungitur.

Hæc quidẽ vere & recte dicuntur a philoſophis, ſed euaneſcunt, priuſquam ad actum perueniunt: Sapientes enim mundi ſine verbo Dei, a veris principiis per ratiocinationes feruntur in abſurdiſſimas opiniones. Quemadmodum Paulus ad *Rom.* 1. clariſſime oſtendit. Nos igitur gratias agamus Deo qui nobis filium Doctorem dedit, qui ſolus nobis veram viam ad vitam monſtrat, ita enim ipſe ait, Ego ſum Via, Veritas, & Vita, id eſt, Ego ſum via ad vitam, ſcilicet, doctrina, merito, & efficacia.

Porro quoniam præceptum de dilectione proximi cum præcepto de dilectione Dei cohæret & ab eo dependet, volo huc pauca de dilectione proximi adiicere: quam ſi quis dixerit partem quandam eſſe dilectionis Dei, non errat quidem meo iudicio. nam quiſquis Deum vt par eſt amat, is profecto imperata ab eo facit, & eum diligit quem ipſe Deus diligit. Cum ergo Deus & mandat diligi proximum & ipſe homines diligit, profecto nemo poteſt Deum diligere, niſi vna cum Deo proximum quoque diligat: Ideo Iohannes. 1 *Iohan.* 4. ait, Si quis dixerit ſe diligere Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt. Atque hæc cauſa eſt cur Dominus apud Euangeliſtas ſecundum præceptum, de dilectione proximi dicit eſſe ſimile. videlicet, præcepto de Dilectione Dei. Simul enim ſtant, & ſimul cadunt: vnam atque eandem cauſam habẽt, æque obligant, & ad eundem finem vltimum referuntur.

Quid sit diligere proximum Paulus nos docet ad *Rom*.13. cum ait, Qui diligit alterum, legem impleuit. Siquidem illud, non mœchaberis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, & si quod aliud est mandatum in hoc sermone summatim compræhenditur, nempe, Dilige proximum tuum sicut teipsum, Dilectio proximo malum non operatur, plenitudo igitur legis est dilectio: Proinde qui diligit proximum, animo ipsum complectitur beneuolo, bene illi facit, & ab omni eius iniuria abstinet, adeo vt ne concupiscat quidē quæ illius sunt. Cū his congruunt προσκείμενα charitatis, quæ Paulus recitat 1.*Corinth*. 13. Proximus quis sit, Samaritanus suo facto, quod Dominus probat, nos docet, videlicet, quod non tantum qui nobis benefaciunt, sed etiam inimici in proximis numerandi sunt. Est proinde omnis homo cuiuis homini proximus natura, siquidem omnes eiusdem naturę sunt ad eandem Dei imaginem conditi.

Etsi autē manifestum est ex his, quis sit proximus, tamen vt hoc præceptū rectius intelligamus, tres distinctiones hominum nobis spectandæ sunt. Prima distinctio, Tres sunt gradus proximorum distincti inter sese.

In primo gradu sunt fratres (Iohānis Apostoli phrasi vtor) i. qui Christū nobiscū voce & vita profitētur, vt qui sunt eiusdē corporis Christi mēbra, hi sunt intimo amoris affectu diligēdi in Christo & opere iuuādi quoties res postulat: De his intellige Iohannē cū ait 1. *Ioh*.3. Qui habuerit victum huius mundi, & viderit fratrem suum egentem & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? i. nullo modo putandus est Deum diligere. Huc pertinet tota Epistola 1. Iohannis in qua docet quam arcta sit copula dilectionis Dei & fratrum, id est, eorum qui nobiscum confessione & vita eādem Christi religionem profitentur.

In secundo gradu sunt qui voce quidem eundem Christū nobiscum profitentur, sed non vita. Hi enim Christū verbis profitentur, sed factis negant, abominabiles corā Deo, hi quidē amandi sunt vt homines, & iuuandi in suo ordine, sed vita omnino dānanda, & cōuersatio vitāda, ne alios vel moribus, vel erronea doctrina inficiant: Atque hoc est quod Dauid vult cum ait, Despicitur in oculis eius improbus *Psalmo* 15.

In

In tertio gradu sunt quos Paulus vocat extraneos, inter quos peculiariter censeri possunt & ii qui confessione, doctrina, & moribus Christo aduersantur, cum his quomodo agendum, in 2. *Epist.* Iohannes docet, cum ait, Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, ne recipiatis eum in domum, nec aue ei dixeritis, vt itidem, qui fidem professi, vita eādem destruunt 1. *Cor.* 5. Interim tamen diligendi sunt vt homines ex mandato Christi, & in extremis periculis non differendi, vt Christus docet exemplo Samaritani, qui hostem periclitantem fouit, & iuuit.

Secunda distinctio ex Bernhardo petita, proximorum alii sunt superiores, alii pares, alii inferiores: superioribus ex dilectione & officio debemus reuerentiam & obedientiam: paribus ex dilectione debemus consilium & auxilium: inferioribus ex dilectione debemus tutelam & disciplinam. His addo egenos quibus ex dilectione & officio debemus solatium & eleemosynam, vt eos diligamus corde, verbo & opere.

Tertia distinctio proximorum alii sunt nobis sanguine iuncti, alii affinitate, alii coniugio: hi quomodo diligendi sunt ipsa natura, vel me tacente docet: Storga enim naturæ impressa est optima magistra, quæ docet, quomodo horum singuli suo loco & gradu diligendi sunt: hac Storga si qui vacui sunt, omnem humanitatem exuerunt, vt eos frustra docere studeas.

Fortitudo mea Iehouah, petra mea: & Sequitur congeries Epithetorum Dei, quibus in genere indicat Dauid, quod Deus fuerit suis in omnibus periculis & angustiis protector, & vindex: *Protector* quidem, quod se interposuerit inter ipsum & hostes eius: *Vindex* vero, quod vltus sit iniuriam ipsi ab hostibus illatam. Etsi autem hæc summa est huius congeriei, tamen vt laudes Dei altius celebret. Hæc Epitheta cumulat Dauid, & secundum numerum beneficiorum (vt Theodoretus ait) in se collatorum appellationis componit. Enumerat autem hic nouem Epitheta, quæ ordine sed breuissime exponam. *Primum fortitudo*, quod Dominus sibi fortitudinē suppeditasset, vnde infra ait, accinxisti me fortitudine ad bellum. *Secundum, petra*, quod ita in fide eius tutum refugium habuisset, vt ii tutos se putant: qui in præruptas petras seu rupes se receperunt. *Tertium, arx*, quod Deum vt murum, &

firmum vallum habuisset. *Quartum, erutor*, seu *liberator*, quod sæpe se e periculis præsentibus eripuisset. *Quintum*, *Deus*, quod mirifice, & plane diuina virtute sibi opem semper tulisset. *Sextum, fortitudo*, Hebraice *tsuri*, quod expertus esset Deum defensorem, & propugnatorem, in quem omnem suã fiduciam collocasset, ideo addit, Sperabo in eum. *Septimum, scutum*, quod iacula hostium a sede pulisset. *Octauum, cornu salutis*, quod per ipsum confectis hostibus salutem sibi peperisset, vt cornifera animalia se cornibus defendunt & contra, pugnantia repellunt. *Nonum, eleuatio*, quod supra hostes euectus, victor euasisset.

Hæc Epitheta Deo tribuit Dauid, vt ostendat quam variis modis Deus se eripuerit e summis periculis, & vt doceat quẽlibet pium suo exemplo quid faciat, vt Deum protectorem & vindicem habeat.

Huc quæstionem de modo prædicationis adiiciamus, videlicet, Qualisnam sit prædicatio, cum dicitur, Deus est fortitudo Dauidis, Deus est robur, & clypeus piorum? Quidam dicunt quod sit prædicatio effectus de causa, quod etsi verum esse fateor, tamen propriis prædicandi modis ascribenda nõ est, sed figuratis. Nunquam enim abstracta de concretis mediante copula *est* absque figura prædicantur. Est ergo figurata loquutio, Deus est fortitudo mea: in qua prædicatur effectus de causa, quæ in propriam sic resolui debet, Deus est qui me fortificat, seu fortem & inuictum reddit: sic cum dico, Christus est spes mea, metonymice dicitur, quæ proprie sic effertur: in Christo spem meam colloco, seu Christus est in quem spero. Cum autem dicitur, Deus est cornu salutis meæ: hic quia cornu metaphorice accipitur, oratio explicatione similitudinis declaranda est, sic videlicet. Quemadmodum cornua animalibus data sunt, vt illis se defendant, & vim repellant: ita præsentia Dei me tuetur, & hostes meos a me repellit. Est ergo Deus mihi veluti cornu quo hostes meos repello: hoc semper obseruandum, quoties prędicatum propositionis metaphorice accipitur.

Laudatum inuocabo Iehouah, & ab inimicis meis saluus ero.

MVltis magnificis Epithetis Dei erga se beneficia extulit, nũc quomodo eundem inuocauerit certa spe liberationis ab inimicis suis concepta, exponit.

Lauda-

Laudatum inquit, inuocabo. Si vim hebraicæ vocis ſpecte-
mus vehementer laudandum ſignificet, *inuocabo*, (futurum
pro præſenti, & præſens non tam actum quam habitum no
tat, hoc eſt inuocare ſolitus ſum in meis anguſtiis) *& ab
inimicis meis ſaluus ero*. i. ſaluari ſolitus ſum diuinitus: nã Ti-
tulus Pſalmi hæc de more & conſuetudine Dauidis intelli-
genda eſſe conuincit. Solitus enim erat ſemper in ſuis peri-
culis ad opem diuinam cõfugere. Et ſolitus eſt liberatus ex
toto animo gratias Deo agere, pro præſtito auxilio. Manat
autem hęc ſolita inuocatio Dauidis ab axiomate ſcripturæ
infallibili, videlicet, Omnis qui inuocauerit nomẽ Domini
ſaluus erit. *Iohel.* 2. Quod quidem axioma extructum eſt ex
promiſſione addita primo præcepto, quæ vt in Chriſto rata
eſt, ita fidem in Chriſtum requirit. nam omnes promiſsio-
nes in Chriſto Ieſu ſunt *etiam* & *Amen*. 1. *Cor*. 1. hæc eſt, om-
nes promiſſiones in Chriſto qui pro nobis legem impleuit,
ſunt ratæ & firmæ iis omnibus qui in Chriſtum, qui eſt fi-
nis legis in iuſtitiam omni credenti credunt.

Hic obſeruemus tria coniungenda eſſe ſemper in vera in
uocatione, videlicet, gratiarum actionem pro acceptis bene
ficiis, inuocationem qua petimus beneficia noua, & fiduciã
impetrationis eius quod petimus. Eſt enim vox conſtantis
fidei, *& ab inimicis meis ſaluus ero*: Vt ergo Dauid fiducia Meſ-
ſiæ Deum laudat & inuocat, & ſtatuit ſe exauditum iri iux
ta promiſſionem Dei qui mentiri neſcit: ita nos Exemplo
Dauidis gratias agamus Deo pro acceptis beneficiis, viua in
Chriſtum fiducia Deum inuocemus, nõ dubitantes nos ex-
auditum iri, modo vere in noſtram ſalutem, & in gloriã Dei
cedat quod petimus. nam nec ipſe noxia dabit cũ ſit pater,
nec nos quæ non vergant in Dei gloriam petemus ſi ſimus
filij: In ſumma hic notetur quod vera victoria ſuper hoſti-
bus noſtris, in vera inuocatione nominis diuini ſita ſit.

Circumdederũt me Funes mortis, & torrentes Belial terrebant me.

IN quantis fuerit pericu
lis Dauid, e quibus diui-
na ope euaſerit, grauiſsi-
mis figuris pingit, primũ
enim cum dicit, ſe circundatũ funibus mortis fuiſſe, ſignifi-
cat ſe aliquando ita ab hoſtibus ſuis circumſeptum tanquã
funibus ſeu vinculis eſſet conſtrictus, iam iam ad mortẽ du-
cendus, non ſecus atq; fera quæ cum funibus venatorum cir

cundata nullum habet euadẽdi locũ, necesse est vt capiatur.
Est autem duplex in hoc versu in voce *mortis* prosopopæia. Nam mors tanquam violentus hostis seu carnifex introducitur. In voce *funiũ* est metaphora, omne enim quo mors tanquam violentus hostis ad se homines pertrahit, funium vocabulo significatur, cuius generis sunt morbi, dolores animi vehementissimi, qui homines haud raro enecant. Item consilia, & insidiæ hostium. Item persecutiones & irruptiones, quales multas Dauid expertus est.

Deinde cum dicit, *torrentes Belial terrebant me*, sensus huius dicti intelligetur, si integra comparatio proponatur hoc modo: Quemadmodum torrentes subito cõcitati obruunt homines vt nõ pateat illis euadẽdi locus, ita homines Belial .i. veteratoris seu scelesti homines (videtur enim aliquẽ ex suis præcipuis hostibus notare qualis Saul fuit) peruersi me aliquando obruere conati sunt, qui etiã me subito perdidissent, nisi Dominus fuisset mecum: hoc expressius habet *Psa.* 124. vbi sic legimus. Cum incenderetur furor eorum in nos tunc aqua absorbuisset nos, torrens transisset super animã nostram: tunc transissent super animam nostram aquæ nimis valde. Hic quilibet pius cogitet de suis periculis a quibus pręter expectationem hominum diuinitus est liberatus & dicat corde & ore cum Dauide, Benedictus Dominus qui non dedit nos in prædam dentibus eorum.

Funes inferni circumdederunt me, laquei mortis præuenerunt me.

EAndem sententiam repetit, vt magis cor ipsius accendatur in laudes Dei, dicit enim se in tantis doloribus constitutũ fuisse, qui ipsum tanquam funes in sepulchrum traherent. Vtitur autem hic cõparatione duplici, priore à feris, posteriore ab auibus sumitur. Vt enim funes venatoris in foueis tenduntur occulti, vt non videantur a feris quibus capiendis destinantur: Et vt laquei aucupis in tercipiendis auibus panduntur, ita inimici mei posuere mi hi insidias, vt me captum trucidarent. Hoc sic explicat *Psal.* 124. Anima nostra sicut auis erepta est de laqueo aucupis: laqueus contritus est & nos liberati sumus. His figuris pingitur rabies & conatus hostium Ecclesiæ, sed adiutorium eius vt Dauid canit, in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram.

In an-

In angustia mea inuocaui Jehouah, & ad Deum meum clamaui, & exaudiuit de templo suo vocem meam, & clamor meus cora eo, introiuit in aures eius.

RVrsus exponit Dauid quid fecerit in suis angustiis, & quid illi acciderit. Pressus aduersis inuocauit Iehouah, & inuocās exauditus, & liberatus est. Hoc quidem ideo toties inculcat, vt nos suo exemplo ad imitationem inuitet.

Si hunc versum retexere placuerit inueniemus in eo, plerasq; omnes pię precationis circunstantias, quę tametsi piis notæ sunt tamen eas cum Dauide repetere non pigebit.

Primo loco fit mentio causæ impulsiuæ, videlicet, necessitas ipsa, hoc est, angustia & afflictio quæ hominem ad precandum impellit. Hic iuxta cogitandæ sunt afflictionis duę causæ, videlicet, iudicium & misericordia Dei. Iudiciū Dei est secundū veritatem. Quare neminē sinit Deus affligi ordinario, nisi qui pœnā meritus est. Qui ergo affligitur quouis modo, rationem actæ vitæ expendat. Misericordia Dei est, quod non sinat te ruere de peccato in peccatum sine castigatione: omnem enim filium quē recipit, flagellat. *Hebr.* 12.

Secundo. Quis sit inuocandus monet, cum ait: *Inuocaui Iehouah*: hic enim solus vt videt gemitus cordis, ita nouit modum & tempus iuuandi inuocantes.

Tertio cum dicit, *ad Deum meum clamaui*, requirit fidem, nam fides sola Deum vniuersorum suum Deum facit: Verū quia fides non potest esse sine verbo, hoc est sine mandato Dei, & sine promissione, & promissio nulla est rata nisi in Christo hæc omnia fidei nomine continentur.

Quarto, templi mentionem facit, cum ait, *exaudiuit de templo suo*: significat quod eos inuocātes velit Deus exaudire, qui sunt in eius templo: hoc est, eos qui sunt membra Ecclesiæ qui custodiunt pactum eius, qui verbum Dei audiunt, qui ipsum Deum agnoscunt, & ex fide eius pendent.

Quinto proponitur effectus piæ inuocationis, videlicet, impetratio eius quod petitur, *& clamor meus introiuit in aures eius*. De clamore precantis, & auribus Dei audientis, supra aliquoties dictum est, clamor est cordis pręcipue, aures tribuuntur Deo per Anthropopathian, sunt enim symbola diuinæ exauditionis.

Secunda Pars Psalmi.

Prima pars huius Psalmi vt supra audiuimus, est gratiarum actio: & in genere ostendit, quomodo Deus Dauidem ex variis angustiis liberauerit. Secunda Pars, quasi quædã generis distributio est in suas partes, quam partem nos vt promisimus Lutherum sequuti, in quatuor ordines distribuemus.

Primus Ordo.

7. *Tum commota est & contremuit terra, & fundamenta montium mouerunt se, mouerunt se quoniam iratus erat.*

8. *Ascendit fumus ex ore eius, & ignis ex ore eius consumpsit, carbones succensi sunt ab eo.*

9. *Et inclinauit cœlos, & descendit: & caligo sub pedibus eius.*

10. *Et equitauit super Cherub, & volauit: volauit super pennas venti.*

11. *Posuit tenebras latibulũ suum, in circuitu eius tabernaculum eius, tenebrositas aquarũ nubes ætherũ.*

12. *Præ fulgore coram*

HÆc pars pluribus figuris & ornamentis est plena, & potissimum hyperbole, quæ figura amplitudini rerum de quibus est oratio, seruit. Summa autem sententiæ huius partis est, quod Deus sit vltor hostium suorum potentissimus, & defensor eorum qui se suæ fidei committunt, vt in Saule, & Dauide cernere est. Saulem enim hostem suum & serui sui Dauidis potenter prostrauit. Dauidem autem suum seruum eripuit, & extulit. Similem expectent exitum reliqui tum hostes, tum amici Dei: hostes quidem tristem cum Saule, amici vero lætum cum Dauide. Nunc versus huius partis ordine expli-

cemus

eo, nubes eius transierunt, grando & carbones ignis.

13 *Et tonauit in cœlis Iehouah, altißimus dedit vocem suam.*

14. *Et misit sagittas suas & confregit eos, & fulgura fecit & perdidit eos.*

15. *Et apparuerunt profunda aquarum, & discooperta sunt fundamenta orbis, propter increpationem tuam o Iehoua, propter flatum venti iræ tuæ.*

16. *Misit de excelso & suscepit me, & eduxit me de aquis multis.*

cemus.

Commota est, inquit, Descriptio est terræ *& contremuit terra.* motus, quo impetus & vis iræ diuinæ minime expectata in hostes Ecclesię exprimitur & amplificatur quasi dicat: Quẽadmodũ Terræmotus obruit homines, iumenta, & quæuis obuia, ita subito ira Dei hostes Ecclesiæ ex inopinato euertit. Est autem terræmotus tremor terræ & concussio in qua fundamenta, id est, bases montium commouentur, valles eleuantur, & venæ terræ apertæ vim aquarũ effundunt copiosissimam, quæ hominibus & aliis animalibus inopinatum adfert interitum. Cum autem additur, *Quoniam iratus erat*, ostendit terræmotum esse signum pœnarum diuinitus hominibus impendentium. Sit sane verum quod Physici scribunt de causis terræmotus, videlicet, quod eius causæ sint habitus in visceribus terræ instar spongiæ cauernosis inclusi, qui dum erumpere conantur, fit tremor terræ. Tamen quia hic Dauid aliam causam ponit, nempe iram Dei minantis hominibus subitum interitum nisi resipiscant, statuamus terræmotum non fieri solummodo vi naturæ, & per accidens, sed habere causam iustißimam, Dei iram, vt modo diximus.

Cum autem audiuimus maximum terræmotum in Vngaria extitisse, cum tonitru 19. Maij huius anni Millesimi, quingentesimi, septuagesimi octaui, qui multis millibus hominum subitũ interitũ attulit, nõ dubitemus imminere grauissimas pœnas orbi terrarũ. Neq; est quod quisquã nõ putet ad se pertinere istũ terræmotum quia nõ contigit in nostra terra. Nã terręmotus tẽpestates, horrẽda tonitrua,

& alia irę Dei signa, etsi in alio loco fiunt, vel remotissimo, tamen ad omnes eos admonendos, ad quos eorum fama peruenit, pertinent. Sic de cometis etiam sentiendum est, quod sint veluti præcones qui hortantur homines ad resipiscentiam, nisi malint in suis peccatis perire.

Ascẽdit fumus ex ore eius & ignis ex ore eius consumpsit, carbones succensi sunt ab eo. Hypotyposis est hyperbolica, qua nihil aliud significatur, quã Deũ iram suam testari horrendis tẽpestatibus, fulgure, & fulminibus. *Fumum*, intelligit nubes quibus cœlum obscuratur tanquam fumo.

Et ignis ex ore eius consumpsit: id est fulgura quæuis obuia perdiderunt quæ omnia circumquaque deuorarẽt. Sciamus ergo vtrumque & Deum esse authorem tempestatũ, & easdem esse iræ Dei certissima testimonia.

Et inclinauit cælos, & descendit, & caligo sub pedibus eius. Similis est superiori hypotyposis hyperbolica. Nam Deus reuera nec ascendit nec descendit cum sit vbique: Sed sic visum est Spiritui sancto loqui, vt se captui nostro accõmodaret. Hac ergo formula loquendi commendatur nobis prouidentia Dei, cum ad tuendum bonos, tum ad vlciscendum improbos. Sic in *Genesi cap.* 11. scriptum est, descendisse de cœlo Dominum vt inspiceret vrbem & turrim quam ædificabant homines stulti & arrogantes. Et in *Exod. cap.* 19. Dominus, ait Moses, descendit supra montem Sinai. Et *Esaiæ* 64. Dominus descendisse dicitur.

Et equitauit super Cherub & volauit, volauit super pennas ventorum. Hic eadem figura vtitur qua superius, inducit Deum equitem equitãtem super Cherub, id est, super nubem: sunt enim nubes veluti alæ Dei ideo additur interpretatio, *& super pennas ventorum.* Qua loquutione significat Dauid, quod Dominus velocissime & hostes perdere, & suis auxilium afferre posit. Quod Deum inquit Flaminius volantem inducit, alisque ventorum & pennigeris alitibus insidentẽ, idque quidem incredibilem diuinæ mentis celeritatem indicat, id est vim omnia penetrãtẽ, vim vbiq; pręsentẽ, & omnia cęlo, terra, marique perlustrantẽ. Nemo ergo existimet Deũ procul abesse, sed vbique præsentem ad tutandos bonos, & puniendos malos.

Posuit

Posuit tenebras latibulum suum in circuitibus eius tabernaculum eius, tenebrositas aquarum nubes cœlorum.

HOc est latuit Dominus sub tenebris & tenebrosæ nubes fuere tabernaculum eius. Hac loquutione significat quomodo Deus sit affectus aduersus hostes Ecclesiæ inemendabiles, videlicet quod non velit eos respicere, aut illis opem ferre: perinde atque rex quispiam populo infensus in latebras se abdit, ne illis sit compellandi eius facultas. Hoc Sauli accidit, postquam Dominus eũ tanquã inemendabilẽ abiecisset, cuius exemplum nos admoneat ne contra conscientiã peccãtes prouocemus iram Dei aduersus nos, donec nos plane abiiciat, & tãquam latebras quęrat ne sit nobis ad eum accessus. Horrendum est inquit Apostolus *Heb.*12. incidere in manus Dei viuentis.

Præ fulgore coram ipso nubes eius pertransierunt, grando, & carbones ignis.

ID est, præ splendore fulgurum micantium obscuritas nebularum desoluebatur. *Carbones ignis* vocat ignita fulmina quæ a facie Dei prodierunt ad terrendos & necandos hostes Dauidis. Theodoretus autem sic. Quemadmodum nubium coactione tenebrosus factus aer, fulguris splendorem emittit, eodem modo cum vniuersorum Deus videri minime possit, emittit radios arcanæ lucis, & in eos qui malitiæ assueti sunt, pœnali igne animaduertit. Hic obiter discrimen teneatur inter hæc vocabula, fulgur, fulgor, fulgetrum, fulmen. *Fulgur* dicitur cum ignis tantum ostenditur: *Fulgor* est splendor ipse. *Fulgetrum* est vibratio luminis quod cernitur antequam tonitru audiatur: *Fulmen* est ipsum telum.

Et tonauit Iehoua in cœlis, altissimus dedit vocem suam.

HIc notetur tonitrua non solummodo vi naturæ fieri, sed potius Dei potentia: ideo hic pronuntiat tonitru esse altissimi vocem, quam edit ad torrendos impios, quibus & pœnas minatur.

Et misit sagittas suas, &

BIs idem repetit, vocat fulgura sagittas Dei,

fregit eos: & fulgura iecit, & perdidit eos.

Et apparuerunt profunda aquarum, & discooperta sunt fundamenta orbis propter increpationem tuam o Iehoua, propter flatum venti iræ tuæ.

quas ipse iaculatur in hostes suos, vt eos perdat.

Repetit quod supra dixit in septimo versu de terræmotu, quod supra vocauit fundamenta montium, hic orbis fundamenta nominat: Profunda aquarum vocat Abyssos, quæ in magnis tempestatibus quodammodo apparent dum aquæ vi ventorum in altum feruntur: Causam adiungit vt supra, videlicet iram Dei minantis pœnas suis hostibus. Vnde colligitur horrendas & inusitatas tempestates, cum iræ diuinæ, tum imminentium pœnarum propter peccata signa esse.

Misit de excelso & suscepit me, eduxit me de aquis multis.

EFfectus potentiæ diuinæ, quam hactenus copiose descripsit, se enim seruatum diuinitus, & liberatum e maximis periculis canit: Respicit autem ad historiam Mosis, qui expositus erat submergendus: quem filia Pharaonis descendens de suo palatio liberauit Si comparationem compleueris hæc erit eius sententia: Quemadmodum Moses mirabiliter liberatus est Dei potentia, per filiam Pharaonis cum in aquis perdendus erat proiectus, ita & ego e præsentissimo mortis periculo prouidentia diuina euasi. Notetur ergo hoc loco imago Ecclesiæ, & membrorum eius omnium temporum: Nonne si hodie respicimus statum Ecclesiæ, Ecclesia est persimilis Mosi iactato in mari in arca iuncea, sed idem Deus qui Mosen præter omnium expectationem clementer liberauit, etiam hodie Ecclesiam luctantem in mediis procellis persequutionum potenter liberat?

Secundus Ordo.

Quomodo David a vicinis hostibus (ita enim Lutherus

Lutherus hunc Psalmum distinguit vt supra diximus) sit liberatus ab hoc loco vsque ad 34. versum exponit. Quoniam autem plures sunt versus huius ordinis, singulos seorsim cum breui annotatione, vt textus intelligatur, subijciemus.

17. *Eripuit me ab inimicis meis fortissimis, ab iis qui oderunt me, quoniam fortiores erant.*

POstquam multis exhaustis laboribus Dauid, euectus est ad regnũ, a vicinis gentibus & populis impugnatur. Illa enim est sors piorum in hac vita, & vna difficultate depulsa, mox se alia offerat, vsque adeo verum est quod Paulus ait: Omnes qui volunt pie viuere in Christo, persequutionem patientur. Et Prosper scribit,

Nunquam bella bonis, nunquam discrimina desunt,
Et quo cum certet mens pia semper habet.

Cum igitur hæc sit sanctorum sors, vigilemus & oremus, & fortiter pugnemus contra hostes nostros domesticos, vt in Christo Iesu reportemus victoriam, qui est fortior omnibus hostibus, & omnibus peccatis nostris, vt est in Psalmo 93. Fortis est sonitus aquarum multarum, & fluctuum maris, at fortior in excelso Iehouah.

18. *Præoccupauerunt me in die contritionis meæ, & fuit* IEHOVA *baculus mihi.*

HOc est, irruerunt in me incautum & nihil tale cogitantem, meque oppressissent magna calamitate, nisi Dominus mihi instar baculi fuisset, ipse enim me sustentauit. In huiusmodi periculis constituta est Ecclesia, præsertim pii Doctores & gubernatores. nam omnibus temporibus Satanas in suis membris insidiatur Ecclesiæ, in doctrina, in moribus, & in vita: nam vt Sanctos e medio tollat perpetuo incumbit.

19. *Et eduxit me in latitudinem, quoniam complacuit sibi in me.*

HOc est, me cum in angustũ redactus essem, ita vt nullus appareret euadendi locus, in latitudi-

nem eduxit, id est depulsa omni animi tristitia perfudit me gaudio, quod animum laxare ac dilatare solet. Ratio subiungitur. *Quoniam sibi complacuit in me.* id est, quia me paterno amore complexus est. Non hic nititur Dauid merito & sua dignitate, sed paterna Dei beneuolentia, qua Deus pater complectitur omnes timentes se, & seruantes pactum suum.

20. *Retribuit mihi Iehoua secundum iusticiam: secundum puritatem manuum mearum retribuit mihi.*

PVrgat se a criminationibus vicinarum gentium, quæ Dauidem mentiebantur per fraudem regnum rapuisse veris hæredibus exclusis: prouocat igitur ad testimonium Dei qui solus iudex conscientiæ est: Neque enim Dauid hic sua iustitia & puritate manuum cur diuinitus sit defensus nititur. Sed crimen obiecti diluit. Hic monemur piorum officium esse ita cum omnibus agere, vt illæsa maneat conscientia: puritas manuum innocentiæ & bonæ conscientiæ est signum, vt enim puræ manus non contaminant quicquid attingunt, & contra manus contaminatæ quod attingunt polluunt, ita conscientia pura opus mundum, impura opus immundum facit

21. *Quia custodiui vias tuas, Jehoua, nec impie egi a Deo meo.*

22. *Quoniã omnia iudicia eius in cõspectu eius & meo: & statuta ei⁹ nõ repuli a me.*

23. *Et ero integer ab eo, & custodiam me ab impietate mea.*

24. *Et reddidit mihi Iehoua secundum iustitiam meam, & secundum puritatem manuũ mearũ in*

RAtio liberationis a more Dei, quæ sic accommodabitur, Deus solet iuxta suas promissiones præmia obedientibus largiri. Ego illi obediui, reddet ergo mihi pręmiũ. Verba horũ versuũ quorum alia præterita, alia futura sunt, non tam temporis circunstantiam quã habitum seu morem significant. Obserua Antithesin in 21. versu: opponuntur enim hæc duo, obseruare

vias

conspectu oculorum eius. vias Domini & improbe a Deo per incredulitatẽ deficere, vnde colligendum est, vt quemadmodum obseruatio viarum seu mandatorum Dei, est studium quo quis se Deo & plene committit, & proximo penitus addicit, in cuius salutem omnia sua dicta & facta dirigit: ita a Deo deficere impie putandus est qui hoc studium abiicit, vel remittit. Hinc ergo discamus qualenam propositum eorum esse oporteat, qui sine querela & bona conscientia viuere decreuerunt. Sæpe iam dictum est, quod quoties Dauid meminit suæ iustitiæ & puritatis, non loquatur simpliciter, sed respectu hostium suorum, qui causam Dauidis iniustam fuisse criminabantur: quorum criminationem a se remouet, prouocans ad tribunal Dei. Nam cum addit, *in conspectu oculorum eius*, significat hanc suam orationem non esse simulatam, aut fictam, sed a sincero & integro corde proficisci.

25. *Cum sancto sanctus eris, & cum innocente innocens eris.* Rationis propositio maior, seu translatio hypothesis ad Thesin, vt quod de se dixerat, toti Ecclesiæ accommodet: Est autem propositionis huius sensus, Deus iuxta suas promissiones piis & integris, est pius & integer, mihi igitur qui studeo pietati & integritati benefacit, atque me tuetur. Notum est promissiones legales ratas esse in Christo Iesu, hoc est, omnibus firmas esse qui fide sunt iustificati: habent enim illi quod lex requirit, nempe iustitiam.

26. *Cum electo electus eris, & cum peruerso peruersus eris.* Prior pars huius versus congruit cum præcedente versu, *cum electo*, id est, pio, sancto, & segregato a prophanitate mundi probitatis præmia largiris: Posterior est prioris Anthitesis, videlicet quod Deus improbos iuxta suas comminationes puniat, nam cum dicit, *Cum peruerso peruersus eris*: sensus est, peruersis suæ peruersitatis præmia dabit. Non est enim sensus quod habitu talis est Deus, qualis est peruersus, sed ad effectum & sensum referendum est.

Obseruetur hic duo, *Primum* quod electus & peruersus op

ponũtur. Cũ ergo peruersus significat eũ qui deflectit a fide, & peruerse agit: Electus erit absque omni dubio, qui ex fide recte agit. Deũque sincere colit. Hinc Petrus Ecclesiã collectã ex gentibus genus electũ, hoc est, vt ipse interpretatur, gentẽ sanctã vocat, 1. *Pet* 2. Christus *Matt* 20. opponit electũ murmurãti ob æqualẽ mercedẽ datã laborantibus in vinea: & 22 opponit electũ non habenti vestẽ nuptialẽ. i. fidem & sanctitatem. Vnde manifeste colligitur quod electu sit & dicatur in scripturis, qui suis meritis nihil tribuens, fide & sanctitate præditus est: huc pertinet dictum Domini, Multi sunt vocati, pauci vero electi. *Alterum* hoc loco obseruãdũ, est fortissima refutatio Stoicæ necessitatis, de futuris cõtingẽtibus, hic enim Dauid, & bonos & malos euentus ad promissiones & cõminationes Dei manifeste reuocat, nõ ad fatalẽ necessitatẽ. Vnde monemur timoris Dei, & erudimur quod quicquid nobis boni accidit, ex promissione Dei in Christo depẽdeat. Et cõtra quod quicquid mali nobis cõtingit, nostris peccatis imputandũ sit. Timeamus ergo Deum, faciamus officia vocationis, retinentes fidẽ & bonã conscientiã, quod si fecerimus, nõ dubitemus Deũ iuxta suas promissiones nobis benefacturum. Contra vero si male fecerimus, expectemus iudicium.

27. *Quoniam tu populum afflictũ saluabis, & oculos sublimes humiliabis.*

28. *Quoniam tu illuminabis lucernam meam, Iehouah Deus meus illustrabis tenebras meas.*

Confirmantur quæ dixit in 25. & 26. versib. nẽpe quod Deus piis & sinceris benefaciat, impiis autẽ & peruersis pœnas infligat, vt *afflictum populum* vocat eos, qui iniuria immerito afficiuntur: ita oculos sublimes & fastuosos, arroganter de se sentiẽtes, Metonymicωs appellat. Porro The sin priorem, videlicet, 27. versu accommodat sibi suoque populo vers. 28. vt per lucem hoc loco opẽ sibi diuinitus latã, ita per tenebras depulsas hostes, suos prostratos & victos intelligit. Notetur quod vt Deus humilibus opem ferre, ita superbos & hostes suos humiliare soleat. Vnde nos moniti humiliemur, sub potenti manu Dei ac timeamus.

29. *Quoniam per te in-*

Explicat salutem quã sibi a Domino datam

fringam aciem, & per Deũ meum transiliam murum. | dixera (ponũtur enim hic futura pro præteritis) ac primum se victorem euasisse diuina ope fatetur. Gestu enim infringentis aciem & trãseuntis murum, per Metalepsin significatur victoria.

30. *Ipsius Dei integra est via, eloquium Iehouæ igne purgatum est, clypeus est omnibus sperantibus in eo.* | PRædicat Deum ob cõstantiam ipsius in seruandis promissionibus: Viam Dei integram pronunciat, hoc est, Omnia Dei opera syncera, & promissionibus & cõminationibus cõsertaesse testatur. Promissiones autem Dei propter earũ constãtiam & veritatẽ auro igni purgato comparat. Quare significatur puritas & constantia Dei in seruãdis promissis. Huc apponitur vnũ ex præcipuis axiomatis scripturæ, videlicet, quod Dominus sit clypeus, i. defensor omnibus sperantibus in eum, idque facit vt se tanquam vniuersalis regulæ exemplum statuat, quo alios ad imitationem inuitat. Notetur vniuersalem esse promissionem salutis, quæ fide est accipienda & accommodanda singulis.

31. *Quoniã quis Deus præter Iehouã? & quis fortis præter Deum nostrum?* | VT Deũ pronunciauit in superiori versu esse clypeũ omnibus confidentibus in eo, ita in hoc versu testatur non esse aliunde salutis fiduciam. Non enim sunt præter Deum qui saluare possunt ad se confugientes. Viderint ergo Papistæ quid faciant, qui tot sibi fingunt tutelares Deos. Exclamatio cum interrogatione orationi pondus addit, vt certo nobis persuadeamus nullam esse sperandam salutem, nisi a solo Iehoua Deo nostro.

Notetur & hic clarum testimonium de vnitate Dei, quod congruit cũ illo. *Deut.* 5. Audi Israel, Iehoua Deus noster, Iehoua vnus est, vtrobique significatur, & vnitas diuinæ essentiæ, & trinitas personarum, illud quidem perspicue & clare, hoc vero obscurius, quod plenissime in nouo testamento reuelatum est.

32. *Deus ipse præcinxit me virtute, & posuit imma* | HOc declarãdi causa apposuit, Deus (inquit) præcinxit me virtute he-

culatam vitam meam.

33. *Posuit pedes meos tanquam ceruorum, & super excelsa mea statuit me.*

34. *Docet manus meas ad prælium, & confractus est brachiis meis arcus æneus.*

roica. Est autem virtus Heroica donum Dei extraordinariū, quod in aliqua re cum admiratione supra communem hominum sortem excellit ad aliquid præclare in Ecclesia, vel in politia efficiendum. Cum ergo Dauid dicit *præcinxit me virtute*, sensus est, robustum me fecit, & celerem ad persequendum hostes: Vt enim se ceruo, ita hostes suos venatoribus & canibus comparat, idqua ad significandam rabiem hostium Ecclesiæ pertinet. per confractum æneum arcum, per Matalepsin significatur victoria de hostibus.

Tertius Ordo.

Hactenus de Saule victo, & vicinis Gentibus subactis, nunc sequitur Tertius ordo de incendio domestico excitato ab Absolone, quod extinctum atque diuinitus oppressum esse canit.

35. *Et dedisti mihi scutum salutis tuæ, & Dextera tua confortauit me, & benignitas tua auxit me.*

QVod vicerit tandem Absolonem, & eius complices soli Deo ascribit, primum dicit.

Dedisti mihi scutum salutis tuæ. i. fuisti mihi loco scuti sub quo tutus erā in bello aduersus Absolonē filiū. Deinde addit, *Dextera tua confortauit me*. i. tua virtute inuictus sum factus. Est autem dextera Dei potentia Dei quæ in gubernatione mundi & Ecclesiæ cernitur: hac regnat, hac omnia gubernat, hac hostes suos prosternit, hac amicos tuetur, hac armat pios vt inuicti persistant aduersus mūdum & Diabolum. *Tertio*, apponit *benignitas tua seu mansuetudo*, id est, bonitas tua auxit me, id est, conuertisti animos militum ad me & effecisti vt plures me sequerētur. Hæc copia eo pertinet, vt nihil salutis sibi aliunde accessisse testetur, quam a solo Deo. Huius exemplum & nos imitemur.

36. *Dilatasti*

36. *Dilatasti gressum meum subter me, ne vacillent vestigia mea.*

ALia verborum figura idem repetit, dicit se manu Dei sustentatum e periculis euasisse: Dilatatio gressuum primum significat inoffensum iter, deinde per metalepsin secundum rerum successum.

37. *Persequar omnes inimicos meos, & comprehendam illos, non reuertero donec atriuero eos.*

38. *Percutiam eos & nõ poterunt surgere, cadent super pedes meos.*

39. *Et præcinxisti me fortitudine, vel virtute ad prælium, incuruabis insurgentes in me subtus me.*

40. *Et inimicorũ meorum dedisti mihi tergum, & odientes me disperdam.*

41. *Vociferabuntur, & non erit saluator ad Iehouã, & non respondebit eis.*

42. *Et comminuam eos veluti puluerem ante faciẽ venti, veluti lutum platearum attenuabo eos.*

HIs versibus (in quibus futura pro præteritis ponuntur) hostium suorum deiectionem & interitum canit admodum graphice, idque eo ordine quo res solet in bello geri. *Primum* enim dicit se persequuturum (est autem enallage temporis, ponit enim futurum pro præterito) hostes suos, & comprætensurum, nec cessaturum priusquam eos deleuerit. *Deinde*, indicat quã fuerit imbecillis ipse ad resistendum. *Tertio*, virtutem qua id effecit a Domino fuisse perfectam agnoscit. Nam a Domino suos hostes prosterni, diserte tis fatetur verbis. *Quarto*, fugientes hostes describit, *inimicorum*, inquit, *meorum dorsum mihi dedisti*, id est, fecisti illos retrorsum ire, vt persequerer eos post tergum vsque ad eorum interitũ. *Quinto*, pereuntium clamores frustraneos describit. *Sexto*, interitum eorum canit, adhibita duplici similitudine, *Vna* qua cõferuntur hostes Dauidis pulueri, & ipse Dauid vento: vt enim puluerem ventus facile in altum tollit: ita Dauid suos hostes facile in fugam conuertit, ita tamen vt suas manus effugere non potuerint. *Altera*, qua conferuntur hostes Dauidis luto, & ipse homini conuertenti lutum in cumulum. Vt enim

ex luto platearum fit cumulus terræ, ita Dauid ex hostium suorum cadaueribus cumulum fecit: hæc omnia docent quod Ecclesia tandem suorum hostium euasura sit victrix.

Quartus Ordo.

Quartus ordo sequitur, in quo Dauid exponit quomodo sit ab intestinis & domesticis hostibus diuina ope liberatus, & quia Dauid typus Christi erat, quæ hic narrantur mystice Christo & eius hostibus, Iudæis, Tyrannis & hæreticis, & falsis Christianis accommodari possunt, rectissime. Inter quæ etiam quædam sunt quæ verius Christo, quam Dauidi tribuuntur. iam versus huius ordinis sigillatim explicemus.

43. *Eripies me de contentionibus populi, pones me in caput Gentium, populus quem non cognoui, seruiet mihi.*

HIc si typum respicis & rem gestam, futura pro præteritis ponuntur, & est sensus non solū me eripuisti a seditiosis subditis, verumetiam multas gentes mihi subiecisti, & multi quos non noueram, subiecti sunt meo imperio. At si Antitipon nempe Christum consideras, vaticinium est de regno Christi, quod ipse erat inter gentes habiturus. Hæc illustrentur Psalmo 2. vaticinio Simeonis, & Euangelicâ historia seu euentu. Praxis fidei sita est in cogitatione victoriæ Christi, per quem & nos victores erimus, modo in fide firmi perstiterimus. Obseruetur & hoc loco exemplum crucis in vocatione & gloriosæ liberationis.

44. *Ad auditum auris obedient mihi, & filij alienigenæ mentientur mihi.*

AVtoritas regia per effectum describitur, quidam vt probi imperata faciunt: alii præ timore mentiuntur se mihi non fuisse aduersatos, nec contra me arma mouisse. Hac autoritate Dominus armat magistratum, alioqui ipsi præsertim seueriori nullus obedientiam debitā præstaret,

præstaret. Sunt autem tria quæ gubernatoribus maximam autoritatem cõciliant, sanctitas in pace, fortitudo in armis, vtrobique prudentia. Philippus alicubi dicit, autoritas seu maiestas principis constat tribus, videlicet, virtute, fœlicitate, & inclinatione animorum in populo.

45. *Filij alienigenæ defluent & timebunt ex penetralibus suis:*

HOc est, Qui mihi aduersabuntur, despondebunt animum tandem, & in suis munitionibus non amplius fiduciam ponent. Significatur hac loquutione, quod hostes Ecclesiæ, sæpe diuinitus perterrefiant, & se in fugam turpem coniiciant, subito terrore perculsi. Monetur ergo Ecclesia vt in bello aduersus hostes suos ante omnia ad preces confugiat, Deumque precetur, vt ipse cum exercitibus suis in pugnam aduersus hostes procedat.

46. *Viuit* IEHOVA, *& benedictus propugnator meus, & exaltatus est Deus salutis meæ.*

SVperiora omnia in summam colligit in Conclusione Psalmi, in qua breuiter Deo acceptas refert omnes liberationes suas e variis periculis: vt nos doceat vt omnem successum fœlicem ad Deum authorem referamus: Ac proinde illum agnoscamus, confiteamur, ac celebremus, vt vnicum totius salutis nostræ authorem: Cum enim dicit, *Deus salutis meæ*, sensus est, Deus est qui solus mihi salutem præstat, idque per & propter mediatorem nostrum vnicum Iesum Christum. Quoties enim Deus in scripturis dicitur salutis Deus, respiciendum est ad promissum & exhibitum semen mulieris Iesum Christum, extra quem nulla est vera salus.

47. *Deus qui dat vindictas mihi, & subdidit populos sub me.*

48. *Qui eripuit me de inimicis meis: quin & ab insurgentibus in me exaltat*

HÆc breuis est repetitio eorum quæ præcesserunt de variis liberationibus Dauidis, vbi obseruandum est quod nihil plane suis viribus ascribat, & industriæ, sed Deo soli omnia tribuit,

me, à viro iniquitatis liberasti me.

quem inuocat & colit. Virum iniquitatis intellige vel Doech, vel Achitophel, vel Saul, vel collectiue simul omnes, eorumque similes, quorum caput est Diabolus omnis iniquitatis autor.

49. *Propterea confitebor tibi in Gentibus Iehoua, & nomini tuo canam.*

50. *Magnificans salutes regis sui, & faciens misericordiam Christo suo Dauid, & semini eius vsque in seculum.*

PRomissione gratitudinis & celebrationis Dei pro præstitis beneficiis claudit Psalmum, vt sciamus quod omnes liberationes Ecclesiæ (vt modo dixi) ad Deum celebrandum referendæ sint, vt in nobis excitent fiduciam, inuocationem, gratiarum actionem, in quibus præcipuus Dei cultus situs est, vt breuiter *Psalmo* 50 indicatur, cum dicitur, Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, & glorificabis me, &c.

Vsus Psalmi decimi octaui.

Vsus huius Psalmi (qui omnium Psalmorum quos scripsit Dauid postremus est) duplex est, primus, vt in eo Ecclesiæ omnium temporum, tanquam imaginem quandam contemplemur. semper enim versatur Ecclesia in periculis: subinde liberatur, & rursus affligitur. Cuius auxilium a solo Deo est, iuxta illam Ecclesię perpetuam vocem, Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram. Etsi enim Ecclesia in hoc mundo semper exposita est mille periculis, tamen Deus illam tandem gloriose est liberaturus vt ipsum liberatorem in omnem æternitatem celebret. Secundus, vt vnusquisque nostrum sua pericula cogitet, a quibus

diui-

diuinitus præter omnem ſuam expectationem ſit ereptus: hæc cogitatio excitabit in nobis, fidem, inuocationem, gratiarum actionem, & alet in nobis certam fiduciam, quod & nos tandem plene liberemur, ab omnibus malis, idque per Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM, cui cum patre, & Spiritu ſancto, ſit honor & gloria in omnem æternitatem. Amen.

PSALMVS DECIMVS NONVS.

Summa Pſalmi Decimi noni.

HIC Pſalmus admodum inſignis eſt: continet enim doctrinam de vera Dei notitia, & eius cultu, mõſtrat antẽ duplicem viam, qua homo in notitiã Dei recta deducitur: vna eſt natura diuinitus condita, altera eſt vox Dei in propheticis & Apoſtolicis ſcriptis patefacta: Et tametſi prior illa via ſatis monſtrat & Deum eſſe, & eundem fontem omnis boni, ex quo ſequitur eum a rationali creatura colendum eſſe, tamen poſtquam homo eſt lapſus, eſt & acies mentis in eo quantum ad diuina cognoſcenda attinet, hebetata, & cor ita obduratum peccandi conſuetudine vt Deum in ſuis creaturis, & artificem in ſuo opificio non agnoſcat, nec colat vt par eſt. Quare teſte Pau-

lo. homo excusabilis coram Deo non est, quin iure sit damnabilis, dum Deum nec agnoscit, nec colit, cuius Diuinitas & potentia in hac pulcherrima mundi fabrica quodammodo conspicitur: Rom. 1. Quoniam ergo sapientes huius mundi non agnouerunt Deum in sapientia sua, Deus ex sua bonitate & φιλανθρωπία monstrat aliam salutis adipiscendæ viam, nempe verbū seu legem IEHOVA quam immaculatam vocat, de qua infra dicemus. Porro hæc duplex via, videlicet, creatura & scriptura vnum & eundem scopum habent, nempe vt Deum agnoscamus, & agnitum colamus vt sic perseuerantes in vero Dei cultu, consequamur salutem, ad quam & conditi sumus primum & postea redempti, vtramque viam Dauid in hoc Psalmo coniungit, & seipsum statuit exemplum agnoscentis ex creaturis & scripturis Deum, eumque colentis. Mirum autem in modum hæc duplex via simul consideranda confirmat animos piorum, in vera Dei notitia & cultu, vt constanter abhorreant a phanaticis opinionibus, Diabolorum & hominum, qui cultum Dei veri, vel abolere prorsus, vel interturbare moliuntur. Huc pertinet dictum Epistolæ ad Hebræos: per fidem intelligimus aptata esse secula verbo Dei. Hic coniungit Apostolus vtrumque, videlicet creaturam (hic enim per secula ipsum totum vniuersum intelligit) & fidem verbi Dei: recte proinde dicitur, liber scripturæ facit vt Deum ex libro naturæ agnoscamus. Hæc proinde duo stant mutuis auxilijs, nam vtrumque alteri innititur, &, incumbit, & vtrumque & seorsim, vt simul est veluti schola celeberrima, in qua de Deo, eiusque vero cultu erudimur.

Ordo & diſpoſitio Pſalmi decimi noni.

Tres ſunt huius Pſalmi præcipuæ partes:

Prima, quæ abſoluitur ſex primis verſibus, eſt pulcherrima narratio variis figuris exornata, in qua Dauid luculenter exponit quomodo per creaturas in agnitionem Dei deuenimus, & ad cognoſcendum & celebrandum Deum agnitum imitamur. Hanc partem typum eſſe Eccleſiæ Paulus ad Roman. 10. teſtatur.

Secunda, continet Encomium verbi Dei, & veri Dei cultum a verſu ſeptimo, vſque ad vndecimum.

Tertia, vſq; ad finem Pſalmi paradigmatica eſt, nam Dauid ſeipſum exemplar ſtatuit omnibus piis, vt quemadmodum ipſe ex creatis rebus, & ex verbo diuinitus patefacto perductus eſt in cognitionem Dei, eiuſque amorem & cultum, ita & cæteri ipſius exemplo diſcant Deum cognoſcere, amare, timere, inuocare, glorificare. Eſt ergo hic Pſalmus mixti generis nā partim eſt dogmaticus, partim Encomiaſticus, partim precatorius, cuius ſi finem ſpectes totus didaſcalicus eſt.

EXEGESIS PSALMI DECIMI NONI CVM INDICATIONE doctrinarum.

NE sæpius eadē a nobis repetātur, statui in enarratione sequentiū Psalmorū non simul coniungere dictando versus singularum partium, vt hactenus fere fecimus, sed seorsim singulos versus partium notis numerorum distinctos interpretabimur: hoc enim indico cum mihi, tum auditoribus non fore incommodum.

PRIMA PARS.

1. *CÆli enarrant gloriam Dei, & opus manuū eius annunciat firmamentum.*

PRopositio est primæ partis, cuius sensus est exclusis figuris, in hoc cæli terręque opificio relucet gloria creatoris, hinc enim concluditur. 1. quod Deus sit. 2. quod sit vnus, & non plures. 3. quod hic Deus sit spiritualis essentia, sit potens, sapiens, bonus, immensus, alioqui nec vbique adesse posset, nec omnium rerum curam gerere. 4. quod sit a rationali creatura cognoscendus, colendus & glorificandus. Iam lumina orationis videamus. *Primum* per prosopopeiam, cælum preconem gloriæ seu maiestatis Dei facit, vt in Ambrosiano symbolo canitur: pleni sunt cęli & terra maiestatis gloriæ tuæ. Sed quomodo, inquies, cæli enarrant seu loquuntur gloriam Dei, cum nullam articulatam vocē edāt? Vocabulū *enarrandi* per Metonymiam ponitur cęli enim enarrare dicūtur gloriā Dei, quādo in cęli mirādo opificio cernitur quanta sit Dei gloria vnde homines ad glorificandū Deum inuitantur: in cælo siquidem maiestas Dei veluti in speculo refulget, dum videlicet opificem adeo

potentem

potentem, ſapientem, & bonum monſtrat.

Porro cum Dauid nobis huc proponat gloriam ſeu maieſtatem Dei contemplandam, viſum eſt pauca huc aſcribere de maieſtate Dei, vt aliquo modo intelligatur quid ſit. *Fundamentum maieſtatis Dei eſt*, cum ipſa Deitas & perſonarum in Deitate trinitas, cum ipſius potentia immenſa, qua primũ vſus eſt in rerum creatione, & adhuc vtitur in rerum ſuſtentatione & gubernatione, ſumma bonitas quæ ex vſu rerum depræhenditur, ſumma ſapientia quæ in ordine & diſpoſitione rerum conſpicitur. Amplitudo imperii quod nullis terminis clauditur, his adde, maxime admirandũ opus ſaluationis humani generis per filiũ in quo opere excellenter lucent ſumma iuſtitia, immenſa potentia, ſumma ſapiẽtia & miſericordia quæ iuxta Pſalmi 145. dictum, omnia opera Dei facile ſuperat. Hoc fundamẽtum maieſtatis diuinæ cogitemus præcipue in precibus noſtris, vt ſciamus hæc coniungenda eſſe in fundamento maieſtatis diuinæ, quotieſeius fit mentio in ſcriptura. *Terminus eſt*, vt hæc diuinitas perſonarum trinitas, potentia, bonitas, ſapientia, amplitudo imperii, opus ſaluationis a creaturis ſentiantur, agnoſcantur, & prædicentur cum ſumma ſubiectione, veneratione, & cultu. *Reſpectus* reciprocus fundamẽti & termini maieſtas dicitur, quæ appellatio a maiore dicitur, nam maximus honor meritiſſime ſapientiſsimo, iuſtiſſimo, optime merito, cuiuſque imperium latiſſime patet, debetur & redditur. De hac maieſtate Dei loquitur Pſalmus 72. qui in hunc modum clauditur: Benedictus Dominus Deus, Deus Iſrael, qui fecit mirabilia ſolus, Benedictũ nomen maieſtatis eius in ſeculũ, Replebitur maieſtate eius vniuerſa terra. Huius maieſtatis cogitatio quæ debet eſſe perpetua, excitet in nobis fidem, dilectionẽ, timorem, inuocationem, gratiarum actionem, confeſsionem, & celebrationem Dei. Confirmet etiã nos de diuinis promiſsis in Chriſto Ieſu, ſiquidem nulla creatura, imo nec omnes creaturæ ſimul poſſunt reſiſtere potentiæ maieſtatis Dei, quin tandem perficiat quod ſuis promiſerat.

Et opus manuum eius annunciat firmamentum. Ratio eſt cur cæli dicantur annunciare gloriam Dei ab effectu ſumpta, quia videlicet cœli ſunt opera manuum Dei: huc ſi adiicias propoſitionem, emergit hoc Argumentum: opera

manuum Dei gloriam Dei annunciāt. Cœli ſunt opera manuum Dei, igitur cœli annunciant gloriam Dei, eamque contemplandam oculis & mentibus ſubiiciunt. Firmamentum ſiquidem exhibet opera Dei, videlicet corpora cœleſtia, planetas & ſtellas contemplanda, in quibus gloria Dei veluti in ſpeculo refulget.

Differunt autem cœlum & firmamentum, vt continens & contentum: Firmamentum ſiquidem quod ſecundo die eſt conditum, Hebræis RACHIA, id eſt, expanſum, eſt totum illud quod expanditur vltra terram & mare vſque ad extrema cœlorum, quodque ambit terram & aquam, eaque intra ſe claudit: In hoc ſunt aër, æther, planetæ, ſtellæ, cum ſedibus beatorum. Hoc quia animaduerterunt homines firmiſsime perſeuerare, potentia Dei ſuffultum, latini firmamentum, Græci στερέωμα a ſua conſtantia & firmitudine nominauerunt. Cælum autem eſt opus illud Dei in ipſo firmamento admirabili arte fabrefactum, & ornatum planetis, ſtellis &c. Hoc opus dicitur manuum Dei per Antropopathiam: nam ipſe Deus ſola voluntate per verbum, ſeu ſuam ſapientiam omnia cōdidit, iuxta illud: *Dixit & facta ſunt. Pſ. 33.* Theologi ex ſcripturis tres cælos eſſe tradunt, horum primū aëriū nominant, a terra vſque ad orbem lunarem: Secundum ſtellarum dicitur, quod noſtris oculis ſubiicitur: Tertium, eſt magnificū illud palatiū Dei omnibus cælis viſibilibus ſuperius, quod Paulus lucem inacceſſam nominat, quā Deus inhabitat: In hoc cælum Dominus noſter aſcendens receptus eſt: In hoc cælum ſe raptum teſtatur Paulus: In hoc cælo Thronus maieſtatis Dei eſſe dicitur: De hoc cælo expectamus Dominum noſtrum venturum: In hoc cælum nos ſecum recipiet, vt cum illo beati viuamus in æternitatem. Hoc cælum intelligimus cum precantes dicimus, Pater noſter qui es in cælis. Item, fiat voluntas tua ſicut in cælo vt in terra. Et tametſi Deus cum ſit infinitus, vbique præſens eſt, tamen in cælo eſſe, illicque thronum habere dicitur, quia excellentiori modo illic ſuam gloriam & maieſtatem beatis Spiritibus & animabus manifeſtam reddit: hinc expectamus iuxta Pauli doctrinam, Dominum ſaluatorem, Dominū noſtrum Ieſum Chriſtum, vt iudicet viuos & mortuos, iuxta ſymbola ſanctorū.

Qui aliter de cælo iudicant contra manifestam scripturam & articulos fidei illos sibi sapere permittimus nos interim maneamus constantes in professione fidei Christianæ.

Porro cum hoc admirandum opificium Dei quod cæli ambitu continetur, quodque a suo ornatu, Latini mundum, Græci κόσμον vocant, sit Theatrum quoddam vniuersale in quo Deus quodammodo cõtemplandum proponit: vult Deus ex hoc suo opificio agnosci, quare & hominem conditum ad imaginẽ suam in medio huius Theatri, quod Paulus sapientiam Dei nominat collocauit, vt huius mundi opificii sit spectator non otiosus, sed vt agnoscat artificem, vnumque colat. Admonemur proinde vt magnifaciamus eam philosophiæ partem, quæ simul & motus cælestes naturasque rerum scrutatur, vt ex iis ratiocinatur sapientiam, potentiam, bonitatem, & prouidentiam opificicis, vt homines excitet ad agnitionem Dei. pietatem & cultum Dei. nã nisi hic finis huic præclaro operi præfigatur, vanus est reliquus labor, vt qui debito suo fine frustretur: ex quo fit vt multis in perniciem cedat.

Porro ne hic vllo errore implicemur, tres regulas tradã, quibus animos nostros regi in Philosophicis istis speculationibus vtile fuerit. *Prima* hoc omniũ primũ mẽtibus nostris sit infixum, quod hoc opus Dei aspectabile quod cælum & terram seu totum vniuersum nominamus, re vera initium cæperit, & a Deo conditum sit. Vt Moses cum vniuersa scriptura docet, vt Dauid hoc loco opus manuum Dei testatur. Hæc regula muniat animos nostros aduersus ingenitam materiam Platonis, vt aduersus falso iactatas demonstrationes Aristotelis de æternitate mundi, quibus homines vani seducti, a vero Deo aberrant. Nihil enim stultius est, quam ex legibus naturæ & creatione statuere, cum creatio naturam antecesserit. Deus enim naturam simul vt mundum condidit: Contra vero qui vere statuit hunc mundum Dei opus esse, plurimum voluptatis inde capit: Exẽplo Dauidis qui ait, Delectasti me Domine in factura tua & in operibus manuum tuarũ exultabo *Ps.* 91. Et Philo pulcherrime ait, Quisquis mundũ creatũ intelligit, non mediocre bonũ lucratus est, creatoris notitiam; hæc enim cito persuadet, vt creatura suum creatorem diligat. *Secunda*, Philosophia tota sit nobis veluti ancilla in familia Dei quæ retinẽda est

donec paret imperio reginæ suæ: verum si hoc Sophiæ cælesti se opposuerit, mox eam e familia Dei eiiciamus, quemadmodum Abraham Agarem ancillam se Saræ Dominæ familiæ opponentem de familia sua expulit. *Tertia*, videte ne quis vos decipiat per philosophiam & inanē fallaciam. Hęc regula Pauli est *Coloß.* 2. quæ opponenda est iis qui non contenti scripturis diuinitus patefactis, fingunt vberiorem rerum salutarium cognitionem petēdam esse ex philosophia, vt Postellus, & Cāpensis nostrā ętate garriebāt, & multis cōclusiunculis suis fallacibus imponebāt. Idem periculum metuendum est ab iis qui horoscopis & astris hominum prosperos & contrarios successus subiiciunt contra apertissima scripturæ testimonia. his enim quo magis quis credit, eo magis se a familia Dei subducit. Porro hac regula Pauli abutūtur scelerate qui ex ea contemptū Philosophię cōcludunt: quod nihil est aliud quam omnem rerū optimarū cognitionem, atq; in iis exercitationem (in his enim tota Philosophia posita est) contemnere. An non Paulus sæpissime philosophicis argumētis vtitur? Quid dicemus de Mose, Dauide, Solomone, qui cognitione Philosophię excelluerunt? Quæ est quęso hęc insania excludere homines a studio Philosophię cū nihil sit in natura quod nō suo quodā modo vestigia diuinitatis in se cōtineat, & imagines rerū spiritualiū nobis cōmendet. Huius rei exēpla multa suppeditāt parabolæ Christi, plurima homiliæ Macharii. Ascribam dictum Nazianzeni, cuius cupio studiosos meminisse, contra contemptores Philosophiæ. Non (inquit) contemnenda est doctrina liberalior, propterea quod hoc quibusdam faciendū videtur, sed praui atque ineruditi qui in ea sunt sententia, censendi sunt, qui alios omnes sibi similes esse velint, & in communi sui similium frequentia latere, vt inscientiæ suæ reprehensionem effugere valeant.

2. *Dies diei eructat sermonem, & nox nocti indicat scientiam.*

ALiud Argumentum glorię Dei sumptum a vicissitudine dierum & noctium constantissima. *Psalmo* 119. Ordinatione tua perseuerat dies, quoniam omnia tibi seruiunt: Nam quis diem diei comparat & noctē nocti, eorū vicissitudines certū ordinē, perpetuamque constantiam animaduertens, facile perspiciet tantorum operum

operum laudẽ fortunæ ac temeritati nõ esse tribuendũ sed vni Deo, qui hæc omnia summa sapientia moderatur atque conseruat. Quoties ergo mane surgimus, & vesperi cubitum imus, gloriã Dei prædicemus, qui sua sapiẽtia & bonitate, vicissitudinẽ dierũ & noctiũ moderatur & cõseruat, idque in hominũ potissimũ cõmodũ. Hic obseruemus vsum diei & noctis, eũque duplicẽ, videlicet externũ & spiritualẽ. *Externus vsus diei & noctis*, est vt seruiat vitæ humanæ in his terris trãsigendæ. Dies enim labori, nox quieti: si semper dies esset & nunquã nox, homines laboribus oppressi, viuere non possent. Cõtra si semper nox esset, homines desidia torpescerẽt: Deus igitur pro sua sapiẽtia diẽ & noctẽ moderatur. Vt dies nocti & nox diei cedat, vt isto modo & bestiis terræ & hominibus consulat, sicut pulcherrime canit Psalmus 104. Tu (inquit) ponis tenebras, & fit nox, in ipsa vagãtur omnes bestiæ syluæ, catuli leonum rugientes ad prædã, vt quærant a Deo escã sibi, oriẽte sole cõgregãtur, & in cubilibus suis cubãt: exit homo ad opus suũ, & ad laborẽ suũ, vsque ad vesperã. Quã magnifica sunt opera tua Domine, impleta est terra possessione tua. Meminerimus ergo nostri officii, exorsi diem a gratiarum actione, & inuocatione, interdiu laboremus, vnusquisque iuxta vocationis suæ rationem, nocte quiescamus, ac semper Deũ prædicemus, qui vicissitudinẽ dierũ & noctiũ certissimo cursu & ordine adeo benigne cõstituit nostræ vitæ ac commoditatibus consulens.

Spiritualis vsus est, quẽ Paulus docet, ad Ephesios 5. cũ ait, Eratis aliquando tenebrę, nũc autẽ lux in Domino vt filii lucis ambulate. *Rom.* 13. Nox præcessit, dies autẽ appropinquauit: abiiciamus igitur opera tenebrarum, & induamur arma lucis, tanquã in die honeste ambulemus. 1. *Thessal.* 5. Omnes vos filii lucis estis, & filii diei, non sumus noctis neque tenebrarum: igitur non dormiamus sicut & cæteri. In his dictis Paulus confert vitam hominis ante regenerationem cum ea quæ regenerationem subsequitur: Vita hominis ante regenerationem est instar noctis, qua homines in tenebris ignorantiæ & peccati versantur miserrimi, adeo vt mortui potius videantur quam viuentes: vita quæ regenerationem excipit, instar diei esse debet, qua homines in luce cognitionis Dei & iustitiæ versantur. Quare & tenebras eos cauere in primis oportet. Nos igitur qui de luce Euangelii

gloriamur, quoties videmus noctem excipere diem, & diem noctem, veniat nobis in mentem hæc Pauli doctrina, vt ambulemus tanquã filii lucis, fugiétes opera tenebrarum quibus illi occupãtur, qui principi tenebrarũ seruire quam Christo malunt contra stipulationem in baptismo factam.

3. *Non est sermo, neque sunt verba vbi non audiatur vox eorum.*

HOc est, Cœlorũ vox (manet enim Prosopopæia) annunciãs gloriã Dei, nõ clauditur terminis vnius nationis, sed vbiq. sonat, nulli sunt populi quãtumuis linguis seu sermone differant, quos nõ erudiat de gloria Dei, vna cælorũ vox, id est, ipse cæli aspectus: siquidem passim apud omnes homines per spaciosum orbem gloria Dei per cœlos innotescit, neque enim est locus vllus voce cœlorum vacuus, quin prçconiũ creatoris in eo exaudiatur, idque ab omnibus mortalibus nisi quos socordia cæcos reddidit. Nulla proinde Gẽs tã barbara est nec tã immanis quæ cœlestiũ rerum excellentiã contẽplans, non possit ad notitiã cogitatione produci. Atque hinc est quod nulla vnquam natio fuerit, quæ non aliquo religionis sensu flecteretur.

4. *In omnem terram exiuit sonus eorum & in fines orbis verba eorum soli posuit tabernaculum in eis:*

IN hũc versũ Theodoretus ita scribit, fidelius (inquit) Aquila vertit ex hebræo, κανὼν αὐτῶν. i. Regula eorũ: Est enim sensus, hæc opera mirabilia nequaquã ritu mortaliũ loqui, aut vocẽ vllam humanã emitter, equæ ad omnes terrarũ oras peruenire potest, sed orationẽ eorum vel grauissimã esse immutabilem ordinem, & dispositionẽ & structuram tanquam ad regulam factam & lineam respõdentem quæ eorum oratio cunctis terrarum finibus exauditur. Vt vniuersos mortales ad cultum & venerationem Dei mirabiliter accendat. Linea seu amussis per Metonymiam pro structura seu ædificio ad amussim facto ponitur.

Soli posuit tabernaculum in ipsis. Peculiariter de sole agit, in quo singulari quodam modo Deus suam sapientiam, potentiam, bonitatem, atque adeo gloriam Maiestatis illustrius proponit. nam cum solis vim naturam & celerrimum motum consideramus, ipsum opificem tanquam præsentem, non sine summa admiratione cernimus: Deus, inquit,

posuit

posuit soli tabernaculm in ipsis, scilicet, cœlis: Fingit enim solem tanquam regem in medio cœlorum constitutum, qui omnia illustrat, exhilarat, viuificat, quæ solius ingentia beneficia, quam bonus sit Deus solis conditor, & quam amans sit hominum apertissime docent: adeo vt qui hoc non attendit hominis appellatione minime dignus habeatur.

5. *Et ipse tanquam sponsus egreditur de thalamo, exultatvt Gigas ad currendum viam.*

COllatione duplici illustrat solis pulchritudinẽ & efficaciã: Primũ enim solem sponso egredienti de thalamo suo cõfert, qui sponsus prodiẽs suis amicis est gaudio & voluptati: Deinde confert solẽ Giganti qui pernicitate pedum celerrime curriculũ suum conficit: hæ similitudines etsi periucũdę sunt, & plurimum habent gratiæ, tamen longe infra rei magnitudinẽ & maiestatem subsunt. Nam vt pulchritudo solis quæ est perpetua sponsum ornatissimum gemmis & auro nitentem multis modis superat: Et pernicitas cursus solaris Gigantem celertimi cursus qui cito deficit & fatigatus residet anhelans, facile superat, idque adeo multum vt nulla cõparatio esse possit nisi in solo conatu. Nam sol iuxta cõputationem mathematicam singulis horis, idque respectu terræ tantũ cursu suo absoluit ducenta viginti quinque milliaria: per diẽ vero & noctẽ similiter solius terræ respectu milliaria quinque millia quadragẽta percurrit, idque semper & indefesse. Quãtus igitur quæso, eius cursus erit respectu sui orbis. Certe etsi celerrima est cogitatio humana, tamen vix hanccursus solaris pernicitatem capere potest. Quis quæso adeo barbarus, immanis & stupidus inueniri potest, quem non excitat hoc admirandum opus, cum ad agnoscendum Deum, cum ad eum colendum & celebrandum? Pudeat ergo nos nostrę socordiæ torporis, & qui cũ solẽ quotidie aspicimus, non rapiamur in celebrationem Dei admiratione celerrimi cursus solis, præsertim cum Deus solem nostri causa condiderit.

6. *Ab extremo cœlorum egreßus eius est, & circuitus eius vsque ad*

DEscribit egressum, circuitum, terminum & efficaciã solis. Egressus eius est hominũ habitan-

extrema eorum & non est quod abscondatur a calore eius. | tium in terris respectu loquitur) ab extremo oriente: circuitus eius incitatissima cœli stell geri conuersione absoluitur: Terminus est extremus, occidens. Hic egressus & circuitus solis perpetuus est respectu hominum passim per orbem habitantium, nam cum nobis oritur antipodibus occidit, & contra. Sed hic plenius docere ad Mathematicos pertinet. Quarto loco meminit efficaciæ solis, nō est, inquit, quod abscōdatur a calore eius. Hoc de virtute & vsu solis additū est. In Genesi duo effecta solis expoununtur, videlicet lucere & distinguere: Diei lucem administrat, & cum luce calorem defert in hæc inferiora: Distinguit primum diem & noctem, secundo stata tempora, videlicet ver, æstatem, messem, hyemem: Tertio menses & annos. Hæc temporum distinctio longe vtilissima est, sine qua homines in magnis ignorantiæ tenebris hærerent. Hæc cum cogitamus in laudes Dei excitari nos oportet, nihil enim vel terra vel mare progenerare potest, nihil viuere aut superesse potest sine beneficio solis, qui est & lucis & caloris author. Nam vt sine sole neque stellæ vllæ essent conspicuæ, sed omnia tristissimis tenebris obruentur. Ita beneficio solis omnia illustrantur, exhilarantur, viuificantur & conseruantur.

DE ALLEGORICA SIVE ANAGOGICA PRIMÆ PARTIS HUIUS PSALMI INTERPRETATIONE.

SUnt qui ineptis Allegoriis Origenis (qui omnia scripturæ dicta reiecta Grammatica verborū sententia transformauit in Allegorias) offensi, nullum Allegoricum siue anagogicum sensum præter proprium & geminum, nec in hoc Psalmo

hoc Psalmo nec alibi in scripturis admittunt: dicunt enim & recte quidem cuiuslibet dicti scripturæ siue sit figuratum siue proprium vnam constantem veritatem esse, in qua intellecta acquiescendum est: duplicia siquidem & multiplicia veritati contraria sunt. Simplex igitur si necesse est, quod verum censeri debet, quemadmodum & illud Euripidis testatur, ἁπλοῦς τῆς ἀληθείας λόγος, quod dictum non tantum ad verba, sed etiam idque multo rectius ad rem subiectam referendum est. Etsi autem hæc vere dicuntur, tamen & hoc verißimum, quod subordinata non pugnant. Typus & Antitypon subordinata sunt, etsi diuersa. Est sua veritas Typo, eaque vna & simplex: & est sua veritas antitypo similiter vna & simplex: ea siquidem de typo vt typo dicuntur, verius & perfectius antitypo tribuuntur. Scriptum est de Samsone Nazareus vocabitur, quod vere de Samsone dicitur, hoc tamen Matthæus verius antitypo, id est, Christo accommodat. Scient & illud, Vocaui filium meum ex Ægypto, quod tametsi verißime de Israle, dicitur, tamen & illud ipsum rectissime accommodat Euangelista antitypo, nempe Christo. Non igitur hæc pugnãt, sed subordinata sunt, & veritas vtriusque consistit. Christus sæpe parabolis vtitur quibus duplex veritas subest. Vna rei significantis, vnde comparatio oritur: altera rei significatæ, ad quam comparatio tendit, illa huic seruit vt subordinata, vnde & παραβολῆς nomen sumptum est, nam παραβάλλειν est res diuersas iuxta se conferre, propter similitudinẽ aliquam, præsertim in effectibus, quã inter se habent. Iam autẽ vt ad rẽ propius accedamus, hæc Catholica regula tenenda, quod quicquid conditum sit, nostrisque sensibus subiectum,

habeat, quandam comparationem ad res spirituales, quas non videmus. Ita enim sapientissimus & optimus Deus consultum voluit infirmitati nostræ, dum per hæc visibilia comparatione quadam nos quasi manu ducit in sacrarium suum, hoc est, in rerum diuinarum & spiritualiũ contemplationẽ. Proinde etsi sententia physica primæ partis huius Psalmi est vna vera & simplex quã ipsa Grãmatica suppeditat, tamẽ quia corporata comparantur spiritualibus (illa enim hæc figurantr) recte mystice cum Paulo hanc partem Psalmi interpretari non verebimur, præsertim cum præcipua Ecclesiæ lumina hoc ipsum fecisse animaduertamus. Videamus ergo huius primæ partis Psalmi versus ordine, eosque allegorice interpretemur.

Cæli enarrant gloriam Dei. Cæli, hoc est, Ecclesia cum triumphans tum militans: Triumphans quidem vt Angeli beati, & animæ sanctorum patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum atque adeo omnium qui in Domino mortui sunt. Militans vero, hoc est societas sanctorum in hac vita qui militant adhuc aduersus Satanam, mundum, propriamque carnem. De hoc cælo loquitur Dominus apud Esaiam *cap.* 65. Ecce ego creo cœlos nouos & terram nouam, priora non erunt in memoria, nec ascendent in cor, sed gaudete & exultate in perpetuum in iis quæ creo: nam ecce ego creo Ierusalem exultationem, & populo meo gaudium.

Sed curnam Ecclesia cælum dicitur? præsertim ea quæ hic in terris conspicitur?

Huius rei quinque sunt præcipuæ causæ: *Prima* πολίτευμα sanctorum est in cælis, vbi habent patronum filium Dei sedentem ad dexteram Patris, quem inde expectant venturum ad iudicandum viuos & mortuos iuxta Symbolum. Sancti enim cum in hoc corpore sunt, peregrinantur a Domino, habentes voluntatem peregrinari a corpore, vt sint Domino præsentes. 2. *Corinth.* 5. *Coloss.* 2. *Philip.* 3.

Secunda, Cælorum nomine ornatur Ecclesia, quia regitur doctrina

doctrina cœlesti, quam meditatur die ac nocte, vitamque suam quai liceat ad eius normam componit, at quantum hac doctrina se regi non permittit, extra Ecclesiam sub principe tenebrarum miserrime militat. *Tertia*, Ecclesia dicitur cœlum quia terrena contemnit, & cœlestia sectatur, cœlorum Regem veris cultibus colens, serio renunciato principe huius mundi & artibus eius. *Quarta*, Ecclesia cœlum dicitur propterea quod habeat suæ beatitudinis sedem in cœlis paratam, ad quam quotidie aspirat. Non est dubium hanc sedem esse certum locum in quem receptus est Dominus Iesus, ascendens in cœlum. huc dictum Domini pertinet, vado paratum vobis locum. *Iohan*. 14. Item, in domo patris mei sunt multæ mansiones. Hic beatorum locus appellatur nunc regnum Dei, nunc regnum patris: Item gloria Dei inuisibilis, & lux inaccessa: vbi Thronus Maiestatis diuinæ esse dicitur. *Quinta*, Ecclesia præterea ob hanc causam dicitur cælum, vt hæc appellatio illustre discrimen inter regnum Christi & regnum mundi faciat. Hic Christus sæpe Ecclesiam regnum cœlorum nominat, vt suos auditores reuocet a somnio Phariseorum qui regnum Messiæ putabant fore terrenum imperium, quod splendore & magnitudine superaret Romanam Monarchiam sub qua tunc erant Iudęi. Habemus cur Ecclesia dicitur cœlum, sequitur nunc eius iuge studium ex fide manans quod est annunciare gloriam Dei. Patriarchæ enim, prophetæ, sancti reges, Martyres, Apostoli, successores Apostolorum, hoc est, omnes pij Euangelij ministri, denique singuli fideles (seruata cuiusque vocatione) gloriam Dei loquuntur, mente, corde, lingua, confessione adeoque tota vita. Etsi autem vt antea quoque diximus, cœlum hoc aspectabile gloriam Dei suo modo per totum orbem annunciat, tamen integra gloria non tribuitur Deo nisi a sola Ecclesia: hæc enim cum Christum regem cœlorum fide apprehenderit, gloriam Deo tribuit: in Christo enim naturali imagine Dei, sapientia, iustitia, potentia, & misericordia Dei illustrius oculo mentis cernitur. De hac gloria Dei quam Ecclesia prædicat, testantur Angeli dum nato Christo canunt. Gloria in excelsis Deo, in terra pax, hominibus bona voluntas quia Deus in Christo approbat

genus humanum, de quo pater dixit, hic est filius meus dilectus, ἐν ᾧ εὐδόκησα, vt sit inter me & homines qui filium audiunt, pax.

Et opera manuum eius annunciat firmamentum.

EIusdem sententiæ repetitio est: Firmamentum enim Ecclesiam, & opus manuum Dei, opus saluationis figurat. Sed cur Ecclesia firmamento comparatur? propter eius stabilitatem, firmitudinem, durationem. Est enim ædificata super petram, contra quam portæ inferorum non præualebunt. Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est Iesus Christus. Dauid in Spiritu videns hoc Ecclesiæ firmamentum præ gaudio Spiritus exiliit in hanc vocem *Psalmo* 117. Laudate Dominum omnes Gentes. Laudate eum omnes populi, quoniam confirmata est super nos misericordia eius, & veritas Domini manet in æternum. Hinc nos consolemur dum videmus aut audimus affligi Ecclesiam à tyrannis mundi, qui tametsi multos sanctos variis modis e medio tollunt, tamen cum vincere videntur mundo, miserrime vincuntur ac vinciuntur a Diabolo. Contra vero qui videntur succumbere, victores gloriosi sunt in regno cœlorum, vt de Stephano quidam scripsit. *Ibat ouans animus, & spe sua damna leuabat.*

Dies Diei eructat verbum & nox nocti indicat scientiam:

HOc est, omnibus temporibus vsque ad postremum mundi diem prędicabitur & propagabitur Euangelium, nec vllo vnquam tempore. Cœlorum, id est, Apostolorum & successorum eorum docentium Euangelium vox conticescet, sed semper erunt qui voce Euangelij colligant Ecclesiam. Potest etiam & hoc Psalmi dictum concinne ad vicissitudinem afflictionum & liberationum Ecclesiæ referri: Nam vt nox afflictionis & mortis, ita dies consolationis & vitæ symbolum est. Vt ergo nox & dies alternantur, ita vicisscitudo quædam est afflictionum & consolationum in Ecclesia. Præterea vt eodem tempore dies alibi longiores, alibi breuiores sunt sicut & noctes: ita variant liberationes & afflictiones Ecclesiæ. Alibi enim diuturnior est tranquillitas, vt minor afflictio, alibi ma-

bi maior afflictio & minor tranquillitas, ita vt ſemper ſibi mutuo cedant afflictiones & liberationes in Eccleſia. Sed cauſas viciſcitudinis liberationum & conſolationum Eccleſiæ alias ſæpe indicauimus.

Non eſt ſermo neque ſunt verba quibus non exaudiatur vox eorum.

ID eſt, late per orbem ſonabit vox Euangelij, vt enim Deus eſt ſumme bonus, ita æqualem habet naturam & voluntatem, qua omnes homines vere vult ſaluos fieri, modo ad vocem Euangelij aures non occluſerint.

In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum:

HOc dictum Paulus accommodat Apoſtolis. *Rom.* 10. quorum vocem affirmat exiuiſſe in omnem terram, ne Iudæi increduli haberent quod ſuæ contumaciæ prætenderent: Loquitur autem Apoſtolus in eo loco potiſſimum aduerſus incredulos Iudæos qui ſe iniuſte damnari a Paulo clamabant, cum non audiſſent Euangelium de Chriſto. His Paulus laruam detrahit cum ait, in omnem terram exiuiſſe ſonum Apoſtolorum. Sed hic quæritur qualiſnam ſit hæc probatio de qua tametſi ſunt diuerſæ opiniones, tamen ego eam typicam eſſe ſtatuo, quæ propterea ſatis firma eſt. Recte ergo quod dictum erat de typo accommodat antitypo. Cum typus Antitypo ſit ſubordinatus. Etſi autem Paulus hic loquatur potiſſimum de Iudæis, tamen recte etiam dictum Pſalmi toti vniuerſo orbi accommodari poteſt: nam per terram vniuerſam ſparſa erat fama de Chriſto & eius doctrina: adeo vt Paulus Coloſſenſibus ſcripſerit omni creaturæ ſub cœlo iam tum fuiſſe annunciatum Euangelium. Non enim dubium eſt cum inuſitata Eclipſi ſolis ſimul fuiſſe diuulgatum iſtius Eclipſis cauſam, nempe paſsionem Dominicam quæ eſt ipſiſsima Euangelij materia.

Porro hic non eſt prætereunda myſtica ſignificatio canonis ſeu amuſſis, ſeu funiculi cuius hic verſus in Hebræo textu meminit, nam iſta voce pulchre ſignificatur quomodo domus Dei, id eſt, Eccleſia extrui debeat, nempe ad amuſſim Apoſtolicam, vt enim fabri lignarij ſeu murarij amuſ-

ſi vtuntur ad ædificij ſtructuram apte & concinne faciendam. Ita Apoſtoli & eorum ſucceſſores Eccleſiam Dei ædificantes omnia ad normam ſeu amuſſim Euangelij facient, vt ſuper angulari lapide Ieſu Chriſto recte ædificent. Hic ergo monentur ædificatores Ieruſalem cœleſtis, hoc eſt Doctores Eccleſiæ, ne normam ſtructuræ aliunde petant, quam ex voce Euangelij: qui enim hac norma abiecta pro regula ſumunt humanas traditiones ſuas Sophiſticas concluſiunculas,& doctrinas Dæmoniorum, non Ieruſalem ciuitatem Dei, ſed Babylonem Diaboli ciuitatem,quam pingunt meretriceo fuco,ædificant.

Soli poſuit tabernaculum in ipſis.

HOc eſt, ſi myſtice interpreteris, pater æternus filio ſuo tabernaculum in Eccleſia poſuit.ſol enim iuſtitiæ Chriſtus Ieſus, etſi ſecundum diuinitatem eſt vbique ἀμέριστος, vt verus Deus,tamen in ſola Eccleſia quam ſibi in hæreditatem elegit,habitare dicitur, iuxta illud *Pſal.2.*Ego conſtitui regem meum ſuper Zion montem ſanctum meum,id eſt,ſuperEccleſiam in qua habitat ſpeciali modo exercens in ea mirificas actiones.

Porro quia hic filius Dei dicitur ſol ſicuti ſæpe alias vt infra dicemus,operepreciuṁ iudico hic adiicere quantum fieri poteſt, quomodo luminis & ſolis appellatio vſurpatur in Eccleſia.Sunt autem quantum animaduertere licuit quatuor modi,quibus accommodatur lucis,ſeu luminis appellatio ad doctrinam Eccleſiam illuſtrandam,& quaſi oculis ſubiiciendam.

Primus,ſeruit myſterio vnitatis diuinæ naturæ & trinitatis perſonarum explicando.

Secundus,illuſtrat myſterium aſſumptionis humanæ naturæ ab æterno λόγῳ in vnitatem perſonæ.

Tertius pingit officium, virtutem, efficaciam Chriſti,id eſt,ſolisiuſtitiæ in Eccleſia.

Quartus, ad mores,vitamque ſanctorum pertinet, quo Sancti a tenebris Diabolorum & mundi diſtinguuntur. De his quatuor modis hic nonnulla adiiciamus eo quo propoſiti ſunt ordine.

De

De Primo.

Etsi autem nullis in rebus ita clare mysterium vnitatis diuinæ naturæ, & trinitatis personarum apparet, quin multis ex partibus maxima adhuc inueniatur dissimilitudo, (alioqui mysterium non esset mysterium) Tamen Deus in his rebus creatis vestigium quoddam huius mysterij impressum esse voluit, quod vult nos aspicere, vt nos grata mente illud amplectamur, & accommodemus quantum analogia fidei hoc patiatur. Semper memoria circumferentes has de similibus Regulas. *Prima* est Genadij. ἐλαττοῦται πᾶσα εἰκών, καὶ ἅπαν παράδειγμα τῆς ἀληθείας. *Secunda*, Epiphanij est: Simile nunquam idem esse potest cum eo cuius est simile. *Tertia* eiusdem, non omnis similitudo tota accipitur. *Quarta* Augustini similitudines in quocunque loco sunt, circumstantia sui exponuntur. His ita præmissis & memoriæ commendatis, videamus quomodo lucis & solis appellationes vnam deitatem, & in ea personarum trinitatem adumbrant, id est quomodo μεγάλου φωτὸς μικρὸν ἀπαύγασμα, vt Nazianzeni verbis vtar, nobis exhibeant.

Iustinus Martyr, qui floruit circa annum Domini centesimum quadragesimum primum, summam fidei Christianæ de vnitate Deitatis & & trinitate personarum exponit. Deinde similitudine quadam luminis eandem declarat & illustrat. Expositio hæc est, vnum inquit Deum oportet confiteri in patre, & Filio, & Spiritu sancto cognitum, quatenus quidem pater & Filius, & Spiritus sanctus dicitur, hypostases agnoscere oportet: quatenus vero Deus dicitur, oportet intelligi quod est commune personis. Vnitas enim in trinitate intelligitur, & trinitas in vnitate cognoscitur. Hæc breuis expositio Iustini congruit cum omnibus patrum symbolis, ex verbo Dei expresso desumptis, quam tametsi lumine rationis cernere non possumus, tamen fide eam tenere oportet, quæ fides verbo Dei firmissimo fundamento nititur, de qua re alias plura dicentur. Declarationem paulo post subiungit Iustinus proposito luminis paradigmate, in hunc modũ: Sicut (inquit) intelligimus filiũ ex patre natum esse tanquã lumẽ de lumine splẽdens. Sufficit enim hæc imago ad statuendam & coæternitatem,

& essentiæ identitatẽ,& generationis impassibilitatẽ: quatenus enim resplendet cũ eo quod splendorem emittit, ἄχρονος nullo tẽpore interposito existit, cui enim luci lucis splẽdor tẽpore medio intersecari poterit? quatenus autẽ lumẽ est ex lumine, rationem luminis a quo etiam natum est, manifestauerit. Rursus autem quatenus lumen est, & ex eo natum, & id quod ex eo natum est citra perpessionem fuerit. Non enim secundum sectionem, aut fluxum, aut distantiam luminis fit splendor, sed ex substantia ipsa citra perpessionem prouenit. Eandem cognitionem etiam de Spiritu sancto tenemus, quia quemadmodum Filius ex Patre, sic & Spiritus, etsi modo ὑπάρξεος diuerso, nam Filius lumen ex lumine nascendo splendet, Spiritus vero & ipse lumen ex lumine est, non quidem nascendo, sed procedendo prodit. Hoc modo coæternus est patri, & eiusdem essentiæ cum Patre, & citra perpessionem a Patre procedens. Atque ita in trinitate vnitatem intelligimus, & in vnitate trinitatem agnoscimus: hactenus Iustinus Martyr, cuius sententiam Catholica Ecclesia semper quemadmodum Symbola testantur, amplexa est. Iam quod de lumine in genere dictum est, hoc ad solem accommodemus: in quo & vnitas Deitatis, & trinitas personarum veluti pingitur. Vnus est sol; in eo hæc tria discreta sunt, nempe, indesinens lux, hinc splendor a luce natus, deinde calor ab vtroque, id est tam a luce quam a splendore procedens, hæc tria sunt σύγχρονα, & sunt veluti tria πρόσωπα, vnius solis. Sic in vna Deitate est Pater, Filius & Spiritus sanctus, Pater a quo est Filius & Filius a Patre natus, & Spiritus sanctus ab vtroq; procedens. Harũ personarum singulæ & si eandẽ Deitatis essentialẽ perfectionẽ obtinẽt, tamẽ discretæ sunt personalibus proprietatibus internis & externis. Tametsi ergo opera Trinitatis ad extra, (id est, quantum ad creationem, gubernationem, & saluationem attinet) sunt indiuisa (quia est eadem omnium personarum & indiscreta natura a qua ipsa ἐνέργεια proficiscitur) id est coniuncta in producendo quouis effectu, sic enim Augustinus ait, quando vnus trium in aliquo opere nominatur vniuersa operari Trinitas intelligitur: tamen discretæ sunt non diuersæ potentiæ & facultates sed modo agendi. Nam singulæ personæ suum proprium agunt in eodem opere: hinc

recte

recte dicitur, Pater creat, Filius creat, & Spiritus sanctus creat. Item, Pater gubernat, Filius gubernat & Spiritus Sanctus. Item, Pater saluat, Filius saluat, & Spiritus sanctus saluat. Hæc opera personarum sunt indiuisa in effectu, etsi singulæ personæ quod suum est proprium in eodem opere agunt. Verum opera Trinitatis ad intra (id est, quę manent intra essentiam diuinam) non sunt indiuisa: solus enim Pater gignit, non Filius nec Spiritus sanctus: solus Filius nascitur, nō Pater nec Spiritus Sāctus, solus Spiritus procedit, non Pater nec Filius. Atq; hoc in hunc modū simpliciter cum Catholica Ecclesia credamus & nō ratione nostra arcana Dei præter verbū scrutemur. Scrutator enim Maiestatis opprimetur a gloria: Et quidam Græcorum recte dixit, οὐδὲν γὰρ ἀνθρώποις τῶν θειῶν σαφές. quod dictum Iustinus amplectitur, vt longe verissimum, cum quo congruit & Pauli dictum, nunc ex parte cognoscimus. Simus ergo contenti mediocri luce & anhelemus ad promissam patriam in qua plenius omnia cognoscemus, obedientes Augustini cōsilio, qui sic ait, firmissime tene & nullatenus dubites, sanctam Trinitatem solum esse verum Deum, rerum omnium visibilium & inuisibilium creatorem: & memorabile est dictum, Bernhardi, Sacramentum hoc magnum est venerandum & non scrutandum, quomodo pluralitas sit in vnitate, aut vnitas sit in pluralitate: scrutari hoc, temeritas est, credere, pietas, nosse vero, vita est æterna.

De secundo.

Etsi Iustinus Martyr, magnifacit similitudinem vnitatis personalis in Christo sumptā a copulatione animę & corporis in persona hominis, quā quidem ex parte concinnā esse fatetur, sed eā prorsus congruere omnino negat, tamē huic anteponit eam quæ a copulatione lucis & solaris corporis sumitur, hæc enim multo clarius copulationem diuinæ & humanæ naturæ in Christo illustrat, sed ascribamus Iustini verba, quæ propter antiquitatem & vtilissimam doctrinā, grata nobis esse debent. Postquam (inquit) ὁ λόγος venit in mundum, lux de luce, non habente aliunde causam, splendens, volo lucem esse paradigma vnionis, intelligatur autē atio in hunc modum. Lux est illa primæua quæ prima

voce Dei per λόγον facta est. Corpus autem solare, corpus humanum cui ineffabiliter ὁ λόγος vnitus est, atqui ne reputes solem lucem alteram esse præter eam quæ primum facta est, non enim tanquam deficiente prima ad totius illuminationem sol factus est, vt suppleret defectum, nam non talis est artifex, vt neque præuideret perfectionem, ne quid opus haberet formare splendorem, qui ex ea præberetur: Vna igitur est lux primæua, vnus sol, corpus huic aptatum est a quo contracta lux vbique vt a principio defusa vehitur, hæc enim horarum nobis diei cursum per corpus solis sine querela complet, nam si non induta esset corpore, sed tota in toto aëre funderetur, nequaquam nobis neque mensuras diei distingueret, neque motum ordinatum & constitutum præberet, at si dicis mihi quod etiam ante solis generationem dies & nox fuerit, primum quidem confiteberis similiter quod sufficeret lucis natura ad illustrandum omnia, consequenter autem quæres deinceps quænam sit generationis solis causa, inuenies enim non aliam esse quã eam, quam modo exposui, nam in principio quidem lux ipsa aëre circumfusa per vniuersum, neque motu æquali percurrit, neque diei mensuras distinxit, sed contracta nocti aditum prębuit, proinde verissimũ est aliud quidẽ esse lucem, aliud vero solare corpus quod hãc recipit. cum sic se habeat lex ad solare corpus, considerate deinceps diligẽter rationẽ, queadmodũ enim corpus vnionem primæuæ lucis ad solare corpus, nequaquam aliquis ea a se inuicem diremerit, siquidem neque solem seorsim vocauerit, neque lucẽ diuise, sed lux ipsa vnus sol dicitur: Sic in vera luce & sanctissimo corpore non est dicendum post vnionem, alterum quidem separatim filium hominem, sed vnum & eundem vtraque intelligit, vt vnam lucem & vnum solem, quod recipitur lux, quod recipit corpus est. Rursus vt vna quidem lux & vnus sol duæ sunt naturæ, illa quidem lucis, hæc vero corporis solaris, sic etiam hic vnus quidem filius & Dominus, & Christus, & vnigenitus, duæ rerum naturæ illa quidem supra nos, hæc vero nostra. Et rursus quemadmodum in luce, lux est efficacia quam nemo separare poterit a corpore eam recipiente, at si ratione distinxerit cognoscet naturam, cuius est efficacia propria; sic in vno Filio Dei
vniuersam

vniuersam quidē efficaciā nō separauerit ab vna filiatione, naturæ autem cuius sit proprium quod fit ratione, cognouerit hactenus Iustinus: cuius sentētiam tota pia antiquitas amplexa est. Porro quia Gēnadius Grçcus Scholiastes valde etiā cōcinne videtur hac de re ex sentētia patrū scribere, volo eius verba Græce huc ascribere, vt studiosi pulcherrimā illam sententiam habeant & ediscant. Sūt autē hęc eius verba super Epistolam Pauli ad *Colossens. cap. 2. pagina 194.* ὥσπερ τὸ πρωτόγονον φῶς ἐν ἀρχῇ ἀσώματον, καὶ ἄϋλον ὑπάρχον, ἐνεκράθη τῷ ἡλιακῷ σώματι, καὶ γέγονε. τρόπον τινὰ ἐνσώματον: πλὴν καὶ ἐν αὐτῷ ὑπάρχον οὐ περιείργεται οὐδὲ χωλύεται καταφωτίζειν τὰ πάντα: οὕτω καὶ ὁ ἐν ἀρχῇ ἄσαρκος θεὸς λόγος σαρκωθεὶς οὐ χωλύεται καὶ σαρκὶ ἡνῶσθαι καθ' ὑπόστασιν, καὶ μὴ συγκεκλεῖσθαι ἐν αὐτῇ ἀλλὰ πάντα πληροῖ. His paulo post subiungit, totus est cum patre, σώματι περίγραπτος ὤν, θεότητι δὲ ἀπερίγραπτος. Vnitas enim personæ nullo modo inducit aut adfert confusionem naturarum.

De tertio.

Tertium quod proposuimus, est pictura officii, virtutis, & efficaciæ Christi in Ecclesia, scriptura enim frequenter Christum solem nominat, non solum respectu patris, & assumptæ naturæ humanæ vt iam declaratum est: Verum etiam respectu Ecclesiæ quam Christus sua luce illuminat. & calore recreat. Huc pertinet Esaiæ dictum, *cap.* 9. populus qui ambulauit in tenebris, videbat lucem magnam. Et 60. Super te orietur IEHOVA, & gloria eius super te videbitur. Et *Psalm.* 84. Sol & scutum IEHOVA Deus, gratiam & gloriam dabit, Dominus non priuabit bonis eos qui ambulant in innocentia Malachias quoque de Mesia tunc venturo, nunc exhibito sic scribit *cap.* 4. Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ, & sanitas erit in alis eius, id est, in radiis eius erit medicina aduersus peccatum, mortem, Diabolum, & infernum quæ mala nulla creatura, imo nec omnes simul tollere potuissent. Sed vnde tanta vis est? ex alis eius. Sunt autem alæ seu radii solis iustitiæ, id est, Christi Euangelium, quod ob suam efficaciam mirificam Paulus affirmat esse potentiā Dei in salutem omni credenti. Spiritus Sanctus qui efficax

est in obedientibus Euangelio: meritum obedientiæ Christi qua iustificamur, tum crucis qua a peccatis mundamur a peccato: & meritum intercessionis. In his alis solis iustitiæ est vera sanitas & æterna vita, quæ bona iustitiæ, etsi omnibus promiscue efferuntur, soli tamē credentes eorū sunt capaces. Est enim fides veluti manus quędā, quæ bona oblata dextera patris cęlestis (id est per Filiū) accipit, tenet, possidet, ideo Malachias ait hunc solem iustitiæ oritu rum esse timentibus nomen Dei. Est enim verus timor Dei certissima nota Ecclesiæ, quæ sola luce, splendore & calore solis iustitiæ fruitur.

Quoniam autē multiplex est collatio solis & Christi in effectibus genere similibus ascribam potissimum ex Victorino quasdā collationes solis & Christi, in propriis effectibus, quibus collationibus pulcherrime beneficia Christi erga Ecclesiā illustrantur. *Prima*, quemadmodum sol sua luce mundum illustrat vniuersum, ita Filius Dei sol iustitiæ sua bona omnibus offert, modo vt ea accipiāt grati, nec cōtumacia repudiēt. *Secunda*, vt sol est fons vitalis potētiæ, sic Christus viuificat credentes suo Spiritu in hac vita, & deinde dat eis vitā æternā. *Tertia*. Quemadmodū sol oriēs omnes astrorū ignes obscurat: ita iustitia Christi quę nobis credentibus imputatur, gloriæ operum tenebras & quasi noctem quandam offundit. *Quarta*, vt sol cum meridie est altissimus, maximos calores excitat, ita Christi purā & incorruptā cōfessionem crux comitatur. *Quinta*, vt sol splendore suo nubes & nebulas dissipat, sic Filius Dei sedēs ad dexteram patris victor est tyrānorū & hęreticorū. *Sexta*, vt sol in bruma cum longissime a vertice distat, terris proximus est: ita Filius Dei in ęrumnis proxime piis adest, eisque opem fert & salutem. *Septima*, vt Sol aduentante nocte suos radios quasi contrahit: ita Christus suam gratiam & Spiritum illis adimit qui petulanter contra conscientiam peccant & cōtumaciter Christo se opponunt a Diabolis victi. *Octaua*, vt sol radiis suis superata nocte mundum rursus illustrat, ita Christus sol iustitię resipiscentibus & veniā petētibus rursus oritur. *Nona*, vt sine sole totus mundus in dēsissimis palpat tenebris, ita sine Christo omnes homines in tenebris ignorantiæ errant. *Decima*, vt sole ad occasum vergente vmbræ crescunt donec nox veniat, & lumen diei omnino deficiat, sic

cum

cum in hominum cordibus eorum culpa sol iustitiæ occidere cœperit, cæcitatis vmbra vehementer excrescit, donec mortifera mortis vmbra inuoluantur. *Vndecima*, vt vritur a sole qui nimium se ei exponit, vt ater tandem fiat, ita qui scrutatur subtilius præter Dei verbum maiestatem, soli iustitiæ obruitur, & quasi exuritur ab ipsius gloria: Simus ergo cōtenti ea mediocritate quę nos in recto salutis cursu cōtineat. *Duodecima*. Quemadmodū aspectabilis hic sol ab optimo Deo in cœlo collocatus, nihilominus toti mūdo adest, mittit radios per orbē vniuersum, omnia illuminat, omnia fœcūdat, & omnia quasi cōtēplatur, adeo vt nō sit, (quemadmodū Dauid in hoc Psalmo testatur) quod abscōdatur a calore eius. Ita humana Christi natura, etsi supra omnes cœlos euecta est ad dexterā patris secundū scripturas, tamē toti Ecclesiæ adest, corda sanctorū illuminat, & sui spiritus calore fœcundat, neque vllæ latebræ sunt in corde humano, quę non pateant humanitati Christi per lumen diuinitatis omnia contemplantis & coram cernentis.

De Quarto.

Restat vt dicamus de luce quam Christus sol iustitiæ confert. nam cum ille sit lux æterna Ecclesiam suam quam charissimam habet luce sua ornat: ea enim est boni natura, quod sit communicatiuum sui, minimeque amanti inuideat suæ bonitatis participationem, cum sit fons perennis, qui exhauriri nequeat. Est autem hic triplex lux spectanda, quæ æternæ lucis filii Dei quædam est veluti resplendentia, videlicet doctrinæ, vitæ præsentis, & gloriæ.

Lux doctrinæ est de qua infra in hoc ipso Psalmo docemur: præceptum Domini lucidum & illuminans oculos. Et *Psalmo* 119. Verbum Dei lucerna & lumen dicitur. Lucerna inquit pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Lucerna (inquit) Theodoretus est lex quæ nocte fulget: Sol autem Euangelium quod in die splendet. Propheticus enim sermo lucerna erat. Euangelium patefacto Christo sol clarissimus. Ideo Petrus ait, 2. *Petri* 1. habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes: tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, & oriatur in cordibus vestris:

hæc lux doctrinæ a Paulo *Philipp. 2.* Sermo vitæ nominatur. Et Solomon ait lex lux *cap. 6. Prouerb.* Ab Esaia quoque verbum Dei lumen Dei dicitur: Venite, inquit, *cap. 2.* Domus Iacob, & ambulemus in lumine Dei nostri. Breuiter doctrina Ecclesiæ est lux, qua credita liberat a tenebris ignorantiæ, & claram Dei faciem quasi contemplandam exhibet, quæque nos recta ducit ad Deum, qui habitat lucem inaccessam.

Lux vitæ præsentis est duplex, videlicet interna & externa. Interna lux est in mente, in corde, in vtroque. *In mente*, est clara Dei noticia per verbum & Spiritum sanctum accensa: *in corde*, est viua fiducia & consolatio ex merito mediatoris per Spiritū sanctum accepta. In vtroque simul est integritas quę iusticia interna dicitur, hoc est, cōgruētia cordis, id est, affectuū & volūtatis cū recta ratione. Est autē recta ratio quæ verbū Dei seu voluntatē Dei in verbo, expressam vt regulā sequitur. Hanc integritatē seu viriū internarum consentionem Dauid petit cum ait, Doce me Domine vias tuas tuas & ingrediar in veritate tua, vnias cor meum vt timeam nomen tuum *Ps. 86.*

Externa lux vitæ præsentis est gradus manans ab interna luce: id est, vita moresque lucidi, de qua luce Dominus loquitur apud Matthæū *cap. 6.* cū ait, Sic luceat lux vestra corā hominibus vt videāt vestra bona opera, & glorificent patrē vestrum qui est in cœlis. Hæc lux externa vocatur etiam iusticia externa, quæ est actionū externarū conformitas cū luce mētis & cordis. Vtraque hac luce, scilicet interna & externa electi a reprobis, & filii Dei, a filiis Diaboli discernūtur. Atque hæc est illa cādida vestis nuptialis, cuius Dominus meminit *Matth. 22.* quā induimus cū Christū vere induimus, exuta paulatim carnis maculata tunica. huius vestis splēdidæ & nuptialis meminit etiā Esaias: *ca. 67.* Induit me Dominus vestimēto salutis, & indumēto lætitiæ circūdedit me: hanc ipsam vestē Paulus propter perpetuā militiā sanctorū, aduersus peccatum, mundum, & Diabolum vocat arma lucis. Sic enim ait *Rom. 13.* abiiciamus opera tenebrarum & induamur arma lucis, tanquam in die honeste ambulemus. Huius spiritualis & candidæ vestis sanctorum symbolum externum est candida illa vestis, quam minister Baptismi imponit puero baptizato, vt per totam vitam

meminerit

meminerit pacti initi inter se & Deum: quod qui violat contumaciter & non redit per veram conuersionem ante mortem, gratiam baptismi indignissime abiicit, recipiens se rursus proditorie in castra Satanæ, nec est quod quisquam se decipiat vanis sermonibus, qui facit iusticiam, iustus est, qui militat Christo, Christum sequitur vt lumen vitæ.

Etsi autem autem hæc lux interna & externa de qua iam diximus, est totius Ecclesiæ, id est, omnium viuorum membrorum in Ecclesia, tamē ministri Euāgelii peculiari modo lumina nominātur. Ideo Christus ait discipulis suis *Matth*.5. vos estis lux mūdi, & Dominus de Baptista ait, *Ioh*.5. ille erat lucerna ardens & lucens, ardens fide, veroque amore, lucens doctrina, & vitæ innocentia. Ab vtrisque ergo, id est, & a ministris Euāgelii, & auditoribus eorū requiritur vt illuminētur a luce, vt aliis quoque luceāt, illi doctrina & vitæ integritate, hi cōfessione, & vita, moribusque qui decēt sanctos: huc illæ Pauli exhortationes faciunt *Philip*. 2. Omnia agite vt nemo de vobis cōqueri possit, syncerique filii Dei sitis irrepræhensibiles in medio nationis prauæ. inter quos apparetis tā quā luminaria in mūdo, sermonē vitæ sustinentes. Ad *Ephe*. 5. Eratis quondā tenebræ, nunc autē lux in Domino vt filii lucis ambulate. Quare autē necessariū sit vt in luce doctrinæ ac vitæ inoffensi ambulemus ostēdit Iohannes cum ait, 1. *Iohan*.1. Si dixerimus nos societatē habere cū eo, & in tenebris ambulemus, mentimur, & veritas in nobis nō est. Si autē in luce ambulamus, sicut & ipse est in luce, societatem habemus cum illo mutuam, & sanguis Iesu Chri filii eius emundat nos ab omni peccato.

Lux gloriæ sequitur quæ excedit omnē sensum & captū hominis, hoc enim tāta erit, tā perfecta, tā lucida, tamque firma, vt nunquā a tenebris metuendū sit eis qui eā adepti fuerint. Hæc lux erit palliū gloriosæ victoriæ & stola candidissima, qua vestiamur in omnē æternitatē. atque ita lux diuina qua vestiemur in æterna vita erit nobis vice vestiū, & testis innocentiæ per Christum partæ. Sed cū hæc non poterimus plene intelligere in hac vita, ambulemus ita in præsenti vita, in luce, vt merito Christi consequamur tandem illam gloriæ, quæ nunquam vllis tenebris commutabitur.

Porro quoniam lux doctrinæ ordine præcedit lucem

vitæ, & hæc lucem gloriæ, idque necessario, cæptum est disputari de necessitate bonorum operum. Fuerunt enim qui docuerunt & recte quidem opera bona esse necessaria. Alij vlterius progressi contenderunt, sed ambigue bona opera necessaria ad salutem. Hanc assertionem multi docti reiecerunt, non quod sit omnino falsa, sed quod sit ambigua, vt quæ & verum & falsum sensum gignat. Nam si intelligitur causæ necessitas, falsa est, at si de necessitate medii, eam quis intellexerit, vera erit, & confirmatur scripturis & voce Ecclesiæ. Vnum Bernhardi dictum ascribam: ad finem libri de gratia & libero arbitrio: Bona opera non sunt causa regni, sed via regnandi: hoc est bona opera non sunt causa propter quam regnum consequimur, sed iter inter medium per quod in regnum perueniemus.

Et ipse tanquam sponsus egreditur de thalamo suo.

NOn est dubium quin Dauid cum hæc scriberet de sole cui filium Dei comparat, mente sit contemplatus arcanam copulam sponsi Christi, qua & ineffabiliter adiunxit sibi humanam naturam singularem in societatem seu vnitatem personæ, & qua peculiariter cum Ecclesia sponsa spiritualiter copulatus est, quam copulam Paulus misterium vocat *Ephes.* 5. Primum enim coniugium quo Eua sumpta de carne Adami Adamo marito copulata est, adumbrauit Christi & Ecclesiæ arctissimam copulam, adeo vt Ecclesia sponsa Christi dicatur caro de carne Christi, & os de ossibus eius. Vt Eua teste ipso Adamo fuit caro de carne eius, & os de ossibus eius. hac imagine Deus voluit pingere amorem Christi & Ecclesiæ mutuum, fidem, ac officia, idque ideo vt mens pia cogitet quam sit suo sponso qui se proprio sanguine redemit, chara, & quod vicissim debet esse tam benemerito sponso arctissima fide, vero amore, atque obedientia coniuncta. Tametsi autem similitudo hæc longe infra rerum sublimitatum subsistit, tamen valde dulcis est, vt quæ pingat aliquo modo storgam mutuam Christi & Ecclesiæ.

Porro quia hæc similitudo sponsi Christi & sponsæ Ecclesiæ dulcissima est, volo declarandi eius gratia verba Dei,

ex 2 *cap.* Hoseæ prophetæ aſcribere, eaque breuiter declarare. Verba Prophetæ hæc ſunt: Deſponſabo te mihi in ſempiternum, & deſponſabo te mihi in iuſtitia, & in iudicio, & in miſericordia, & miſerationibus, & deſponſabo te mihi in fide, & cognoſces IEHOVA, hucuſque propheta. Antequam autem hæc verba declarabimus, inſtituamus breuem collationem inter hunc ſponſum & eam quam ſibi in ſponſam eligit, videamuſque quis, qualiſque hic ſponſus ſit, & quænam, qualiſque fuerit ea quam ſibi in ſponſam eligit. Sponſus Chriſtus eſt Deus & homo, rex regum, & Dominus dominantium, cœleſtis, puriſſimus ab omni macula, omniū pulcherrimus, ſufficiens ipſe ſibi ad fœlicitatem. At ea quam ſibi in ſponſam elegit, humana natura eſt, id eſt, ipſe homo ſeu humanum genus, hic homo etſi in principio creatus eſt ad imaginem Dei: tamen poſtea proditorie defecit a Deo ad Diabolum, amiſit imaginem Dei pulcherrimam, videlicet, iuſtitiam, & ſanctitatem veram, & pollutus eſt non vno, ſed mille adulteriis, tot enim adulteria commiſit, quot excogitauit ſuperſtitiones, quotque peccata perpetrauit. Qualis quæſo populus Iſraeliticus fuit quando Hoſeas hæc ſcripſit? Ibat (inquit) poſt amatores ſuos, mei autem oblitus eſt ait IEHOVA. Atque ita homo miſerrimus eſt, ac turpitudine ſua infra omnes Dei creaturas abiectus, non ſane meritus vt amaretur, ſed vt ſempiterna miſeria obrueretur, nec quiſquā in toto genere humano inuentus eſt non miſerrimus. Quare & omnes vna periiſſent iuſto Dei iudicio, niſi Chriſtus mera ſua bonitate ſuccurriſſet. Hæc præmittere volui enarrationi verborum prophetæ, vt cogitemus quod nec dignitas, nec meritum noſtrum vllum flexerit Chriſtum, ad ſuccurrendum, ſed mera ipſius bonitas & φιλανθρωπία, qua complexus eſt humanum genus: iam ad verba prophetæ veniamus, in quibus quatuor ſunt ſpectanda.

Primum, Deſponſationis conſtantia & firmitas.

Secundum, Sponſi erga ſponſam beneficentia, & commiſeratio.

Tertium, fœdus mutuum, ſeu obligatio mutua, ſeu fides coniugalis.

Quartum, huius ſanctæ copulæ Chriſti ſponſi, & Eccleſiæ ſpōſæ fines. Hæc quatuor mediocriter explicata, & docēt, & monēt, & cōſolantur pios, qui Chriſto ſponſo copulati ſunt.

De primo.

Quæ est desponsationis Christi cum Ecclesia constantia & firmitas: hoc docet Dominus cum ait: Desponsabo te mihi in sempiternum. Pactum ergo Christi sponsi cum Ecclesia, & constantissimum est,& firmissimum:quantum quidem ad ipsum sponsum attinet: hic enim cum sit constantissimus, non mutabit animum, nec desinet vnquam amare quam sibi desponsauit, modo ipsa sponsa non turpiter ab eo defecerit, & se rursus polluerit abominandis adulteriis: tum enim non Christus sponsus, sed ingrata adultera fœdus rumpit. Eodem loquendi modo verbum Dei semen incorruptibile dicitur, per quod plurimi filii huic sponso nascuntur: quod semen si in aliquo suffocatur & perit, sine fructu, non est culpa seminis, sed semen intra se non retinentis, nec perit semen in se, quod ἄφθαρτον esse affirmat, 1. *Petri* 1. sed hominis respectu illud de agro cordis eiicientis. Christus *Iohan*.4. pollicetur non sititurum in æternum qui de aqua biberit quam ipse daturus est: quod profecto longe verissimum est, modo is qui eam biberit intra se, illā retinuerit: atque ita promissio Dei, & firma est & rata omni credenti, sed qui abiicit fidem, gratiam promissionis sua culpa abiicit. Est ergo hæc desponsatio Christi cum Ecclesia, constans & firma donec fides retinetur, qua amissa non soluitur promissio consilio sponsi, sed ingratitudine sponsæ, hominis qui fidem abiicit.

De secundo.

Quæ sit beneficentia sponsi erga Ecclesiam his verbis docetur: Desponsabo te mihi in iustitia & in iudicio, & in misericordia, & in miserationibus. Hæc verba pluribus & propheticis ac apostolicis concionibus explicantur, imo totum Euangelium ad horum explicationem pertinet: sed nos breuitatem propheticam breui enumeratione petita ex scripturis applicemus, continent autem hæc verba quatuor beneficia sponsi erga Ecclesiam, quæ ordine declarabimus.

Iustitia notat beneficentiam Christi sponsi erga Ecclesiā: nam cum ipsam dilectam, pro qua & seipsum tradidit sibi primum desponsat, lauit, vestit & ornat eam: lauit eam proprio sanguine a sordibus peccati, lotam vestit candida veste quam illi induit, dum eam iustificat, hoc est imputat illi suā iustitiam in salutem: ornat, dum eam spiritu sancto donat, vnde

Vnde fit vt multis virtutibus, amore Dei, & proximi inuocatione, gratiarum actione, timore Dei, patientia, aliisque virtutibus fulgeat pulcherrima coram Deo, & angelis eius. Et quia magna est adhuc Ecclesiæ infirmitas, eam portat, fouet, eius quotidie medetur vulneribus, & gratia tegit quod natura maculat, donec retineatur fides & bona conscientia. Atque hactenus de beneficentia prima, quæ nomine iustitiæ significatur.

Secundum beneficium, est iudicium, videlicet, defensionis & castigationis, iudicium defensionis, est quo Christus suam sponsam, aduersus Diabolum mirabiliter tuetur: nisi enim Christus suæ sponsæ adesset, non posset consistere aduersus Diabolum & eius membra qui sunt tyranni, Sophistæ, hypocritę, alastores, qui simul, sed diuersis viis Ecclesiæ insidias struunt: sed manet nihilominus firma vt quæ ædificata sit super petram, aduersus quam inferorum portæ, hoc est, Diabolorum, ministrorumque eorum deliberationes, consultationes, consilia, machinationes & arma quantumuis ignita non præualebunt, sed vincet in Christo, iuxta illud, hæc est victoria quæ vincit mundum, fides vestra. 1. *Ioh.* 5.

Iudicium castigationis est quo sponsus virga paterna sponsam in officio cōtinet. nā ea est corruptio humanæ naturæ quod etiam sanctissimi quique segnescant, & labantur, si diu manent sine castigatione: ideo Dauid ait *Psalm.* 119. bonum est mihi quod humiliasti me vt discerem iustificationes tuas. Item, priusquam humiliarer erraui: hoc castigationis iudicium ex amore proficiscitur, & in bonum eius qui castigatur, tendit. Quare non est irascentis, sed amantis iudicium, iuxta illud Salomonis: *Prou.* 3. *Heb.* 12. Dominus filium quem recipit, flagellat. Non ergo desperet Ecclesia sub cruce, sed animo firmo expectet liberationem, quod si autem id non fit in hac vita, adora consilium benigni patris & lætam catastrophen firma fiducia expectes, ita futurum est, vt cum Paulo & sentias, & dicas, sicut abundant afflictiones Christi in nos, ita per Christum abundat etiam consolatio nostra. 2. *Cor.* 1.

Tertium beneficium est misericordia, seu gratia, seu storga, & pietas, qua sponsus suam sponsam amplectitur, hæc facit vt infirmitatem, & multa errata sponsæ tegat, & non

omnia summo iure agat. Porro cum hæc misericordia, siue gratia Dei excedat teste Dauide, omnia opera Dei, quæritur non immerito cur non dico vlli, sed cur tam multi pereant, adeo quod filius Dei gemens dixerit, multi sunt vocati, pauci vero electi? *Matth.20.* Respondeo: Quæstionem soluit hoc ipsum Domini dictum: nam cum dicit, multi sunt vocati, indicat quam liberalis sit Deus & quam misericors, neminem enim vocat, cui gratiam negat. Rursus cum addit, Pauci vero electi, quæ sit hominum ingratitudo & contumacia ostendit. Proinde Deus misericordia & gratia sua reuera diues est in omnes, quod autem non omnes gratia ad vitā fiunt participes, eorum est culpa non Dei destinatio. Huc ergo pię instructionis causa duo adiiciamus, *Primum*, quisnam capax sit misericordiæ & gratiæ Dei, non enim omnes sunt eius capaces. *Deinde* quod misericordia Dei sine gratia debeat esse iusta, & ad regulam diuinę iustitiæ exigenda.

Quisnam ergo capax est misericordiæ & gratiæ Dei? qui habet cor capax, in cor enim misericordia & gratia Dei recipitur. Si ergo cor antea plenum fuerit, non erit misericordiæ & gratiæ Dei capax, quæ cor vacuum omnino requirit, vt sibi soli locus esse possit. Sed quodnam cor plenum vocas? quod vacuum? Vt enim cor plenum est quod vel sordibus peccatorum impletum est, hoc est, in quo retinetur peccandi propositum, vel merito operum tumet, cum quo gratia minime congruit: ita cor vacuum, est in quo non est peccandi propositum, & quod nullo prorsus merito nititur: huiusmodi cor solummodo capax est misericordiæ & gratię Dei, quale tum demum fit, quando legis ministerio adaptatum fuerit. Alterum quod hic admonendum duxi, est quod misericordia Dei debeat esse iusta, & ad iustitiæ diuinæ regulam exigenda, nam vt Deus est misericors, ita etiam est iustus, debet ergo eius misericordia esse iusta, iuxta ipsius iustitiæ regulam: Sed quænam quæso est ista regula diuinæ iustitiæ? Deus vt omnes contumaces absque misericordia vult damnari, ita omnes qui conuertuntur iuxta Euangelium sine omni exceptione vult saluari. Hæc regula diuinæ iustitiæ cogitanda est. ad hanc regulam Dauid sæpe confugit in Psalmis, quoties precatur

precatur Deum, vt se exaudiat propter suam iustitiam. Cum enim Dauid cuius exemplum tuto imitari poterimus, hoc facit, tria simul animo complectitur, videlicet promissionem gratiæ, remissionem peccatorum gratuitam, & precium quo satisfit iustitię diuinæ videlicet expiationem peccati per victimam filij, quam Dauid expectauit, nos exhibitam habemus. Vt ergo iustus est qui stat promissis, similiter qui captiuum dimittit accepto λύτρῳ, ita Dei iustitia in hoc commendatur, quod iuxta promissionem suam remittat peccata credentibus propter λύτρον filij, quod persoluit pro omnibus hominibus qui in ipsum viua fiducia recumbunt. Verum hic obseruanda est conditio consequens receptionem in gratiam, quam Paulus sæpissime inculcat. *Rom.* 8. Si Spiritu inquit facta carnis mortificaueritis viuetis. Item, si secundum carnem vixeritis moriemini. & *Galat.* 6. Nolite errare, Deus non irridetur: quæ seminauerit homo, hæc & metet, quoniam qui seminat in carne, de carne metet corruptionem, qui seminat in Spiritu, de Spiritu metet vitam æternam. & *Ephes.* 5. Nemo vos decipiat inanibus sermonibus: propter hæc enim venit ira Dei in filios contumaciæ. Enumerat autem Paulus eo in loco, scortationem, immundiciem, auaritiam, turpitudinem, & alia carnis opera, quæ qui fecerit subiicit, non obtinebit hæreditatem in regno Christi & Dei. Item 1. *Iohan.* 3. Filioli nemo vos seducat, qui facit iustitiam iustus est, sicut ille iustus est, qui facit peccatum, a Diabolo est, quoniam ipse a principio peccat.

Quartum beneficium, miserationum vocabulo significatur, quod continet summam consolationem aduersus tentationes, quales subinde in mentibus piorum suboriuntur ex cogitatione plurium lapsuum, & infirmitatum. Sæpe enim pius cogitat, Deus quidem est misericors, sed ego toties peccaui, toties offendi, forte Deus me propter tot mea peccata abiecit. Talis fuit tentatio Dauidis, cum diceret, Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Huic tentationi opponitur vox miserationum: quasi dicat, sint sane plurima peccata, vt vel æquent numero arenam maris, tamen miserationes Dei (teste Dauide) plures sunt, vt quæ exce-

dant omnia opera Dei. Et Paulus ait, gratiam multum peccatum superat. *Rom.*5. modo homo ad gratiam in vera pœnitentia confugerit: hæc interpretatio congruit cum exemplo Dauidis, qui *Psalmo* 51. vtitur iisdem vocabulis, nempe misericordiæ, & miserationum: Miserere, inquit, mei Deus secundum misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarum, dele, inquit, iniquitates meas. Misericordiam opponit peccato in genere: miserationes autem multis lapsibus, post factam reconciliationem, quibus fides amissa, & conscientia vastata, & Spiritus sanctus excussus erat. Vtitur autem hic significanti vocabulo Hebraico *Rechem*, sumpto a materna illa storga erga infantem suum, dum mater prolem quam genuit affectu materno complectitur, nec abiicit fructum vteri sui propter lapsus & sordes crebriores. Hunc affectum tribuit ipse sibi Deus apud *Esaiam capit.* 59. Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filij vteri sui? etsi illa obliuiscatur, ego tamen non obliuiscar tui. Et *Psalmo* 103. Sicut miseretur pater filiis suis, sic misertus est Dominus timentibus eum. Obseruanda est autem conditio quæ in eodem Psalmo additur, his verbis: misericordia Domini ab æterno & vsque in æternum est super timentes se, & iustitia eius in filios, filiorum eis qui seruant testamentum eius, & qui memores sunt mandatorum eius & faciunt ea.

De Tertio.

Desponsabo te mihi in fide: & His verbis fœderis mutui sponsi Christi & sponsæ Ecclesiæ obligatio significatur: Etsi autem sponsa Ecclesia non præscribit Christo pacti conditionem, sed Christus sponsę, nam in illius arbitrio est conditionem præscribere, sicut in testamentis fieri solet, tamen eius bonitas tanta est, quod sponte sua conditionem subeat, non tamen a sponsa sed a seipso sibi pręscriptam, idque in hunc finem vt ipsa sponsa sit securior de promissis bonis.

De Quarto.

Et cognoſces IEHOVA. Hic finis deſponſationis eſt, nimirum vt ſponſa ipſa cognoſcat IEHOVA: Complectitur autem cognitionis vocabulum, Tria: nempe notitiam, fiduciam, & cultũ de poſtremo potiſſimum hic agitur: Finis enim deſponſationis Chriſti & Eccleſiæ eſt, vt ipſa ſuum ſponſum veris cultibus colat, mente, corde, ore, opere, idq; omnibus diebus vitę ſuæ. Sic enim Zacharias canit *Lucæ* 1. Atque hęc ſint dicta de verbis Hoſeæ Prophetę.

Exultat vt Gigas ad currendam viam. HÆC Tertia collatio eſt. Primum contulit Chriſtum Soli: deinde Sponſo: nunc Giganti eum comparat, non aliam ob cauſam quam vt ſciamus illum per ſe ſatis potentem eſſe, & ad ſuos tutandos, & ad profligandos hoſtes. Omnis enim poteſtas in cœlo & in terra illi data eſt. Hinc petat ſponſa Chriſti conſolationem ſub cruce, ſtatuatque ſuum ſponſum potentiorem eſſe omnibus Diabolis & tyrannis mundi. Hæc ſint ita breuiter dicta de myſtica interpretatione primę partis huius Pſalmi, nunc ad reliqua pergamus.

De Secunda Parte.

DIximus ſupra hanc ſecundam Pſalmi partem continere Encomion verbi Dei eiuſque vſum oſtendere: Vt enim in parte prima indicauit Dauid quomodo hoc aſpectabile cœlum viciſſitudo dierum & noctium & inter cœli lumina ſol ipſe mirabiliter deprædicat gloriam Dei, qui hæc ſua potentia creauit & conſeruat, ſua bonitate ornat, ſua ſapientia dirigit in hominum vtilitatem, & in ſuam gloriam. Præterea quomodo Chriſtus ipſe medius vt Sol iuſtitiæ ſuos il-

luminat, vt copiose supra a nobis dictum est, ita in hac secunda parte huius Psalmi ostendit alium modum illustrandæ gloriæ Dei, videlicet per verbum, nam verbum multo illustrius gloriam Dei annunciat, & monstrat quæ sit vis verbi & fructus, quantumque boni inde percipiant qui illud amplectuntur, discunt, obseruant: præsertim cum sine hoc verbo, nihil sani de Deo scitur, nihil de operibus Dei vt par est cognoscitur, nihil de modo euadendi sempiternam miseriam & consequendi æternam beatitudinem nascitur, denique nihil de discrimine populi Dei & aliarum sectarum haberi potest.

Antequam autem Textum huius partis enarrabimus, monendi sunt auditores, primum, quam verbi Dei infallibilis sit certitudo. Deinde quæ sit de Messia exhibito, videlicet, Iesu Christo demonstratio, in qua mens pia acquiescere secure poterit. Tertio, de vtilitate scripturæ in genere, & eiusdem accommodatione ad vsum in tota vita.

De primo.

Multis modis verbum Dei omnem certitudinem philosophicam superare firmissime tenendum est: nititur enim firmissimo testimonio, eoq; duplici, videlicet, externo & interno: Externum est quod in sensus incurrit, vt mens illo apprehenso veluti diuino quodam sigillo de veritate & certitudine verbi Dei confirmetur. Huius externi testimonii partes enumerare soleo, patefactionem diuinam, miraculorum veritatem, congruentiam propheticarum prædictionum & euentuum, perpetuum consensum veræ Ecclesiæ in doctrina & cultu, tanti temporis duratione, denique cruentam plurimorum Martyrum confessionem. Internũ testimoniũ est quod Spiritus Dei dat Spiritui nostro id est, obsignatio doctrinæ cælestis, & adoptionis in mente

&

& corde hominis per Spiritum sanctum, iuxta illud Pauli ad *Ephe.* 1. In quo & credentes obsignati estis Spiritu promissionis sancto qui est pignus hæreditatis nostræ: ad *Gal.* 3. Misit Spiritum Filii in corda vestra clamantem Abba, pater. 2. *Corinth.* 1. Qui confirmat nos vobiscum in Christum, & qui vnxit nos Deus est, qui etiam obsignauit nos deditque arrabonem Spiritus in cordibus nostris. Hæc duo testimoniorum genera simul coniuncta ita conuincunt animum hominis de immota certitudine verbi Dei vt dubitare amplius non possit. Propter hanc immotam verbi Dei certitudinem Paulus ad *Hebræos* 11. definit fidem esse ἔλεγχον, id est notitiam certam quę mentē hominis ita conuincit vt nemo ei contradicere possit, omnes enim & singuli articuli fidei firmis, propriis, immotis, & perspicuis testimoniis stabiliuntur.

De secundo.

Etsi Iudæi multi Mosen, & Prophetas, cōuicti certitudinis causis quas recitauimus, recipiunt, tamen Christum Iesum Messiam illū esse qui promissus sit impudenter negāt, quibus duo fortissima propugnacula obiiciamus, quorū vi, & vanitas Iudæorum retundetur, & mentes piorum ita in vera sententia confirmabuntur, vt de Christo Messia, & saluatore nostro vnico in Spiritu exultent & triumphent aduersus omnes Diabolos & homines impios.

Propugnacula autem hæc sunt: Prius prædictio prophetarum de rebellione & cōtumacia Iudæorū aduersus Christum: Posterius quod est pręcipuum, demonstratio immota quod Iesus Marię virginis filius sit Mesias olim patribus promissus. De his ordine, sed breuissime dicam.

Prædictio Prophetarum de rebellione ac contumacia Iudæorum aduersus Christum passim per vniuersam scripturam occurrit. Verum ne nos multitudine testimoniorum quasi defatigemur, quinque prophetarum solūmodo testimonia ascribam. *Primus* sit Moses. *Deut.* 18. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum qui verba eius quæ loquetur in nomine meo audire noluerit, ego vltor existā: Item: 28. Si audire nolueritis vocē Domini Dei tui, mittet Dominus super te maledictionē & perturbatio-

nem donec conteret te. Item, remanebitis pauci numero, qui fuistis vt astra cæli præ multitudine quoniã nõ audisti vocem Domini Dei tui. *Secundus*: Sit Dauid, qui in 2. Psalmo, Et clare prædicit fore vt populus Iudaicus se Christo opponat, quare (inquit) fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania, Astiterunt reges terræ, & principes conuenerũt in vnum, aduersus Iehoua, & aduersus Christum eius: Et nilominus affirmat Christum constitutum iri super mõtem Sion: hoc est: Ecclesiã, simulq; beatos fore qui confidunt in eo: *Psalmo* 22. copiose rabiem Iudæorum aduersus Christum describit, vbi inter alia hæc de Iudæis scripta sunt: Quoniam circumdederunt me canes, consilium malignantium obsedit me. *Psalm.* 119. Fiat mensa eorum coram ipsis, & in tribulationem & in scandalum. Item lapidem quem reprobauerunt ędificantes, hic factus est in caput anguli. *Tertius* sit Esaias *cap.* 1. Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis, semen admodum paucum, qua si Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus. Item. 8. Ecce pono in Sion lapidem offensionis. *cap.* 10. Si fuerit numerus filiorum Israel vt arena maris, reliquiæ saluæ erunt & 53. Videmus eum & non erat aspectus, vnde nec reputauimus eum 65. Tota die expandi manum meam ad populum incredulum & contradicentem mihi. *Quartus* sit Daniel, qui *cap.* 9. clarissime de contumacia populi aduersus Christum vaticinatur, adeo quod eum occiderint, cuius facti pœna erit (vt Daniel testatur) definita vastitas. *Quintus*, sit Ieremias, hic *cap.* 11. ait, irritum fecerunt Israel, & domus Iacob pctum meum, quod pepigi cum patribus eorum, quamobrem hæc dicit Dominus, Ecce ego inducam super eos mala, de quibus exire non poterunt, & clamabunt ad me, & non exaudiam eos. Omitto alia testimonia pene infinita: hæc enim cum eis apertissime euentus respondet, sufficiunt ad conuincendam contumaciam & rebellionem maximæ partis Iudaici populi aduersus Christum. Contumaciæ autem huius in populo Israelitico. Duæ sunt præcipuæ causæ, vna anticipata & veternosa opinio, de Messia, eiusque regno, quod mundanum fore somniabant, nihil enim difficilius est, quam opinionem diu confirma-

tam

tam deponere. Altera hypocrisis cui ancillatur Sophistica, & superbia: Sophistica quidem omnia corrumpit & detorquet, vt non sit veritati locus: Superbia vero rectius admonentes contemnit, & tanquam ex alto despicit, vt quæ se solam sapere existimet, vtraque simul excæcat hominem, vt lucem veritatis aspicere nec velit, nec possit.

Demonstratio quod Iesus Mariæ virginis filius sit Messias patribus olim promissus iuxta scripturas, & ante annos mille quingentos, septuaginta octo exhibitus est. Is solus absque omni dubio ac verissimo verius, atque adeo omnium confessione apud quos veritas locum habet vllum, est Messias verus & vnicus in quem omnia prophetarum vaticinia concurrunt, cuique soli conuenit quicquid de Messia dictum est a sanctis Dei Prophetis, Mose, Dauide, & aliis. In Iesum Mariæ Filium concurrunt omnia Prophetarum vaticinia, & huic soli Iesu conuenit quidquid de Messia prædictum est a Sanctis Dei prophetis, Mose, Dauide, & aliis: Ergo, solus Iesus Mariæ Filius est Messias verus & vnicus. Propositio ab omnibus amplectentibus Mosen & prophetas recipitur: De minore qui est κρινόμενον, inter nos & Iudæos controuertitur: Verum firmitas fidei nostræ, vt Augustini verbis vtar, in eo est, quia omnia quæ euenerunt in Christo prædicta sunt. Porro omnia quæ Scriptura habet de Christo quibus Iesus Filius Mariæ virginis probatur esse promissus Messias, ad duo capita reuocari possunt, quæ sunt, signa & pronunciata scripturæ, quibus historia Euangelica respondet: Signa fuere sacrificia, sacramenta, Typi & miracula: Pronunciata scripturæ sunt perspicua & clara dicta in Mose, Psalmis & Prophetis, de Christo ad quæ ipse Christus prouocat cum ait *Lucæ* 24. Necesse erat impleri omnia quę scripta sunt in lege Mosis, Psalmis, & Prophetis de me. In hoc ergo positum est fundamentum & robur fidei Christianorum, quod dicta veteris Testamenti, id est, Mosis, Dauidis, & Prophetarum: & noui testamenti, id est, Euangelistarum, & Apostolorum de Christo per omnia conueniant. Hæc autem Prophetarum & Apostolorum congruentia de Christo ad octo capita, quę sunt promissio, persona,

qualitas personæ, officium, aduentus, acta, euenta, vsus fructusque, commode referri potest. Verum quia & de signis & dictis quibus respōdet euentus dictum est a me copiose in libello, cui titulus est Demonstratio indubitatę veritatis de Domino Iesu, vero Deo ac vero homine, &c. Ad quem Libellum auditores remitto: hic solummodo vnum adiiciam quod potissimum impedit Iudæos quod minus statuant Iesum esse promissum Messiam, hoc videlicet, quod prophetæ inter alia tribuent Messiæ sedem Dauidis super montem Sion, & quod regna mundi debeant Messiæ subiici in quibus potēter dominabitur vsq; ad terminos terræ: hęc inquiunt vaticinia minime conueniunt illi Iesu quē Christiani Messiam esse dicunt. Hæc cæcitas Iudæorum potius est deploranda, quam multis verbis refutanda: Nam pessime diuidunt quæ componenda essent. Deberent primam promissionem de Messia reuocare in mentem, quæ est, semen mulieris, id est, Messias conteret caput serpentis: Ex qua colligerent Christum debere esse regem non quidem mundanum, sed spiritualem, vt qui Satanam vinceret, peccatum & mortem destrueret. Deinde prædictiones maiestatis regis Christi accommodarent primæ promissioni ac iuxta eam interpretarentur quæ sub figuris regnorum mundi dicta sunt de Christo: quod si facerent, facilime intelligerent externa illa esse Symbola Spiritualis administrationis regni Christi. Hic proinde locum habet regula Dialecticorum, Talia sunt prædicata, qualia subiecta permiserint: Quare cum Christus sit rex non mundanus sed cælestis, qui suum regnum verbo & Spiritu iuxta Prophetarum vaticinia administrat, ea quæ dicuntur de eius regno in prophetis sub figuris regnorum mundi, deberent non proprie sed figurate accipere, ne descriptio regni Christi pugnaret cum qualitate regni & modo administrationis.

De tertio.

De vtilitate verbi Dei, & eius accommodatione duo solummodo dicta Pauli adiiciam, propterea quod Dauid in hoc Psalmo occasionem plura dicendi suppeditabit. Dicta Pauli hęc sunt, *Rom.* 15. Quæcunque præscripta

sunt

ſunt, in noſtram doctrinam præſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus. Hoc Pauli dictum duplicem vtilitatem ſcripturæ nobis commendat. *Prior*, eſt quod nos doceat, ſcilicet, quid ſit ſentiendum, quid credendum, quid agendum, quid expectandum, & quæ his contraria ſunt, quorum omnia exempla paſſim in ſcripturis occurrunt. *Poſterior*, quomodo nos in certaminibus ſine quibus Eccleſia in hoc mundo non poterit eſſe, gerere oporteat, videlicet, vt cum vel foris vel intus premimur, patientiam ſanctorum, videlicet, regum, Prophetarum, Martyrum, & ante omnia Ieſu Chriſti nobis ob oculos mentis ponamus, eorumque fortitudinem ſtrenue imitemur, donec eorum exemplo victoriam conſequamur per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui vt iuſtus iudex victoribus coronam iuſtitiæ in regno patris paratam habet. Huic vſui ſcripturæ ſeruiunt memoriæ ſanctorum quæ olim frequentius in Eccleſia celebrabantur, in hunc ſolummodo finem, vt pii qui perſequutionem paterentur, ſe exemplis ſanctorum Martyrum ad patientiam erigerent. Alterum dictum Pauli eſt 2. *Timoth.* 3. Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata eſt, & vtilis ad doctrinam, ad redarguendum, ad correctionem, ad inſtitutionem ſeu diſciplinā quæ eſt in iuſtitia, vt integer ſit homo Dei & ad omne opus bonum apparatus. Vt prius dictum quod ex Paulo adduximus vſum ſcripturę communem nobis commendat, ita hoc poſterius potiſſimum de accommodatione agit, modos enim recitat quibus miniſtri Euangelii ſcripturas ſuis auditoribus accommodabunt. Qui opus habent vt doceantur, eos doceant: qui dubitant aut etiam ſanæ doctrinæ aduerſantur, aut qui ſcandalo Eccleſiam offendunt, eos tempeſtiue & intempeſtiue coarguant, ac contumaciā contundant quantū poſſint. Qui labuntur ex infirmitate, eos paterne corrigant, lapſos erigāt & ſtabiliant, verbis, ſacramentis, exemplis, conſolationibus, qui recte viuendi rationē non tenent, hos inſtituant ad ſancte pieque viuendum eoſque ſancta diſciplina regāt, idque vt integer ſit homo Dei ad omne opus bonum apparatus: Atque ita docet Paulus hoc dicto quod nihil deſideretur in ſcripturis quod ad perfectionem Chriſtianam pertinere videatur. Proinde qui vnica ſcriptura tanquam

perfectionis regula contentus non est, is sciat se & in Deum contumeliosum esse, quasi is nesciret suis legem viuendi perfectam præscribere, & propriæ salutis hostem. Nam qui aliam salutis & perfectionis viam quærit, quam quæ in scripturis præscripta est, is haud dubie omni salute excidit.

7. *Lex Iehoua perfecta conuertens animam, testimonium Iehoua fidele, sapientem efficiens paruulum.*

TExitur in hac parte Psalmi, vt supra quoque admonui, Encomion verbi Dei: Breue quidem fateor si verba spectes, sed si pondera rerum æstimes, admodum longum. Nam si doctrinas, admonitiones, & consolationes quæ in eo latent euolueris, admiraberis copiam, sapientiam prædicabis, autorem amabis, & gaudebis te socium esse eorum quibus Deus hoc suum verbum reuelare dignatus est. Dauid extollens beneficia Dei erga Gentem Iudaicam, *Psalmo* 147. inter alia hoc addit: Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis. Verum nos longo illustriori sui verbi luce donauit, qui in eius possessionem venimus quod promissum erat Iudæis: Sed nobis cauendum est: ne idem nobis quod ipsis, & multis aliis late per orbem accidat: hoc est, ne ingrati inueniamur vt ipse nos tanto bono spoliet. Porro hoc Encomion verbi Dei a Spiritu sancto dictatum Dauidi omnibus furiosis iudiciis Tyrannorum, Sophistarum, Epicureorum, politicorum virorum & Sycophantarum opponamus. Quoties ergo ea audimus, quibus vel minimum adimitur autoritati verbi Dei, occludamus aures. Non dico tanquam ad Syrenarum cantus, sed tanquam ad venenatum sibilum serpentis, qui primos parentes nostros mendacio & extenuatione vocis diuinæ decepit, quos deceptos a Satana Deus iustissime maledictione & morte æternum mancipasset, nisi rursus sua voce, idque ex mera bonitate ipsemet Adamum erexisset ac promissione seminis contrituri caput serpentis sustentasset. Vt autem ista ad nostros vsus commodius transferamus, partes huius Encomii verbi Dei distincte proponemus, & indicabimus, prius indicata ratione cur verbum Dei *Thora* hoc est lex dicitur. Docti plurimi in hoc consentiunt quod

quod *Thora* lex, a *Iara*, id est docuit, dicatur: Sed cur verbum *Iara* ad docendum translatum sit apud Hebræos obseruatione dignum videtur. Nam similitudine pulchra significatur, quodnam sit legis, hoc est verbi Dei effectum proprium, videlicet, dirigere hominem doctrina Dei in recta via, scilicet vt a scopo, id est voluntate Dei non aberret, vt *Thora* seu lex sit vitæ institutio ad voluntatem Dei tanquam ad scopum ordinata seu directa, vt nec ad sinistrã, nec dexteram homo declinet. Est enim *Iara* inter alia dirigere, vt cum quis sagittam in scopum dirigit. Cum his pulchre conuenit quod supra dictum est de regula seu Amussi Apostolorum, etsi diuersa est Metaphora: In omnem, inquit, terram exiuit sonus eorum, vbi ex hebræo vt supra admonuimus regula seu amussis intelligitur: Vox enim hebræa *caf* id est, regula seu amussis dicitur, quia verbum Dei debet esse regula ad quam domus Dei, hoc est Ecclesia sit extruenda, idque super fundamento vnico qui est Christus Iesus. Sunt alii qui *Thora* deducunt a *Thur*, id est, dispositione, propterea quod disponat ac ordinet Lex, id est verbum Dei, credenda, facienda, & vitanda: Vt cum dubites de aliquo, ad verbum Dei tanquam infallibilem regulam confugias. Porro lex Dei vt distinguitur ab Euangelio est duplex, videlicet insita naturæ, & lata. Lex naturæ insita, quæ & æterna lex Dei dicitur, accipitur generatim & speciatim. Generatim quidem est, qua constituuntur, reguntur & feruntur res naturæ, iuxta legem quam Deus indidit in creatione, etiam iis rebus, quæ sensu & ratione carent, cuius generis sunt, corpora cœlestia, maria, flumina, fontes, plantæ, & omne animantium genus: siue enim quodque horum naturæ legibus obtemperat. Speciatim vero lex naturæ spectatur in solis hominibus vt quæ illis in creatione insita est, & recte definitur esse certa & indubitata Dei sententia animis hominũ inscripta, qua docemur quas res sequi, quasque fugere oporteat: huic diuinitus addita est conscientia, vt sit iudex & testis eorum quæ ab hominibus fiunt, contra hanc legem. Lata lex Dei est, quæ scripto constat, & est triplex, moralis, ceremonialis, & iudicialis, harum prima sententia congruit cum lege naturæ, ideoque perpetua & æterna est. Media & vltima quatenus cum naturæ lege congruunt, perpetuæ sunt: quatenus

præter eam aliquid ordinant ad certum tempus, liberæ sunt, & neminem obligant post deletam rempub. Mosis. Apud Græcos lex dicitur νόμος aptissimo vocabulo, dicitur enim ἀπὸ τοῦ νέμειν, id est ab ordinando, regendo, reddendo, & pascendo: ordinat enim lex formam Reipublicæ, & officium personarum, in publicum & priuatum bonum, regulas quibus mores publice & priuatim regantur præscribit, redditque vnicuique præmia & pœnas pro suis meritis: atque ita homines legum obseruantia, veluti pascit, vt incolumis humana societas conseruetur. Huic custos iudex, & vindex diuinitus attributus est magistratus. Verum vt ad propositum redeamus, noster Propheta legem accipit, vt initio diximus pro omni verbo Dei, vt simul etiam, idque præcipue Euangelium complectatur. Iam partes Encomii legis ordine videamus.

PRIMA.

Lex IEHOVA *est perfecta.*

Siue vt Græcus habet ἄμωμος immaculata, hoc est, verbum Dei est perfectum, & ex omni parte purum, vt quod & a purissimo fonte Deo manat, idque per Filium perfectum Deum, & puros efficit eos qui ei credũt & obediũt, ideo Dominus ait, Beati qui audiũt verbũ Dei & custodiunt. Itẽ: Beati integri in via, qui ambulant in lege Domini. Contra vero humana quantumuis nitida & splendida appareat, tamen nõ ex omni parte est mũda nec mundos efficit. Vt enim diuina doctrina suam originẽ sapit quæ perfecta est sancta, & pura: ita humana doctrina hominem sapit a quo est profecta. Vt ergo homo immundus & impurus est, ita quoque ipsius doctrina quantum quidem ad salutem, & diuinum cultum attinet, immunda est & impura. Socratica doctrina quam Plato exornauit suo quodam iure inter Philosophorum doctrinas principem locum occupare videtur, quæ profecto etsi plurimas bonas & veras sententias de Deo, de prouidentia, deque finehominis continet: tamen turpissimo cœno contaminatur cũ promiscuas libidines legibus approbet Plato. Et autor istius doctrinæ Socrates suo exemplo turpiora quam vt a nobis referenda sint, cõprobat. Quare cum Socrates & Plato animam hominis ab vna

parte purgare conantur, ab altera eam abominandis sceleribus fœdant. Sed lex Dei seu verbum Dei vt est ex omni parte purum, ita ex omni parte animam hominis, qui illud fide viua recipit, immaculatam & perfectam reddit, liberat enim eam ab erroneis opinionibus, imbuit eam veris sententiis de Deo, eius voluntate & cultu, excitat in ea per Spiritum Christi affectus puros, quibus cum assentitur voluntas, actiones interiores & exteriores tanquam riuuli puri ex purissimo fonte manant. Quid an non Iohannes ait, 1. *Iohannis* 1. Si dixerimus quod peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est? Agnosco dictum Iohannis: sed idem 1. *Iohannis* 3. dicit: Quisquis natus est ex Deo, peccatum non habet, quia semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quia ex Deo natus est. Respondeo. Verbum peccandi accipitur dupliciter: in priori Iohannis dicto sumitur pro vicio hærente in natura, & pro affectibus prauis subinde inde pullulantibus. Item, pro actionibus ex ignorantia commissis. Ab huiusmodi peccato nemo vel sanctissimus liber fuit post lapsum primorum parentum, excepto vno Iesu Christo. In posteriori dicto Iohannis, peccatum significat habitum & studium peccandi cum contumacia & ex proposito, tale peccatum non est in sanctis, huius igitur respectu fideles dicuntur integri, puri, & immaculati. Est enim in illis constans voluntas & προαίρεσις recte faciendi. Tametsi igitur nemo in hac vita ad eam peruenire potest puritatem, vt prorsus ex omni parte sit purus, & ab omni peccato mundus, tamen cum Deus ex sua mera bonitate tria faciat. *Primum* enim emundat nos a peccato sanguine filii sui. *Deinde*, imputat nobis iustitiam filii, qua perfecti, iusti, & integri sumus coram Deo. *Tertio* dat nobis Spiritum sanctum qui in nobis inchoat nouam obedientiam, facitque vt opera carnis quotidie mortificemus: non iam pro immundis & impuris habemur, sed pro purissimis & sanctissimis, atque ita discernendum est inter id quod habemus a natura nostra, & quod habemus ex gratia Dei. Quemadmodum Paulus facit *Rom*. 7. cum ait, Infœlix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia Dei per Iesum Christum. Hoc autem fit cum ex gratia Dei non imputatur nobis peccatum, dum imputatur nobis iustitia Christi, dum donamur Spiritu sancto, qui reddit testimonium spiritui nostro quod sumus filii

Dei. Vide quæ supra annotauimus in vndecimum versum Psalmi decimi quinti.

Porro cum hic instituo collationem inter diuinam & humanam doctrinam atque illam perfectam & mundam, hanc autem immundam affirmo, nemo existimet hoc a me dictũ esse vt iuniores absterream a Philosophico studio, quod tum demum magnas vtilitates adferat, cum recte vsurpatur. Quare magnifacio Platonem, Aristotelem, aliosque philosophos & gratias ago Deo qui luce doctrinæ cœlestis excutit nebulas quæ subinde in philosophorum scriptis oculis mentis obiiciuntur. Porro hoc verbi Dei encomion etiam opponendum est Anabaptistis quibusdam, & aliis nonnullis, qui nihil tribuunt ministerio verbi Dei, sed expectant enthusiasmos seu diuinas inspirationes sine verbo, putantes voluntatem hominis non flecti posse prædicatione verbi, sed habere se repugnatiue & hostiliter donec violẽter immutetur. Quod si ita sit quis quæso vsus est ministerii verbi, sed istis tanquã vanissimis omissis, credamus veritati, dicenti *Lucæ* II. Beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud: item *Rom*.1. Euangelium est potentia Dei in salutem omni credenti.

Secunda.

Conuertens animam. Hoc est: retinens & recreans, id est, hilaritatem, ac saturitatem quandam spiritualem animæ, seu cordi pariens: hic sol aspectabilis recreat quidem hominem, sed illa recreatio nihil est, si conferatur cum ea refectione quam verbum Dei animæ adfert, iucundissimam & saluberrimam: animæ siquidem hominum sine verbo Dei grauissima siti arent, ac fame quadam spirituali tabescunt, quæ refici & saturari minime possunt, priusquam conuertantur ad Dominum, & potentur salutaribus fontibus Israel, hoc est, verbo Euangelii, nam conscientia scelerum sitim hanc & famem auget, quam solus Euangelii liquor mitigat & tollit, dum replet donis suis famelicam animam. Vt autem sitis & fames animæ est appetitus refectionis animæ, conscientia peccati, sensu iræ Dei, & metu æternæ damnationis afflictæ, prostratæ, desperabundæ, ita recreatio & saturitas animæ est refectio animæ, quæ fit per aquam viuam, & panem illum viuum qui de cœlo descendit. hic panis fide comestus, hæc aqua fide hausta famelicam & sitientem animam recreat,

nutrit,

nutrit, fouet, viuificat, dum homo in Christum viua fide recumbens erigitur merito Christo passi & mortui pro nobis, & sentit consolationem in corde, contra peccatum, iram Dei, desperationem, damnationem, & mortem æternam. Huius aquæ, & huius panis meminit Dominus apud Iohannem: aquæ quidem *Iohannis* 4. cum ait, qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Panis vero *capit.* 6. vbi carnem suum cibum, & sanguinem suum potum, & vtrumque simul panem vitæ nominat, caro, inquit, mea verus est cibus, & sanguis meus vere est potus. Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Et paulo post, hic est panis qui de cœlo descendit, qui ederit hunc panem, viuet in æternum. Quid autem sit edere hunc panem, ipse Dominus docet, cum ait, Qui venit ad me, (fide) non esuriet, & qui credit in me, non sitiet vnquam. Venire ergo ad Christum & credere in Christum pro eodem sumuntur. Proinde credens in Christum, recreatur aqua, quam ipse dat, & saturatur pane cœlesti, qui ipse est, quique dedit se pro mundi vita. Sed quid inquies hæc ad verbum? plurimum sane, verbo enim Euangelij monstrat nobis hanc aquam & hunc panem, docetque quomodo, hæc salutaris aqua sit haurienda, & hic panis vitæ edendus, nempe per fidem in Christum.

TERTIA.

Testimonium Domini fidele: hoc est, verbum Domini est Testimonium Dei minime fallax. Etsi autem testimonij nomen latius accipi potest, tamen hoc loco illud tantum referamus ad tria videlicet ad verbum testificans de voluntate Dei in genere. ad opera factaque Dei. Ad monumenta memoriæ causa hominibus diuinitus commendata. *Primum* ergo, verbum Dei est testimonium de voluntate Dei erga homines. Cuius voluntatis certam, claram, & immotam regulam tradit, videlicet, legem & Euangelium. Vt enim vox legis, est testimonium Dei, quod Deus sine personarum, sexuum, nationum, & conditionum acceptatione velit omnes contumaces, perseuerantes in sua con-

tumacia, & non agentes pœnitentiam ante mortem, abiicere cum Diabolis, & hostibus Dei in æternas tenebras & pœnas: ita vox Euangelij, est testimonium Dei, quod Deus velit propter filium omnes homines quantumuis maximis & horrendis flagitiis & fascinoribus contaminatos recipere in gratiam, vt æternæ hæreditatis scribantur hæredes, modo Euangelio crediderint, & viua fiducia in filium qui dedit seipsum ἀντίλυτρον pro peccatis mundi, recubuerint. Propter hoc immotum testimonium Dei de ipsius voluntate, verbum Dei merito dicitur fidele, & verbum Euangelij dicitur ipsa veritas, vt in illo dicto *Iohan.* 17. Sermo tuus veritas est, item, *Iohan.* 8. Veritas liberabit vos. Nam Euangelium quod est verbum veritatis omnibus promiscue liberationem offert. Hoc Dei Testimonium quidam in dubium vocant, dum gratiam Euangelij particularem docent, contra manifestum testimonium Dei, quale hoc est inter multa: Deus vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Item, Deus est longanimis nolens vllos perire, sed omnes ad pœnitentiam, id est, conuersionem recipere. hoc Dei Testimonium firmissime teneamus, nec sinamus nos inde abduci vlla Sophistica, sciamus Deum vere iuxta suum testimonium de se, diuitem esse in omnes.

Secundum: Testimonium Dei opera factaque Dei complectitur: opera quidem, qualia sunt, creationis, conseruationis, saluationis item, miracula quibus testatur Deus de verbi sui certitudine, facta vero, iustitiæ quidem iuxta vocem legis, misericordiæ vero secundum promissionem Euangelij. Vtraque in multis exemplis cernuntur. Hinc sancti petant consolationem in suis tentationibus & persequutionibus cum Dauide, qui *Psalmo* 119. inter alia ait, Testimonia tua sunt gaudium meum, & viri consilij mei. Item, adhæsi testimoniis tuis, noli me confundere. Item, testimonia tua meditatio mea est.

Tertio. Testimonij appellatio monumenta complectitur diuinitus ordinata ad conseruandam memoriam operum, factorumque Dei quæ homines scire magnopere refert: Sic septimus dies, Iudæis erat testimonium Dei, hoc est, monumentum quo semel saltem in qualibet septimana admonerentur creationis rerum, quæ quia sexto die erat absolu-

abſoluta, ſeptimum diem in eius rei memoriam ordinauit, iuſſitque eam quiete ſanctificari. Paſcha Iudaicum, teſtimonium Dei erat, hoc eſt monumentum angeli tranſilientis domos Hebræorum ſanguine agni conſperſas & liberationis populi e ſeruitute Ægyptiaca, & promiſſionis agni qui ablaturus eſſet peccata mundi. Pentecoſte, monumentum erat datæ legis in lapidibus tabulis. Feſtum tubarum, monumentum erat liberationis Iſaach ab imolatione. Feſtum tabernaculorum, monumentum erat reuocans in memoriam habitationem Iſraelis in deſerto quadraginta annis, in tabernaculis. Sic in nouo Teſtamento baptiſmus, inter alia monumentum eſt, ordinatum ad conſeruandam memoriam Chriſti, mortui, & reſuſcitati. Cœna Domini, monumentum eſt ordinatum ad conſeruandam memoriam ſanctionis noui Teſtamenti, per traditionem corporis Domini in mortem, & effuſionem ſanguinis eiuſdem pro multis in remiſsionem peccatorum.

QVARTA.

Sapientem efficiens paruulum. Philoſophi multa de ſapientia diſputant, ſed ad veram ſapientiam ſine verbo Dei nulli patet aditus. Plato quidem definiuit ſapientiam eſſe virtutem cum eruditione liberali coniunctam. Hæc definitio tametſi vera eſt, tamen non recte eam Plato explicare potuit, nam nec quæ ſit vera & ſalutaris eruditio Plato nouit, nec quænam ſit vera intellexit, nihil enim recte ſciuit de Deo, aut eius voluntate, nihil ſciuit ſolide de Dei operibus quæ ſunt, vt præcipua referam, ſapientia in conditione hominis, iuſticia in lapſu hominis, miſericordia in reparatione hominis, miſericordiſſima bonitas in conuerſione peccatoris, ignorauit diſcrimen familiæ Dei, & aliarum ſectarum, ignorauit viam euadendi ſempiternę miſerię & obtinendæ æternæ beatitudinis, ad quam homo conditus eſt, ignorauit modum colendi Dei, in quo vno vera virtus conſiſtit: Breuiter omnia quæ dicunt ſapientes mundi de ſapientia, nihil ſunt, ſi conferantur cum verbo Dei, niſi faſtus & εὐμορφία λογων, nõ enim ſunt vel vmbræ veræ ſapientiæ, quam lex Dei continet quamque no-

bis hoc Dauidis dictum commendat. Vt autem quid sit sapientia vera intelligatur, primum nominis rationem inuestigabo, deinde cum distinctionibus definitiones adiungam, tum iustam descriptionem sapientiæ Christianæ exponam.

Nominis ratio hæc est, quod vox sapientia a sapore iuxta Bernhardum dicatur: quod enim sapor est palato, hoc rerum bonarum cognitio est animæ, atque ideo sapientia dicitur. Cum hac ratione nominis congruit Solomonis dictũ, *Prouer.*24. Comede mel quia bonum est, & fauum quia dulcis est palato tuo: sic sapientia suauis erit animæ tuæ si inueneris eam. Dicitur ergo rerum bonarum contrariorumque cognitio, sapientia, propterea quod animo sapiat. Præter increatam sapientiam, sapientiæ vocabulum tripliciter accipitur, videlicet, generaliter, atque nunc definitur esse rerum diuinarum, humanarumque cognitio. Moraliter autem definitur in hunc modum a Lactantio. Sapientia, est & intelligentia ad bonum rectumque faciendum, & abstinentia dictorum, factorumque improborum. Cum autem de Christiana intelligitur, in hunc modum recte definiri poterit: Christiana sapientia, est ordinata notitia, sententiarum scripturæ de Deo, de voluntate Dei, veneratione & cultu, cui vita expectantis promissam in Christo salutem quantum per infirmitatem humanam liceat respondet. Vel in hunc modum, sapientia Christiana, est noticia rerum optimarum cum vera pietate, & virtute coniuncta. Hæ definitiones hac illustrantur descriptione, vera & Christiana sapientia, est firma mentis de Deo, voluntateque ipsius ex verbo Dei petita persuasio: Est viua fiducia cordis iuxta promissiones diuinas: Est prompta & alacris omnium virium obedientia erga Deum: Est constans perseuerantia in recto cursu, vsque ad finem vitæ, quem vitæ finem mox salus animæ excipit, in extremo autem die æterna gloria in Christo Iesu hæc sapientia solius Ecclesiæ Christi est, nam cum huic sapit Euangelium, & crux Christi vere sapere dicitur, & vera sapientia prædita est. Dicitur autem hæc sapientia diuina & Christiana: Diuina quidem a causa, a Deo enim est profecta, Christiana vero a possessione, quia a solis Christianis seu ab Ecclesia possidetur. Quoniam autem hæc salutaris sapientia

non habet locum niſi in iis, qui habent initia timoris Dei, Dauid in *Pſalmo* 111. ait, Timor Domini initium ſapientiæ, intellectus bonus omnibus facientibus ea, id eſt, obtemperantibus Deo. Huius ſapientiæ fructus recitat Syracides *capit*.24. hiſce verbis: Ego, ait ſapientia pulchræ charitatis, & timoris, & cognitionis & ſanctæ ſpei mater ſum. Hic quatuor ſapientiæ ſeu doctrinæ cœleſtis fructus enumerat, vt qui fuerint in ea inſtituti Deum diligant, Deum timeant, creſcant quotidie in cognitione rerum optimarum, ſpemque habeant ſanctam. Sunt autem hi fructus a Syracide enumerati, optimo ordine diſpoſiti, nam qui charitate, pietateque erga Deum præditi ſunt, eos in cognitione progreſſus faciunt, vt tandem ſuam in vno Deo ſpem fixam habeant. Porro quod ait Dauid, legem Dei ſapientiam præſtare paruulis ſeu ſapientes efficere paruulos, congruit cum hoc Domini dicto, *Matth*.11. pauperibus euangelizatur: illi enim ſoli capacem ſapientiæ diuinæ mentem habent, cum interea maximi & ſapientiſsimi huius mundi ſua ſe ſapientia quæ vera ſtultitia eſt, euertunt miſerrime. Nam vt Paulus ait iactitantes ſe eſſe ſapientes ἐμωράνθησαν, id eſt ſtulti facti ſunt. Timeamus ergo Dominum, ac præparemus corda noſtra, atque animas noſtras coram Deo, humiliemus nos, vt huius diuinæ & ſalutaris ſapientiæ reddamur capaces.

8. *Mandata Iehoua recta lætificant cor, præceptum Iehoua purum illumi nat oculos.*

QVINTA.

MAndata in Hebræo hoc loco dicuntur *Pecudim*, a viſitando: haud dubie eam ob cauſam, quod vt Deus obſeruatores ſuorum mandatorum, fauore & beneficentia, ita præuaricatores eorundem ira & plagis viſitare ſoleat. Vnde apparet quod vocabulum Hebræum non ſolum mandata, verumetiam interdicta, item promiſſiones & comminationes complectatur, id quod ex *Pſa*.119. conſtare poteſt, propterea inquit omnia *Pecude* omnium direxi: id eſt recta cenſui, ſeu recta iudicaui, & omnem viam falſitatis odi. Viam falſitatis vocat, quicquid non congruit cum mandatis, interdictis, promiſſionibus, comminationibus diuinis. Hæc mandata ſunt recta in ſe, & in effectu ſuo: in ſe quidem, quod ſint vera, recta, ſine

omni Sophistica, quicquid enim mandat, hoc serio mandat, quicquid prohibet, hoc serio prohibet, similiter quicquid promittit & comminatur, hoc serio facit. Non est ergo sentiendũ quod omnibus promittat quod paucis tantũ velit cõmunicare, nec quod mãdat omnibus, a quibusdã tantum velit obseruari. Sic de promissionibus & cõminationibus iudicãdũ est. Significatur ergo hoc epitheto quod Deus minime sit προσωπολήπτης, sed ęqualis omnibus iuxta decreti sui regulã, siue prẹmia obediẽtię siue pœnas spectes cõtumacię. In effectũ vero quia homines mandatis Dei obtemperantes fiant recti, vt neque ad dexteram, neq; ad sinistrã deflectant, sed recto cursu pergant ad metam beatæ immortalitatis sibi propositam. Porro hic vtile fuerit cogitare causas, cur Deus alia mandet, alia vetet, cur præmia promittat obedientibus, & pœnas contumacibus comminetur. Item, quid sibi conditio mandatis & interdictis diuinis addita velit: hęc ergo ordine videamus, idque breuissime.

Cur Deus alia mandat, alia prohibet?

Huius rei causæ quæ sequũtur commode statui possunt.

Prima, vt scias quid illi acceptum sit & quid displiceat, ne ignorantiam prætendas.

Secunda, vt scias te debitorẽ esse, idque multis nominibus & obligari ad facienda imperata, & cauenda prohibita.

Tertia, vt scias te acceptum esse Deo si obtemperaueris, & reum si contumax fueris: cuius rei testem habes intra te propriam conscientiam.

Quarta, vt cum videris te præstare non posse tuis viribus quæ imperat, aut cauere quæ prohibet, petas diuinitus te adiuuari, vt vel sic tandem præstare possis quod imperatur, & cauere quod prohibetur.

Quinta, vt si videris plura a te & maiora requiri, quam sis soluendo, quęras non extra, sed intra te causam inopiæ & infirmitatis tuæ.

Sexta, cum iam causam inopiæ & infirmitatis tuæ verbo legis edoctus, intellexeris esse peccatum, & naturæ communis, & tuum proprium, primum agnosce iuste a te requiri, quod iure debes, deinde in vera pœnitentia supplex veniam pete, & culpam condonari propter Christum

quem

quem Euangeliũ tibi commendat, vt ad ipsum oneratus,& tanquam fatigatus sub onere peccati ad mediatorem & expiatorem peccati confugias.

Septima, vt impetrata peccatorũ venia, petas cor mundum a Deo in te creari cum Dauide, cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innoua in visceribus meis.

Octaua, vt consolationem ex fide remissionis peccatorũ nactus non segnescas, sed semper incumbas vt proficias magis in pietatis studio retinens fidem,& bonã conscientiam, semperque diligentissime caueas carnis, mundi, Diaboli insidias, in omni precatione & gratiarum actione.

Cur Dominus promittit obedientibus præmia, & minatur pœnas contumacibus?

Obediẽtibus Dominus præmia promittit, nõ vt voluntas tua hostiliter se Deo opponat, sed vt ipse voluntatẽ tuã, pro missione prẹmii ad obedientiam flectat. Hic siquidem finis est promissionis prẹmii & voluntas tua excitetur, velit, conetur, vt bonũ illud ad quod natura & gratia mouetur assequatur: Contra vero cõtumacibus pœnas minatur Dominus, nõ vt cor tuum cũ Pharaone aduersus Deũ indures: hoc enim Deus *Psalm*.95. clare & serio prohibet, cum ait, hodie si vocẽ eius audieritis nolite obdurare corda vestra: Sed vt pœnarũ metu duritiem cordis tui frangat Dominus, deterreatque te a contumacia. Hic proinde finis est cõminationis diuinæ, vt tu admonitus volens media quẹras quibus irã Dei & pœnam auertere queas exemplo Niniuitarum, & multorum aliorum.

Iam cur Dominus suis promissionibus conditionem addat explicãdum est, quod quidem primũ ideo facit, vt scias tuo arbitrio (prius docto a verbo,& moto a Spiritu sancto) permissum esse nõ dico perficere, sed velle & eligere saltem vtrumuis, hoc est, bonum siue malum: id quod scriptura clarissime testatur, hisce verbis, *Deut*.11. Vide ego pono corã vobis hodie benedictionẽ & maledictionẽ, benedictionẽ si obedieris præceptis Iehoua Dei tui, maledictionẽ vero si non obedieris. & *cap*.30. Testes inuoco hodie cælum & terram, quod proposuerim vobis, vitam & mortem, benedictionem & maledictionem, elige ergo vitam vt viuas tu, & semen

tuum. Neque ambigua vox eſt Filii Dei deplorantis contumaciam Ieruſalem: *Matth.23.* Quoties volui congregare filios tuos, vt gallina congregat pullos ſuos ſub alis, & noluiſti: hęc profecto Moſes & Chriſtus (qui citra omnem controuerſiã omniũ fideliſsimi nuncii & teſtes ſunt, voluntatis Dei) nequaquã dixiſſent, ſi voluntatis electio nulla eſſet. ex quo clare & manifeſte patet, quod Deus voluntatẽ ita in homine cõdiderit, quod mouere ſe poſſit prout res obiecta boni, vel mali ſpeciem præ ſe tulerit, quod qui negat Moſi & Chriſto ſe opponit, opus Dei deſtruit, vt cũ Manicheis Deũ autorẽ peccati facit. Sed his obiicitur, cõditio legalis eſt impoſsibilis. Reſpõdeo. Cõditio legi addita etſi impoſſibilis ſit ſi tuas vires ſpectes, non tamẽ ſimpliciter & ex omni parte eſt impoſsibilis. Etſi enim tu legẽ implere tuis viribus non potes, tamẽ per aliũ potes, hoc eſt per Chriſtum, in quo omnes promiſſiones ſunt etiã & Amen, id eſt ratę & firmę teſte Paulo. Cũ ergo audis, ſi vis ad vitã ingredi, ſerua mãdata: elige vitã & Chriſtũ fide accede. qui eſt finis legis in iuſtitiam omni credenti: quod cum facis, lex te amplius nõ accuſat, conditio enim legis in te impleta eſt. Secundo, Dominus cõditionem ſuis promiſſionibus addit, vt cũ pręſtare nõ poſſis quod velis Chriſto magiſtro tuo obedias, petaſq; quod per te facere nõ vales, petite inquit, & dabitur vobis, quęrite & inuenietis, pulſate, & aperietur vobis: omnis enim qui petit, accipit, & qui quęrit inuenit, & pulſãti aperietur: hoc Dominus a minori confirmat, nam quis ex vobis pater ſi filius eius ab eo petierit panem, lapidem dabit ei? & paulo poſt infert, ſi vos cum ſitis mali noſtis bona dare liberis veſtris, quãto magis pater veſter cęleſtis dabit Spiritũ ſanctũ petẽtibus? Hic nota quod Dominus nõ dicat, pater dabit Spiritũ ſanctũ reluctãtibus hoſtiliter, ſed petẽtibus ſuppliciter. Cũ ergo petitio ſit voluntatis, ſicut & fides a qua petitio dirigitur, nemo dubitare debet, quin volũtas docta verbo Dei & mota bonitate obiecti poſſit aliquo modo aſſẽtire, velle & eligere, etſi hoc ipſũ a Deo eſſe fatẽdũ eſt, ſicuti diximus. Cũ his cõgruunt dicta patrũ. Baſilii: μόνον θέλησον, καὶ θεὸς προαπαντᾷ. Chryſoſtomi. ὁ δὲ ἕλκων, τὸν βουλόμενον ἕλκει. Naziãzeni. θεὸς γὰρ οὐκ ἄκοντα σώζει ποτέ. Auguſtini. neque ad bonũ neq; malum vllus inuitus cogitur. Hæc volebam huc breuiter adiicere, vt ſcias quis ſit vſus mandatorum, prohibitorum, pro-

missionum

misionum,comminationũ,& cõditionis additę promisio nibus diuinis, ne vel cum Enthusiastis sine verbo expectes raptus violẽtos, vel cum Iouiniano hominẽ sceleratissime viuentẽ iustifices,vt qui peccare nõ posit. Hæc præcipitia facile vitabis modo ea quæ diximus recte expendas.

SEXTA.

Lætificant cor meum. HIc effectus Euangelii est, & summũ bonũ in hac vita & inchoatio æternæ vitæ,nulla doctrina humana mederi vulneribus conscientiæ potest, quin subinde recrudescant vulnera, & excrutient animum. Qui enim alicuius sceleris grauioris sibi conscius est nocte dieque testem & accusatricem conscientiam circumfert,quã Philosophia sanare quidem foris videtur,intus relicta sanie quæ tandem interitum adfert, sed sola vox Euangelii pharmacum auxiliare & præsentissimum remedium conscientiæ sauciæ applicat,cõtra desperationem,dum videlicet Christũ mortuũ pro peccatis nostris & resuscitatum propter iustificationem nostri prædicat,dum Christũ finem legis in iustitiam omni credẽti testatur, dũ Christum omnes laborãtes & oneratos ad se inuitare docet ,vt ad se tanquam ad amicum animæ medicum veniant, quibus omnibus pollicetur sanitatem veram eamque gratis. Hic enim vt Augustinus pie & recte ait in *Psalm*.22. nostra delicta,sua delicta fecit,vt suam iustitiam, nostram iustitiam faceret. Cum igitur conscientiæ nostræ asperguntur sanguine Christi (quod fit cum in ipsum credimus) emundantur a mortuis operibus,ornantur iustitia Christi,donantur Spiritu sancto vnde mirabilis quædam in corde sequitur lætitia vt pius cũ Dauide merito exclamet: *Psalm*.84. Cor meum & anima mea exultant in Deo viuõ.

SEPTIMA.

Præceptum Jehoua purũ: VOcabulum Hebraicũ *Misuah* complectitur & quæ iubentur vt fiant, & quæ prohibentur ne fiant,siue sint legis,siue Euangelii præcepta, ab eo vt docti sentiunt dictum, quod nos ligat & stringat ad obedientiam, hoc

præceptum lucidum,purum & clarum pronunciat. Quod ſi lucidum,purum & clarum fuit Dauidi, adeo vt ille diceret illud eſſe lucernam pedibus ſuis & lumen ſemitis ſuis, profecto multo lucidius, purius & clarius nobis eſt qui Chriſtum habemus, quam lex promiſit, qui Chriſtum habemus interpretem, qui Apoſtolos habemus Prophetarum expoſitores,qui obſcurioribus propheticis dictis lucē adferunt.At multa inquies in ſcripturis obſcura & difficilia intellectu occurrunt.Fateor id quidē,ſed quantū ad fūdamentum attinet,hoc eſt,articulos fidei, & ea quę ſunt ad ſalutem neceſſaria verbum Dei lucidiſsimum,puriſsimū,& clariſſimum eſt. Non ergo opus habet vt aliunde illi lucem adferas, cum illud ſibi lux ſit clariſsima. Hoc opponendum eſt papiſtis, qui Sophiſtica Satanica verbum Dei obſcurare conantur, vt homines ab eius lectione abſterreant, ex quo factum eſt, vt pluris patrum neſcio quorum dicta faciant,quam aperta ſcripturæ verba: dicunt enim male intellecta ſententia Pauli, Litera occidit,Spiritus viuificat,hoc eſt,vt illi peſsime edocti a Satana nugantur, literalis & Grammaticus ſenſus ſeu interpretatio occidit & mortem adfert, Allegoricus vero quem Papa cum ſuis approbat, viuificat,ſed pie eruditis notum eſt dictum Pauli,litera occidit & Spiritus viuificat, non ad interpretationem ſed ad efficaciam doctrinæ cæleſtis referendum,ſicuti alibi a nobis dictum eſt.

OCTAVA.

Illumina oculos.

PEr oculos mentem & cor ſeu intelligentiam & affectum intelligit:hoc proinde dictum duo indicat videlicet,quales ſimus ſine verbo Dei & quales efficiamur per verbum Dei:ſine verbo oculos quidem habemus, (hoc eſt, intelligentiam & affectum)ſed obſcuratos & impuros. Vt enim mens ſeu intelligentia quoad ſubſtantiam remanet poſt peccatum, ſed cœno peccati obſcurata eſt:ita affectus diuinitus in natura conditus non eſt per peccatum ablatus ſed deprauatus.Vt enim Dominus magna ſua miſericordia ſcintillam intelligentiæ nobis reliquit,ita affectus ſunt etiā reliqui, & voluntas, ſine quibus nec quicquam recte iudicare,nec quicquā boni appetere poſſemus.Nā ſi iis prorſus eſſet homo per peccatum ſpoliatus,certe homo non eſſet,

nec

nec posset vnquam in pristinum statum restitui, nam nec doctrinæ nec fidei locus esset. Oculi itaque & mentis & cordis etsi non omnino sublati, tamen ita excæcati & deprauati sunt, vt opus habeamus illuminatione per verbum. Antequam enim oculi nostri illuminentur, nobiscum tenebras densissimas circumferimus, videlicet dubitationem de Deo, securitatem carnalem, diffidentiam & alios motus aberrantes a lege Dei innumerabiles: sed hanc cæcitatem non intelligit mundus: imo se miratur, & magnifacit propter exiguam externæ disciplinæ vmbram.

Sed qualesnam efficimur per verbum? illuminamur, tollitur enim lutum de oculo mentis nostræ, & cor nouum creatur: Ecclesia enim voce Dei docta & commonefacta agnoscit & deplorat sua mala, petit a Deo nouam lucem, iusticiam & vitam, in hac petitione & meditatione Euangelii magis magisque illuminantur oculi mentis & cordis nostri & excutiuntur tenebræ, atque sol iustitiæ Christus Dominus oritur clare in cordibus nostris, cuius luce educimur e tenebris sempiternæ miseriæ, & donamur luce æterna, vita, & beatitudine.

9. *Timor Iehoua mundus permanet in seculum, iudicia Jehoua veritas, iustificata sunt pariter.*

NONA.

Timor Jehoua mundus permanet in seculum:

HIc commendatur nobis verbũ Dei a destinatis seu ab effectu ad quẽ diuinitus est ordinatum. Est autem hic effectus purus timor Dei seu syncera religio. Vocat autem hic ipsum verbum per Metonymiam timorem Dei mundum, propterea quod nos timere Deum syncere doceat, & veram religionem animis nostris ingerat, cuius fructus permanet in perpetuum. Cum autem hic timorem Dei mundum dicit, duo innuit, videlicet causam & finem. Vt enim mundus timor Dei proficiscitur ex fide, nam fide, purificantur corda sine qua & mens & conscientia polluta, ita tendit per mundam obedientiam in gloriam Dei, qui ex se & in se mundissimus & purissimus est. Ad hunc timorem Dei hortatur nos Dauid *Psal.* 34. Timete Iehoua omnes sancti eius, quoniam non est inopia timentibus eum, homines extra Ecclesiam dum diuinitus

seuerius puniuntur, timēt quidem Deum, sed eorum timor est impurus, vt qui ex impuro corde proficiscatur, & tendat in odiū Dei, desperationem, & mortem æternam, vt in Cain, Iuda, & multis aliis videre est.

DECIMA.

Iudicia Jehoua veritas, iustificata sunt pariter.

HIc legem seu verbum Dei iudicia nominat, propterea quod in illis ostendat Deus quid ipse iudicet faciendum & quid vitandum: hic iudicia Dei pronunciat esse veritatem, hoc est vera, vt quæ nihil habeant imposturæ admixtum, sed sint per omnia vera, & non tyrannica. *iustificata sunt pariter*, id est, iudicia Domini ad vnum sine omni exceptione sunt iusta, nihil prorsus habentia vicii, siquidem humana iudicia, eiusmodi sunt vt nunc errore, nunc imprudentia nunc affectibus vincantur. Hic notetur regula de abstractis, quoties abstractum pro concreto sumitur in prædicatione, excellentia quædam formæ in subiecto significatur, excludens a subiecto quicquid repugnat naturæ formæ significatæ per abstractum.

VNDECIMA.

10. *Desiderabiliora quā aurum & obrizum multum.*

DEsiderabilia magis quam aurum optimum, hoc solummodo piorum iudicium est de verbo Dei, hi enim doctrinam cœlestem omnibus gazis Persarum & gemmis præferunt. Vt ergo homines huius seculi nihil habent charius diuitiis, quarum plerunque comites sunt honor & superbia: ita nihil piis preciosius est verbo Dei, quod suo fructu, & duratione omnes opes mundi & honores superat, fœlix qui hoc vere & ex animo sentire & dicere potest.

DVODECIMA.

Dulciora sunt melle & liquore fauorum.

HOc est omnibus mūdi voluptatibus suauius est piis verbum Dei: Si quis ergo delectatur suaui & delicato cibo, quo anima alitur ad vitam æternam, is nocte dieque legem Domini meditetur, & suauiter saturabitur, qui hoc vere cum Dauide dicere, & sentire poterit, sciat se non pœnitendos in pietate fecisse progressus.

DECIMA

DECIMA TERTIA.

11\. *Etenim seruus tuus eruditur per ea, & in custodiendis illis retributio multa.*

VErbo Dei erudimur, vt sciamus quid bonū, quid malū, quid honestū, quid turpe, quid credēdū, quid nō credendū, quid faciendū, quid vitandū, & quid tandē expectandū. Ad hæc omnia solum verbum Dei sufficit, vt non sit opus aliūde quære supplementum. Valeant igitur traditiones humanæ & ἐθελοθρησκεῖαι quibus Papistæ homines erudiri ad Deum recte colendum contendunt.

DECIMA QVARTA.

In custodiendis illis retributio multa.

HOc est, ei qui custodit verbum Dei multiplex merces non ex merito hominis, sed ex bonitate Dei, proposita est, tanta est enim bonitas Dei, quod etiā debita officia nostra ex fide præstita, etiāsi ad normā legis fieri non possunt, velit remunerare, cum in hac vita, tū in futura, iuxta dictum Paulii .*Tim*.4. pietas ad omnia vtilis est, vt quæ promissionem habet vitæ præsentis & futuræ.

Hactenus audiuimus Encomion verbi Dei, & quemnam fructum inde percipiant, qui illud in mente, in corde, & in tota vita circumferunt. Hoc verbum asylum est in quibusuis periculis. Huc accurrit Dauid, sentiens suorum peccatorum molem, vt ea exoneraretur, vt est in Psalmo, De profundis ad te clamaui Domine, quia apud te propitiatio est. Huc afflictus & cruce pressus se confert, iuxta illud, hæc est consolatio mea in afflictionibus meis, quod verbum tuum viuificat me. Huc in lætis & prosperis se recipit: Viam inquit mandatorum tuorum cucurri cum dilatares cor meum. Huc dubius & inops consilii tanquam ad consiliariū fidelissimum cucurrit, iuxta illud, Testimonia tua gaudium meum, & viri consilii mei. Huc acturus cum regibus & potentibus mundi confugere solebat, iuxta dictum, Loquebar de sermonibus tuis in conspectu regum, & non confundar. Huc se armaturus aduersus scandalum crucis properat, ne frangatur animo, videns impiorum prosperitatem, mei, inquit, pene moti

sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, quia zelaui super iniquos, pacem illorum videns: cogitabam vt scirē hoc, sed difficile erat in oculis meis, donec irem in sanctuarium Dei, & animaduerterē in nouissima eorū, veruntamē in lubrico posuisti eos, deiecisti eos in interitū. Huc in mortis articulo confugit, vt vitam inueniret, iuxta illud, in æternum non obliuiscar statutorum tuorum, quia in ipsis viuificasti me. In æternū verbum tuum Domine permanet in cœlo, nam vita & fœlicitas quæ in verbo promittitur, in æternum durabit. Item, In te Domine speraui non confundar in æternum. Breuiter in hoc verbo Dauid modum inuenit euadendæ sempiternæ miseriæ & obtinendæ nunquam finiendæ fœlicitatis & beatitudinis, ad quam homo creatus est & inde redemptus. Hunc multiplicem vsum verbi Dei ideo in Dauidis exemplo proposui, vt & vsum verbi Dei indicarem, & ostenderem optime docere eos qui doctrinam quam profitentur ac docent, suo proprio exemplo confirmant ac exprimunt.

Tertia Pars Psalmi.

HAnc Tertiam & postremam Psalmi partem supra diximus esse paradigmaticam: in qua Dauid seipsum exemplum statuit, in quo cernatur quomodo creatura & scriptura transferenda sint ad nostros vsus, videlicet, vt inde Deum & nos ipsos recte cognoscamus in salutem nostram.

12. *Errata quis intelligat? ab occultis munda me.*

DVæ sunt partes huius versus, videlicet exclamatio & petitio. Exclamatio (*errata quis intelligat.*) docet conscientiā nostram omnium primū examinādā esse ad normā legis, vt nobis constet quam multis modis, & quā variis, rei simus corā Deo. Atque hic primus gradus est ad salutē, seu vt vsitate loqui solemus, prima pœnitētię pars, videlicet cōfessio seu agnitio peccati, cū qua coniunctus est, dolor

dolor in corde ex ſenſu iræ Dei conceptus. Petitio eſt, (*ab occultis munda me*) Hæc petitio cordis ſeu voluntatis eſt, & ſimul cum fide concipitur ex notitia Euangelii, operante ſpiritu ſancto, qua fide petitur & impetratur remiſſio peccatorum. Atque hic alter gradus ad ſalutem eſt, ſeu ſecunda pars pœnitentiæ, a qua bonum propoſitum nunquam abeſſe poterit, atque ideo illud tertiam pœnitentiæ partem faciunt. Porro hæc exclamatio docet, quod nemo mortalium ſcire poſſit, quam multis & variis peccatis maculatus ſit, manifeſtis & occultis, tantum abeſt vt poſſit ea ordine in confeſſione auriculari cum omnibus ſuis circunſtantiis recitare: quod tamen papiſtæ docent adeo neceſſarium eſſe, vt nemo ſine ea remiſſionem peccatorum conſequi poſſit. Vocat autem hoc loco peccata in genere errata, ſeu errores, propterea quod hominem a via quæ recta ad vitam ducit, aberrare faciant. Occulta vocat & quæ non patent hominum oculis, & quæ nos ipſos latent, cuius generis ſunt rami peſſimi peſſimæ radicis, videlicet peccati originalis, quales ſunt pullulantes affectus, concupiſcentiæ prauæ, cogitationes immũdæ, dubitationes multiplices, vt interim taceam vitia quæ ſpecie virtutum nos interdum fallunt. item peccata tum commiſſionis, tum omiſſionis etiam in bonis operibus. Breuiter quicquid eſt in homine non congruens cum lege Dei: contra hæc tam varia & multiplicia peccata validiſſimum remedium eſt ſanguis Ieſu Chriſti, qui noſtris conſcientiis dum credimus, aſpergitur.

Huc libet breuiter adiicere appellationes peccati vſitatas in nouo Teſtamento quæ etſi re conueniunt, ratione tamen diſtinguuntur, & oſtendunt peccati varios reſpectus. Appellationes autem hæ ſunt, ἁμαρτία & ἁμάρτημα, ἀδικία, ἀνομία, παράπτωμα, ἁμαρτία, dicitur reſpectu viæ rectæ, a qua aberratur peccando. Eſt enim ἁμαρτία aberratio a via, recta ducente ad vitam & fœlicitatem. Vt enim recta via, recte viuendi ratio eſt, ita ἁμαρτία eſt, cum a recta via deflectit viator. Hinc nos peregrinantes in terra viatores dicimur, qui ſi in recta via inſiſtimus ad vitam beatam deducimur, ſin autem a recta via aberramus, ἁμαρτάνομεν, & ad mortem properamus. ἁμάρτημα proprie loquendo, ab ἁμαρτία, vt actus ab actione, ſeu ἐνέργημα, ab ἐνεργεία. ἁμαρτία enim dicitur cum fit, ἁμάρτημα vero cum factum eſt. ſed hoc diſcrimen ſæpe confunditur. ἀδικία dicitur reſpectu obiecti, videlicet, Dei, & hominis qui

peccando offenduntur. δίκη enim ius est quo cum Deo & homine agitur, vnde ἄδικοι iniusti, & ἀδικία iniustitia, cum nec Deo, nec homini tribuitur quod illis debetur. ἀνομία legem respicit, quæ peccando violatur. Est enim νόμος lex, & ἀνομία quicquid cum lege non congruit. παράπτωμα dicitur peccantis respectu, qui dum peccat, labitur & iacet sub sententia legis reus mortis & damnationis. Hinc iam collige προσκείμενα: qui peccat aberrat a recta via, legem Dei violat, Deum & proximũ ostendit & labitur sub onere peccati iacetque sub legis sentẽtia damnatoria, donec fiat remissio propter Christum, qui solus & vnicus est peccati expiator.

13. *Etiã a superbis prohibe seruum tuum ne dominentur mihi, tunc perfectus ero, & mundus ero a præuaricatione magna.*

Collatio huius versus cum superiori indicat quod Dauid hic loquatur de voluntario peccato, seu contumaciæ, vt in superioris versus fine de inuoluntario loquutus est. Sunt enim hæc peccatorum prima genera in posteris Adæ, inuoluntarium & voluntarium. Vocat ergo hic Dauid superbias flagitia & facinora, quibus homines superbe & contumaciter se Deo opponunt. Sunt enim huius generis peccata, cum aperto Dei contemptu cõiuncta, quale fuit adulterium & homicidium Dauidis. Cum autem hoc peccati genus Dauid deprecatur, satis significat non esse in manu hominis ista vitare, nisi Deus nobis manũ auxiliatricem porrigat: tantæ sunt insidiæ Diaboli, tanta vis peccati inhabitantis, tanta improbitas mundi. *Tunc perfectus ero & mundus a præuaricatione magna.* Tunc, scilicet, quando tua ope, peccatum mihi non dominatur, *perfectus ero & mundus a præuaricatione magna*, scilicet contumaciæ, qua vastatur conscientia & a Deo desciscitur. Hinc ergo moneamur quam procliues simus in lapsum contra conscientiam nisi diuinitus adiuuemur: precemur ergo quotidie cum Dauide *Psalm.* 119. gressus meos in verbo tuo dirige, ne dominetur mihi vlla iniquitas. Etsi autem hæc videtur simplicissima versus huius sententia, videamus tamen quid alii sentiant. Philippus in concreto nomen *zedim* accipit hoc modo, *at a superbis custodias me*, id est, vt idem interpretatur, fac vt veram fidem, timorem & inuocationem retineam, nec sine me abstrahi per superbos, id est, per impios doctores, contemptores E-

res Euangelij, Epicureos, defensores impiorum dogmatum hunc lapsum prohibe. Grçcus vertit, *ab alienis parce seruo tuo.* Videtur enim non *zedim* a superbis, sed *Ierim*, ab alienis seu peregrinis legisse, cuius sententiam si sequimur, sensus erit, libera me a peccatis quæ alieni, id est, maligni Spiritus & praui homines suadunt.

14. *Sint accepta eloquia oris mei & meditatio cordis mei coram te Iehoua petra mea, & redemptor meus.*

ARdentissima precatione (in qua tertia pars pœnitentiæ, quæ est noua obedientia exprimitur) claudit Psalmum. Nec precatio compellatione & propositione absoluitur. Compellatio in fine ponitur, ex intimo affectu precantis erumpens: *Iehoua* (inquit) *petra mea & redemptor meus*, id est, te inuoco o Deus qui solus mihi es instar altissimæ rupis ad quam cum in vera fiducia confugio tutus sum ab hostibus meis, cum extraneis, tum domesticis: quoniam illi aperte, hi ex insidiis me petunt, aduersus hos tu mihi vnicus defensor es & redemptor, seu propugnator & vindex. non dubito quin Dauid hoc loco ipsum Messiam alloquatur, quem hic & Deum, & petram, & redemptorem nominat, quas appellationes sæpe scriptura Messiæ tribuit, hoc Græcus interpres intellexit cum ait, κύριε βοηθέ μου καὶ λυτρωτά μου. Hic enim titulus λυτρωτής pro prius est Messiæ, qui solus λύτρον pro redemptione nostri persoluit. Propositio precatoria est, *sint accepta seu grata*, seu *ad voluntatem eloquia oris mei*, & *meditatio cordis mei coram te:* Ab effectu ostendit ad causam, meditatio enim cordis præcedit oris locutionem, vt causa suum effectum. Precatur igitur Dauid vt retineat fidem, & bonam conscientiam, vt nihil cogitet, nihil dicat, nihil faciat, nisi quod Deo acceptũ sit. hæc ergo perpetua precatio Ecclesiæ est, & singulorum piorum in Ecclesia.

Vsus Psalmi decimi noni.

Vsus huius Psalmi est vt exemplo Dauidis, Primum, Deum agnoscamus qualem se pate-

fecit,cum in hoc mundi opificio,tum in sancto suo verbo. Secundo vt hinc instructi agamus pœnitentiam, Deum sincere colamus, studeamusque totam nostram vitā illi approbare. Tertio,vt in omnibus gratias Deo agamus per Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, βοηθὸν καὶ λυτρωτὴν nostrum vnicum,dicentes cum vera fiducia,O Deus petra & redemptor meus, fac,vt meæ cogitationes, mea dicta, mea facta, coram te accepta sint,tibi placeant,qui es æternus Deus Pater & Filius,& Spiritus sanctus. Tibi honor sit soli,quia tuum est regnum, tua potentia, tua gloria in secula seculorum,& in omnem æternitatem. Amen.

PSALMVS VIGESIMVS

Summa Psalmi Vigesimi.

PRO rege Dauide cum exercitu in prælium aduersus Ammonitas & Syros, vt plerique existimant proficiscente, populus domini remanens Deum inuocat,petitq; vt Deus regi & exercitui eius adsit,quo fœliciter aduersus hostes populi Dei dimicet. Et interprecandum fiducia de victoria concepta,gratulatur Regi de gloriosa victoria: Nam non dubito quin Psalmus post rem gestam sit compositus in rei memoriam, quemadmodum & reliqui Psalmi videntur.

Ordo

Ordo & dispositio Psalmi Vigesimi.

Hunc Psalmum in tres partes distribuamus, quæ sunt,

Prima, oratio pro Rege præliante, & pro victoria: quæ absoluitur primis quatuor versibus.

Secunda, Triumphale carmen, quo significatur orationis piæ fructus, versibus 5, 6, 7, & 8.

Tertia, quæ & postrema, vno versu absoluitur, & est repetitio precationis. Prima ergo pars & postrema precatoria est, media ἐπινίκιον hoc est, ob partam victoriam gratulatio.

EXEGESIS PSALMI VIGESIMI CVM INDICATIONE doctrinarum.

PRIMA PARS.

1. EXAVDIAT *te Iehoua in die angustiæ, exaltet te nomen Dei Iacob.*

PROPOSITIO precatoria estque sepius aliis atque aliis verbis vt fieri solet in ardentibus precationibus repetitur, & inculcatur. Sensus autem est, o Rex Dauid, Deus ipse te exaudiat, hoc est, liberet te cum in angustias veneris, & nomen Dei Iacob, te ereptum ex angustiis exaltet in locum altum, & in tuto collocet. Si Iacob hic proprie accipitur, Deus

Iacob erit, quem ipſe Patriarcha Iacob coluit, quique Iacob Patriarcham ex variis anguſtiis liberauit. Si Metonymice, Deus Iacob erit quem populus Iſraeliticus coluit: Totus enim populus Iſraeliticus ex vno Iacob originem duxit. Si Synechdochice, Deus Iacob erit Deus omnium eorum qui ipſum Deum ex fide viua colunt, cuiuſcunque fuerit nationis. Hunc ergo Deum Iacob cum Iehoua nominat, diſcernit veram Eccleſiam a falſa, quæ non colit Iehoua viuum & verum Deum, ſed idola. Supra dictum eſt aliquoties, quod nomen Dei ſit & ipſe Deus, vt quicquid de Deo digne dici poteſt, hoc eſt nomen Dei ponitur & pro ipſo Deo, & pro Dei attributis, ex quo fit, vt ex circunſtantia dictorum exponi debeat. Hic ergo cum agitur de defenſione Eccleſiæ aduerſus hoſtes Dei, recte per nomen Dei intelliges potentiam Dei, iuſtitiam & conſtantiam in promiſſionibus: potentia ſiquidem poteſt quicquid vult: iuſtitia improbos & hoſtes ſuos punit. Conſtantia promiſſionis tuetur Eccleſiam. Hic in genere quidem docemur in omnibus anguſtiis noſtris fide & precibus ad Deum confugere. In ſpecie vero officium gubernatorum eſſe armis cum res poſtulat tueri ſubditos, & ſubditorum ſuis gubernatoribus precibus & facultatibus adeſſe, eoſque iuuare. Nihil enim eſt rerum humanarum pro quo ardentius populus orare debeat quam pro ſalute boni & pij principis, cui vera pietas, & ſancta legum obſeruantia curę eſt. Hic breuiter adiiciamus quomodo pro magiſtratu orandum eſt.

Quomodo eſt orandum pro magiſtratu? ſi magiſtratus pie & recte facit officium, orabis Deum vt ipſum in pietate confirmet & augeat: ſi errore & infirmitate delinquit, orabis Deum vt ipſum ab errore reuocet, & ſpiritu roboris ipſum confirmet. Si tyrannice contra Rempublicam & impie aduerſus Deum agit, tria facies, *Primum* agnoſces te tuo vitio talem habere magiſtratum, & te emendabis. *Secundum*, Orabis Deum vt ipſum a tyrannide ad iuſtitiam, & ab impietate ad pietatem conuertat. *Tertium*, ſi perſeuerit in tyrannide aduerſus homines, & in impietate aduerſus Deum, orabis vt Deus ipſum ſuo iudicio reprimat, vel etiam opprimat vt hoſtem ſuum.

2. *Mittat*

2. *Mittat tibi auxilium de sancto & de Zion tueatur te.*

REpetitio est propositionis mutatis verbis & symbolice significat populus se non suo merito, sed intercessione & merito Messiæ niti: Nam cum ait, *de sancto*, id est sanctuario, ad promissionem respicit, promiserat enim Deus se exauditurum precantes in illo loco, in quo erat arca fœderis. *Exod.* 25. Facient mihi sanctum arcum & habitabo in medio eorum. Et *Numeror.* 20. Moses & Aaron ad ostium tabernaculi proni Deum inuocant. 2. *Paralip.* 6. Elegi Ierusalem vt esset nomen meum ibi. Item, sint oculi tui, ait Solomon, super locum istum die ac nocte, super locum istum de quo dixisti vt poneres nomen tuum ibi, & audias orationem quam orabit seruus tuus in loco isto. Captiui in aliena terra oraturi vertebant se versus Ierusalem vbi erat tabernaculum fœderis quod hic Dauid sanctuarium nominat, hoc est, locum sanctum, in quo erat propitiatorium, vnde Dominus responsa precantibus se daturum promiserat, significans se nullius preces exauditurum nisi propter Messiæ meritum, cuius typus erat propiciatorium illud ceremoniale.

Et de Zyon tueatur te.

Repetitio eiusdem sententię est: Dauid enim sanctuarium seu tabernaculum fœderis in quo erat arca in montem Zyon transtulit. Etsi autem Deus omnibus seculis & in omni loco inuocari vult, idque in spiritu & veritate: tamen quo Deus populum veterem commodius a gentium superstitionibus abduceret, & ad discendam suam legem oportunius cogeret, certum locum designauit vbi coli voluit vsque ad aduentum Filij, qui peracto suo sacrificio vmbras veteres amoueret, doceretque veram colendi Deum rationem, quemadmodum & fecit, vt est *Iohan.* 4. Nam ibi in colloquio cum muliere Samaritana typum hunc pulchre explicat: Cum enim mulier illa ex certo iudicio colligeret Christum Prophetam esse, id est nũcium a Deo missum ad corrigendos errores in doctrina & ad prę dicenda futura, proponit ei quæstionem de qua tum maxime controuertebatur inter Iudæos & Samaritanos: video inquit, quod Propheta es, patres nostri in monte hoc adoraue runt, & vos dicitis, quod Ierosolymis est locus ille vbi

oportet adorare. Dicit ei Iesus, mulier crede mihi, venit hora quando neque in monte hoc, neque Ierosolymis adorabitis patrem: vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus, quia salus ex Iudæis est. Sed venit hora & nunc est quando veri adoratores adorabunt patrem in Spiritu & veritate, & pater tales quærit qui adorent ipsum. Deus est Spiritus itaque qui adorant eum, oportet vt in Spiritu & veritate eum adorent. His verbis Dominus amouet pædagogicam adorationem, & veram adorationem commendat, monti opponit Spiritum, Veritatem sanctuario externo & Hierusalem. Mons leuandum esse cor in cœlum monuit. Sanctuarium seu propiciatorium Christum adũbrabat, qui vera & vnica est propiciatio. Sic Paulus hunc typũ interpretatur ad *Rom.* 3. Quem proposuit Deus ἱλαστήριον per fidem in ipsius sanguine. Et Iohannes ait, ipse est propiciatio pro peccatis nostris. Item, Deus misit Filium suum ἱλαστήριον pro peccatis: proinde adorare patrem in Spiritu & veritate est ex fide (cuius effector est Spiritus sanctus.) & viua fiducia mediatoris Deum inuocare.

3. *Memor sit omnium sacrificiorum tuorum, & holocaustum tuum pinguefiat.*

VOtũ populi vt sacrificia Dauidis Deo sint grata, antequam enim in bellum profectus est Dauid, sacrificauit Deo, petiitque vt Deus ipse sibi pro populo Dei prelianti adesset: cuius exemplum quoad genus attinet facti, Christiani principes pugnaturi cõtra hostes Ecclesiæ imitari merito deberent. Possunt etiam dici sacrificia Dauidis, quæ populus obtulit pro Dauidis proficiscentis in bellũ salute. Quod Hieronymũ sequutus verti, pinguefiat, Pagninus habet, *incineret*, id est, in cinerem vertat Deus holocausta Dauidis, vt sit sensus: holocaustum Dauidis sit Deo tam gratum, atque illa sacrificia fuere quæ Deus olim de cælo misso igne accendit, vt ea sibi gratissima isto miraculo fuisse ostẽderet. Scriptura disertis verbis ter exprimit ignem de cælo descendisse & absumpsisse victimas. *Primum. Leuit.* 9. vbi Aaronis ministerium isto miraculo confirmatum est in perpetuam memoriam quod esset a Deo ordinatum. *Secundo,* in *Paralip.* 7. Solomonis sacrificiũ diuinitus accenditur, ad confirmandũ templũ ab eo structum Deo gratum esse, & quod vellet precantes in

eo exaudire. *Tertio*, 3. *Reg*. 18. Sacrificium Eliæ etiam diuinitus accenditur, ad probandum quod Elias fuerit verus Dei propheta & non Baalitæ. Multi docti idem ſentiunt de ſacrificio Abelis. Hoc enim miraculum ſignum fuiſſe putāt, vnde Cain intellexerit ſacrificiū Abelis Deo placuiſſe, & non ſuū. Quare & fratri iraſcitur, & eū interficit.

Si legimus *pinguefiat*, idem erit ſenſus. pingue enim dicitur ſacrificium quod conditum eſt fide & inuocatione Dei. Vt ſiccum dicebatur quod fide & inuocatione Dei deſtituebatur. Sic opera noſtra pinguia, & ſicca dici poſſunt. Meminit autem Dauid hic ſacrificiorum & holocauſtorum. Sacrificia *mintha*, Hebræis dicuntur: holocauſtum autem *ola* : *mintha*, *Geneſ*. 4. latius patet, quam in Leuitico: illic enim ſacrificium vt ex frugibus terræ & ex pecoribus notat: In Leuitico autem ſignificat ſolūmodo oblationem ex frugibus terræ. *Ola* dicebatur oblatio, quæ tota igne abſumebatur: Hebræis ab aſcendendo dicta, eo quod tota in humum aſcenderet & abiret, Græce ὁλόκαυςον, id eſt, totum combuſtum. Genus ſacrificiorum omnium Hebræis CHORBAN, id eſt, oblatio dicebatur. Tametſi autem varia & multa oblationū genera fuere, apud Hebræos, vnū tamen Chriſti ſacrificium quo ſeipſum obtulit patri per æternum Spiritum, figurabāt: ideo Auguſtinus huius ſacrificii caro & ſanguis ante aduentum Chriſti per victimam ſimilitudinum offerebatur, in ipſa paſſione, per veritatem reddebatur: poſt aſcenſum per ſacramentum memoriæ celebratur.

Sed cur inquies adeo multæ & variæ fuere veteres oblationes, cum vnum ſolūmodo adumbrarent? Reſpondit Auguſtinus vtile hoc erat illis ad deſiderandam gratiam, quæ per prophetas ventura canebatur. Et alibi, huius veri ſacrificia multiplicia variaque ſigna erant ſacrificia priſca ſanctorū cū ob hoc vnū per multa figuraretur, tāquā verbis multis res vna diceretur, vt ſine faſtidio multū cōmēdaretur

4. *Det tibi ſecundum cor tuum, & omne conſilium tuum impleat.*

Repetitio eſt eiuſdē petitionis, populus non ignorabat pii Regis votū Deo gratum eſſe. Quare petit vt Deus illud impleat in ſuā gloriā, & populi Dei ſalutē. Det, inquit, ſcilicet Iehoua tibi Dauid ſecūdum cor tuū, id eſt, vt perficias quod pie cogitas

& in votis habes,hoc eſt vt triumphes aduerſus hoſtes Deî & populi Dei,& conſilium tuum de hoſtibus Eccleſiæ arcẽdis & opprimendis optato euentu ſecundet.Particula itaq; vniuerſalis reſtringenda eſt ad rẽ ſubiectã, & non extendẽda ad quoduis conſiliũ extra limites vocationis. Sępe enim in hac imbecillitate hominum, conſilia principũ etiã piorũ non ſunt ſalutaria. Vt Ioſias alioqui rex ſanctus etrabat in deliberatione,& conſilium ipſius infœlix erat, quo bellum mouit aduerſus regem Ægyptiacum Necho offerentẽ pacẽ. Luit ergo pœnas Ioſias temerarii cõſilii,occubuit enim vulnere accepto in prælio.4.*Reg*.24. Eſt autẽ temerariũ conſiliũ nõ quod ratio recta,ſed quod affectus rationi cõtrarius dare ſolet.Quare in conſiliis ſapientis nõ quid affectus, ſed quid pia & prudens ratio ſuadeat,ſpectandũ eſt.Eſt proinde pii principis prudenter ſpectare,a quibus cõſilia capit. Mulierũ conſilia raro fœlicia ſunt, nã illę vtplurimũ affectibus potius ducuntur quã iuſtis rationibus.Iuuenũ cõſilia temeraria eſſe ſolent :rerũ enim experientiam non habent adulatorum cõſilia vt plurimũ ſunt pernicioſa.Sapientum autẽ & piorum ſenũ qui longam experientiam habent rerum,& norunt hiſtorias Eccleſiæ, & mundi, fœlicia eſſe ſolent, iuxta illud Menandri:

σόφȣ μὲν ἀνδρὸς προσδέχȣ συμβȣλίαν,
σοφὴ γὰρ σόφων γίνεται συμβȣλία.

Sed quid Menandrum refero,cum habeamus ſapientiſſimum Solomonem,qui ait *Prouerb*. 12. Sapientis conſilium laudatur.Item.vita ſtulti recta eſt in oculis eius & audiens conſilium ſapiens eſt. Item lingua ſapientum ſalutaris eſt.Vera proinde ſapientia cuius initium eſt timor Domini regat conſilia noſtra & vbi prudenter conſultauerimus,petamus a Domino vt ipſe noſtra conſilia in bonum exitum dirigat. Cor enim hominis cogitat viã ſuam, ſed Dominus confirmat greſſum eius.

SECVNDA PARS PSALMI.

5. *Exultabimus in ſalute tua & in nomine Dei noſtri vexillum leuabimus:im*

Eπνίκιον eſt ex fiducia cordis de euentu conceptũ, mira profecto vis fidei

pleat Iehoua omnes petitiones tuas, & fidei est. Hęc enim nō minus certa est de promissis diuinis quæ adhuc expectantur, quā sensus ipse dum rebus præsentibus potitur. Deus promiserat Dauidi victoriam de hostibus suis, de qua triumphat priusquam gladium in hostem stringat, vsqueadeo verum est, quod autor Epistolæ ad Hebræos ait, fides est, ἐλπιζομένων ὑπόστασις, hoc est, eorum quæ sperantur tanta certitudo, quanta eorum est quæ in præsentia extant, & iam quasi manibus tenentur, & possidentur. Hoc admodum pulchre expressit Theodoretus in hæc ipsa Apostoli verba scribens, Ea inquit quæ non videntur per eam videmus, & ad eorum quæ sperantur contemplationem ea nobis oculus efficitur, & ostendit tanquam subsistentia, ea quæ nondum facta sunt. Vnde autem hæc fiducia veniat ostendit cum ait: *exultabimus in salute tua, in nomine tuo vexillum leuabimus*, quasi dicat, non nostris viribus freti, sed tua promissione erecti victoriā nobis pollicemur nō minus certam, quā si nūc eam obtineremus: promissio enim tua neminem fallit fide appræhensa, cum mentiri nescias, præsertim cum promissio tua sit voluntatis tuæ infallibile testimonium. Ex hac diuinæ promissionis constantia, author Epistolæ ad Hebręos *cap.6.* audet dicere impossibile esse Deo vt mētiatur: id est, vt faciat aliquid contra suam promissionē: siquidem impossibile est vt quicquā faciat cōtra suā voluntatē: Volūtas enim Dei omnium eorum quæ facit, causa est, ex quo fit, vt suarum promissionum cōstantissimus sit obseruator. Non ergo immerito promissionum diuinarū certitudo ὑπόστασις dicitur.

Porro hoc ἐπινίκιον populi Dei aduersus hostes externos, symbolum est triumphi Ecclesiæ de hostibus suis spiritualibus. Etsi autem Ecclesia sæpe in hac vita succumbit victa ab hostibus externis (Non enim habet promissionem de externa victoria sicut Dauid habuit, sed mandatum de obedientia sub cruce) tamen in spirituali pugna freta salute Domini id est, salute a Domino promissa, nequaquam inferior erit, sed gloriose triumphabit: habet enim promissionem immotam: *Matth.16.* Portę inferorū nō pręualebūt aduersus eā. In hac promissione dulcissima quatuor simul cogitentur, 1. prędictio certaminum Ecclesię. 2.

2. hostiũ Ecclesiæ consultatio & impugnatio. 3. victoria Ecclesiæ. 4. eius causa. Pugna prædicta est. *Genes.* 3. & continuabitur vsque ad finem mundi, aliis in aliorũ locũ succedentibus, hostium dux est Diabolus ipse, qui varie cõsultat in suis mẽbris de perdẽda Ecclesia per homicidia, & mendacia. Victoria tandem erit gloriosa, etsi cruenta. Causa victoriæ dux belli, & ἀγωνοθέτης, est Iesus Christus victor Diaboli, mortis & inferni. Quicunque sub huius vexillo militauerit strenue, vel in ipso agone mortis ἐπινίκιον canit. certissimus enim est de victoria. Porro triumphali carmini subiicitur votum seu precatio. *impleat Iehoua omnes petitiones tuas*, id est, faxit Deus o Dauid, vt redeas victor & compos voti, in gloriam Dei, & salutem Ecclesiæ ipsius. Nam & hic vniuersalis particula restringenda est ad materiam subiectam.

6. Nunc scio quod saluũ fecit Iehoua vnctum suum, exaudiuit illum de cælo sancto suo in potentiis dextræ eius est salus, &

GRatulatur populus Regi victoriã, cuius authorem merito Deum agnoscit. Vocat autem Dauidem vnctũ Dei metonymικῶς, hoc est, regẽ ab eo cõstitutũ, vt suum populũ regat, & aduersus hostes tueatur. Cũ vnctũ Dei Dauidẽ nominat argumentũ a signo petitur, Dauid vnctus est a Deo in Regem, & Deo in vocatione obtẽperat: igitur Deus eũ defẽdit & dedit victoriã aduersus hostes suos. Sic quilibet statuet se, si in honesta vocatione Deo obtẽperet, habiturũ Deũ defensorẽ. Porro vnctio Regũ apud Iudęos mãdatũ Dei habuit, & erat symbolica sicuti omnes reliquę ceremonię Mosaicæ: Significabat autẽ hęc regũ vnctio, eorũ officiũ esse, fortiter pro lege & grege pugnare, fragrare gratia & virtutibus, alacres esse ad fouendã pacem & concordiam inter homines, idque pie, & sancte. Quemadmodum Rex Dauid fecit, qui typus erat regis nostri Christi, qui longo preciosissimo oleo Spiritu Sancto præ consortibus suis erat vnctus. Sed Dauid Rex tantum erat, Dominus autem & rex & sacerdos: Rex quidem, quia nos regit & defendit, Sacerdos vero, quia pro nobis interpellat apud patrem. Augustinus dicit nullibi morẽ fuisse vngere reges & sacerdotes, nisi in illo regno vbi Christus prophetabatur & vngebatur, & vnde venturum erat Chri-

sti

ſti nomen, a quo & nos Chriſtiani nominamur, qui vncti ſumus in ſpirituales reges & ſacerdotes, idque ſpiritu ſancto. 2. *Corinth.* 1. Qui vnxit nos Deus eſt, qui etiam obſignauit nos, deditque arrabonem ſpiritus in cordibus noſtris. Fuit igitur externa illa vnctio qua Iudaici reges & ſacerdotes vngebantur ſymbolum ſpiritualis illius vnctionis qua nos vngimur in reges & ſacerdotes: ſed huius rei ſymbolicam rationem breuiter exponamus. Olei vis externa in corpore, efficaciam ſpiritus ſancti in anima adumbrat, nam vt oleum lucet, nutrit, roborat, feſſa membra recreat, mitigat dolorem vulnerum, faciem exhilarat: ita ſpiritus ſanctus ſua gratia animam illuminat cæcutientem, nutrit eſurientem, roborat languidam, defatigatam recreat, dolorem mitigat, & faciem animæ conſcientiam exhilarat.

Apoſtolica vnctio, cuius mentio fit *Marci* 6. & *Iacobi* 5. miraculoſa fuit, vngebantur enim ægroti non ad mortem, vt in papatu fit, ſed ad vitam. In Marco enim ſic ſcribitur, vngebant oleo multos ægros, & ſanabant eos, *Iacobi* 5. infirmatur quis inter vos? accerſat præsbyteros, & orant pro eo, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſanabit infirmum. Fuit ergo illa apoſtolica vnctio miraculoſa, duratura ad tempus confirmandi Euangelii cauſa: nunc autem quia donum illud ſanandi miraculoſe ceſſauit, ceſſabit etiam merito eius ſymbolum. Quare vnctionem Papiſticam, tanquam abominationem quandam deteſtemur.

Quantum autem ad vnctionem qua hodie in nonnullis locis reges inaugurantur attinet, eam nec probo, nec improbo, ſi cacozelia ſit Iudaica, ſuperſtitioſa eſt, ne dicam impia, ſi politico fine adhibetur, tanquam externa ceremonia, non cultus gratia, ſed ornandæ inaugurationis cauſa, forte tolerari poteſt, modo diligenter admoneantur qui inaugurantur id fieri vt meminerint ſe athletas eſſe ad pugnandum pro gloria Dei, pro Eccleſia, ſubditorumque ſalute. Sed quid dico? deſtituor verbo, quare aliis hoc diſputandum relinquo, potius quam vt incerta pro certis referam.

Exaudiuit illum de cœlo ſancto ſuo. Supra dixit, *mittat tibi auxilium de ſanctuario, & de Zion tueatur te*, hic autem di-

cit, de cœlo sanctitatis tuæ exaudiuit illum. Quomodo hæc congruat, hoc Solomō clarissime ostendit, vt supra quoque admonuimus. 2. *Paralip.* 6. cum orauerint in loco hoc, id est, (in sanctuario) tu exaudies de loco habitationis tuæ, de cœlo, & parcas. Vult ergo Solomon vt cum preces ad Deum fundimus, mediatorem fide intueamur, cuius typus erat propiciatorium mundanum quod fuit in sanctuario, id quod Dominus sine typo expressit, dicens quicquid petieritis patrē in nomine meo, dabit vobis. Quod Dauid hic vocat cœlum sanctitatis Dei, hoc eius filius Solomon locū habitationis Dei, qui est cœlum nominat. Est igitur cœlum locus & qui in cœlo sunt in loco esse recte secundū scripturam dicuntur. Sed obiicies, Deus est vbique, Deus est in cœlis, ergo in cœlo esse est vbique esse. Respondeo ineptissima est conclusio, quid enim ineptius est quam ex parte totum inferre, cum ex toto pars occluditur? Deinde aliter Deus est vbique, aliter in cœlo, vbique est, vt vulgo recte dicitur, Enter præsenter, Deus est & vbique potēter. In cœlis autē est vltra hos modos, ibi enim magis gloria maiestatis relucet corā sanctis Dei angelis, & animabus sanctorū. Quare & thronus eius in cœlis esse dicitur. Deinde Solomō hic aperte distinguit inter sanctuarii locū qui erat in terra, & locum habitationis Dei, quem cœlū definit: sicuti & ipse Christus distinguit, cum iubet nos orare dicendo: fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra. Vanum est ergo nouum quorundam figmentum, qui cœlū esse vbique contra scripturas contendūt. Sed cur inquies dicitur in cœlo esse, qui est vbique? huius rei has causas possumus ex verbo Dei colligere. 1. Vt cogitātes de Deo extra mundū mētes euehamus, nec quicquā humile aut carnale de ipso somniemus. 2. Quia ibi maxime sicuti dixi relucet Dei gloria, ibique est thronus maiestatis eius, vt loquitur author Epistolæ ad Hebr. 3. Quia ibi parata est a Christo beatitudinis nostrę sedes cū sanctis angelis Dei, & omnibus electis, vt illic Deū videamus facie ad faciē, & corā videamus saluatorē nostrum Iesum Christum. 4. Vt eo aspiremus, atque illic animis nostris ac votis versemur vt Paulus ait πολίτευμα nostrū est in cœlis, vnde saluatorē Dominū Iesum Christū expectamus. 5. Vt precaturi nō prosternamus nos more Ethnico & Papistico corā Idolis, sed leuemus corda nostra in cœlū, iuxta dictū Dauidis: ad Dominū

leuaui

leuaui oculos meos qui habitat in cœlis. Legantur quæ supra *Psal.2.*& 19.annotauimus.

In potentiis dextræ eius est salus. Hoc est Deus sua dextra potẽter saluat. Ecclesia enim si suas spectes vires, multo infirmior est quam vt hostes suos vincat, qui enim fieri possit, vt tã exiguus grex omniũ, tot vrsis, lupis, leonibus, & diabolis se opponeret? At si Ecclesiæ ducem militiæ suæ considerat, Deum & Christum eius, mox bonam spẽ victoriæ cõcipit. Cõfidite ait, *Ioha.16.* ego vici mundũ. Qui ergo fidẽ Christi viuã circũfert, victorẽ mundi secũ habet, in quo certã sibi victoriã polliceri poterit, iuxta illud Iohannis, hæc est victoria quæ vicit mundũ, fides nostra. Cur dicit *vicit*, cũ adhuc bellũ non sit confectum? Quia tam certa est victoria, ac si bellum iam esset confectum, idque propter promissionem Dei quæ fallere non potest. Cur nõ dicit nos vicimus sed fides nostra? Respond. Vt quibus viribus vincamus ostendat: nõ enim nostris viribus, sed eius quem fide apprehendimus, nempe Christi, per quem victoriã consequimur, is enim dextera Dei est, in quo sola salus Ecclesiæ est reposita. Vt enim omnia per ipsum facta sunt, ex quo merito Dei dextera dicitur, ita Ecclesia eadem dextera protegente tuta est.

Quæritur hic de dextera Dei quid sit, certũ est quod dextera Dei proprie vt ad literã accipi nõ potest, cũ Deus nec sit corporeus, nec circũscriptus, sed incorporeus, ἀπερίγραπτος, infinitus, vt nec quidquã illi ad dexteram, nec ad sinistrã proprie loquendo esse possit. Tropice ergo dexteram Dei sumi necesse est, sumpta similitudine ab homine, in cuius manu dextera plus virium est. Dextera ergo Dei, potentia Dei est, qua ipse omniaquæ vult, facit in cœlo & in terra, & hęc dextera communis est Patri & Filio & Spiritui sancto: Vna enim est potentia patris & filii & Spiritus sancti, sicut vna est deitas. Deinde altera persona deitatis singulariter dextera Dei, scilicet patris, dicitur. Dextera, ait Hilarius, nuncupatur filius quia per illum opera diuina perfecta sunt. Idem: Virtus significatur in dextera, ideo Dominus quia virtus & Dei sapientia est, nonnunquam Dei dextera nominatur, per quem aduersus omnes inimicos in omni tribulationum bello protegimur. Quomodo ergo inquies, Christus sedit ad dexteram Dei, cum ipse sit dextera? Respondeo: longe aliud est dextera Dei, quam sedere ad dexteram Dei. Sedere ad

dere ad dexteram Dei est proximum esse Deo, dignitate, eminētia, & gloria beatitudinis supra omnes creaturas, vt suam Ecclesiam regat, & pro ea patrem interpellet *Rom.* 8. At cum de Christo dicitur, *Matth.* 25. Statuet oues quidē a dextera sua, hœdos autem a sinistra, quomodo quæso intelligenda est dextera & sinistra Christi, cū Christus sit Deus incircumscriptus? Resp. Etsi Christus incircūscriptus est secundum deitatem, tamē ratione naturæ assumptæ circūscriptus est, vt Nazianzenus etiam testatur cum ait, περίγραπτος σώματι, ἀπερίγραπτος πνεύματι, humanæ ergo naturæ respectu alios statuet Christus iudicaturus ad dexteram suam, alios ad sinistram: quod profecto fieri non posset, si humanitas coextensa esset diuinitati, neque tamen ideo fit naturarum separatio, quia deitas vbique adest, vtpote infinita.

7. *Hi in curribus & hi in equis, nos autem nominis Iehoua Dei nostri recordabimur.*

ANtithesis fiduciæ hostium Dei & Ecclesiæ hostes Dei omnē suā fiduciā in magno apparatu bellico collocāt, cōtra, Ecclesia & si arma sumit aduersus hostes Dei, tamē omnē fiduciā victoriæ in solo Deo collocat. *At nos*, inquit, *nominis Iehoua Dei nostri recordabimur*, id est, inuocabimus Iehoua Deū nostrū, vires & auxiliū ab eo implorabimus, in illū solū omnē spē nostrā collocātes. Hic proinde obseruetur discrimē inter prophanos homines & sanctos Dei seruos: homines prophani nitūtur arūdineo baculo, dū suis armis freti bella gerunt aduersus Deū. At Ecclesia Dei cū sanctissimo rege Iosaphat, oculos ad Dominū leuat, & ab eius auxilio tota pēdet 1. *Para.* 20. Cū ignoramus, inquit quid agere debeamus, hoc solū habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te *Ps.* 33. hæc antithesis humanorū præsidiorū & auxilii diuini his verbis exprimitur, Nō saluabitur rex in multitudine exercitus sui, fortis nō eripietur in multitudine roboris sui, fallax equus ad salutē, & in potētiæ multitudine nō liberabit: ecce oculi Domini super timētes eū, super sperantes in misericordia eius, vt eripiat ex morte animas eorū. Nō ergo animū despondeamus, nec demus locū huic argumēto: hostes Ecclesię, Turcæ, & Papistæ sunt multi, valēt consiliis, armis, & opibus instructi sunt: At Ecclesia Dei est pusillus grex, nō ita armis & copiis militaribus instructus: igitur Ecclesia superabitur ab hostibus

hostibus suis & prorsus delebitur. Respondeo. Non copias, non apparatū magnum, non sapientia consilia, nō potentia, non opes, nō fraudulentas technas causam victoriæ, sed Dei præsentiam & auxilium, iuxta ipsius promissionem: Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, & honorabis me. Dei enim est regnum, Dei potentia, Dei gloria in omnem æternitatem: ille rex & pastor noster est, nos autem populus eius, & oues pascuæ eius. Hunc ergo ardentibus precibus in vera pœnitentia oremus, primum vt nobis peccata nostra remittat, deinde vt largiatur nobis suum sanctum spiritum, quo persistere possimus in pio, & sancto proposito. Tertio: Vt nos tueatur aduersus hostes nostros propter gloriam nominis sui, & dicamus cum Dauide, *Psalm. 79.* Ne memineris Domine iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiæ tuæ, quia attenuati sumus valde. Adiuua nos Deus misericordiæ, & salutis nostræ, & propter gloriam nominis tui, libera nos, & propitius esto peccatis nostris, propter nomen tuum, ne forte dicant in gentibus, vbi est Deus eorum? Est proinde nomen Domini seu inuocatio Dei fortissima illa rupes ad quam si confugerimus in nostris angustiis vere sentiemus præsentiam Dei & auxilium.

8. *Hi incuruati sunt, & ceciderunt, nos autem surreximus, & ereximus nos.*

Antithesis est euentus fiduciæ præsidiorum humanorum, & fiduciæ auxilii diuini. Vt enim hostes Ecclesiæ sua freti potentia & armis victi succumbunt: ita Ecclesia militans non armis suis, sed præsentia Dei freta victrix triumphat. Hic rursus propter certissimam victoriæ fiduciam, præterita verborum, pro futuris vsurpantur. Hic duæ quæstiones se offerunt: vna, cum Deus amet Ecclesiam, & Ecclesiæ hostes odio habeat. Cur non sine armis delet hostes suæ Ecclesiæ? Altera, cur patiatur Ecclesiam aliquando succumbere triumphantibus hostibus? Ad priorem quæstionem dico, quod tametsi Deus reuera amet Ecclesiam, & Ecclesiæ hostes tanquam suos odio habeat, tamen in bonum Ecclesiæ sic placuit sapienti Deo, vt non sine pugna victoriā consequatur Ecclesia: nam si hoc fieret, inuocationis & gratitudinis obliuisceretur, paulatim languesceret, redderetur superbior, nec vlla gloria esset Ecclesiæ, si ociosa defenderetur. Deinde vtile est Ecclesiæ externis armis exerceri, vt as-

ſuefiat ad ſpiritualem pugnam, aduerſus hoſtes ſuos ſpirituales. Tertio, vt Eccleſia victrix victoriam Deo acceptam ferat, cum ipſius nominis celebratione. Iam ad ſecundam quæſtionem veniamus, quod interdum Eccleſia ſuccumbat triũphantibus Eccleſiæ hoſtibus, id quoque in ipſius bonum cedit, nam victa ſua ſe culpa victam agnoſcit, expendit cauſam peccatum eſſe, quod Deum offenderat: ſupplex petit veniam, promittit emendationem, accipit diuinitus conſolationem, quod cum ſit Eccleſia externe victa multo crudeliores hoſtes profligat, nempe, peccatum & Diabolum, atque ita victrix triumphum in ſpiritu agit, contra vero hoſtes Eccleſiæ etſi foris triumphant, tamen intus miſerrime necantur, dum Diaboli & peccati imperio tanquam proſtrati & mortui ſubiiciuntur, & vt Diaboli ſocii æternis pœnis reſeruantur. Nemo igitur deſperet meliora ſi vel capiatur ab hoſte, vel trucidetur, vel quomodocunque ſecum agatur, ſed retineat fidem, ardenter Deum inuocet, det Deo gloriam qualiſcunque fuerit euentus. Nemo exiſtimet impios ideo eſſe beatos quod interdum ſanguine ſanctorum veluti ſacientur, ſed cogitet extrema cum hoſtium Dei, tum Eccleſiæ, de quibus Dauid canit *Pſalm.* 37. mali delebuntur ſimul, tandem impii extirpabuntur, & ſalus iuſtorum a Domino & præſidium eorum in tempore afflictionis. Proinde conſilio ſaluberrimo noſtri Dauidis obtemperemus, qui ait, Cuſtodi integritatem & delectare rectitudine, quia tandem huic viro pax.

TERTIA PARS.

9. *Iehoua, ſalua, rex exaudiat nos in die inuocationis noſtræ.*

Repetitio eſt precationis per exclamationem: nam inter precandũ creſcit fides & fit ardẽtior precantis affectus, quam fuit in initio: id quod videre eſt in multis pſalmis Dauidis, & pii omnes quotidiana experientia edocti norunt. Hypocritæ ore precantur ſopita mente, conceptas precationum formulas ad faſtidium vſque demurmurant: putant enim quod ob loquacitatem ſuam exaudiantur. Pii autem, contra quid vrgeat ſerio perpendunt, nõ tam concepta verba recitant, quam intimos affectus animi in ſinum Dei effundunt, idque interdum ſine verbo, vt Moſes pugnantibus

gnantibus Hebræis cum Amalechitis, & Anna mater Samuelis. Interdum paucissimis vtuntur verbis: vt cum populus hic, orans ex intimo cordis affectu exclamat dicens: *Iehoua salua*: huic ardentissimæ precationi votum annectit, *Rex* (ait) *exaudiat nos in quacunque die inuocauerimus eum*: Ita ex præterita liberatione fiduciam concipit, vt & posthac se exaudiat cum Deus semper sit sibi similis, nec mutari potest. Porro notandum est hoc loco quod populus Dei ipsum Deum suum regem esse profiteatur, cuius regni administrator in terris fuit Dauid a Deo in regem ordinatus. Vt hinc discamus qualem obedientiam debemus regibus terræ, nẽpe talem quæ non aduersetur mandato regis cœlorum qui est verus Ecclesię rex: Nam hic obedientiam debemus regibus terræ propter mandatum Dei regis cœlorum: Certe iis qui contra mandatum Dei fieri aliquid, quo nos reddamur impij pręcipiunt, obedire minime debemus. Recte ergo fecerunt aulici Saulis, qui nolebant ad imperium Saulis manus extendere in sacerdotes Domini. 1. *Sam.* 22.

Vsus Psalmi Vigesimi.

Quoties hunc Psalmum recitamus, cogitemus quod magistratus pius sit ingẽs donũ Dei, pro quo Deo gratiæ merito agendæ sunt, & orãdum est ardentissimis precibus, vt Deus ipsum, & domi in pace, & foris in bello tueri velit in suam gloriam, & in Ecclesiæ salutem. Nam qui orat pro rege, quærit pacẽ Ecclesiæ, & ipsius hospicij quietem. Ieremiæ 29. Oremus igitur & nos pro nostro rege, vero Ecclesiæ Dei in hoc regno nutricio, & pro senatoribus regni, aliisque gubernatoribus vt in pace eorum sit pax nostra, idque per CHRISTVM IESVM regem regum, & Dominum dominantium, cui honor, laus, & gloria in omnem æternitatem. Amen.

PSALMVS VIGESIMVS PRIMVS.

Summa Psalmi Vigesimi primi.

SÆPE dictum est supra Dauidem typum fuisse Christi: Et haud raro multa tribui typo, quæ proprie & vere non congruunt nisi Christo: vt in hoc Psalme videre est, qui historice quidem de Dauide: mystice vero & proprie de Christo intelligendus est. historice est gratulatorium carmen, quo populus Regi Dauidi victoriam super hostibus suis gratulatur: mystice est dulcissimum ἐπινίκιον regis nostri Iesu Christi de superatis hostibus, peccato, morte, & Satana, quod illi canit Ecclesia. Quare geminam huius Psalmi interpretationem adferam: priorem historicam de Dauidis victoria & debellatis ipsius hostibus: posteriorem de Christo, & victoria super ipsius hostibus, Diabolo & membris eius, quos Christus victor æternis pœnis obruet.

Ordo & dispositio Psalmi Vigesimi primi.

Partes huius Psalmi, docendi gratia, quatuor commode constitui possunt, quæ sunt,

Prima, si typum spectes, est narratio beneficiorum, quæ Deus Dauidi præstitit, eum victorem suorum hostium

hostium faciens: At si Christum, quem David adumbrauit, consideres, gloriosissimæ victoriæ Christi de hostibus suis, peccato, morte, Diabolo, inferno, & Iudæis occidentibus ipsum, vaticinium est. hæc pars quatuor primis versibus continetur.

Secunda (quæ 5. 6 7. versibus absoluitur,) historice firmitas regni Dauidici describitur, quæ descriptio nequaquam per omnia congruit Dauidis gubernationi: Quare mystice & proprie de æternitate regni Christi, cuius non erit finis, accipienda est.

Tertia, 8. 9. 10. 11. & 12. versibus, historice quidem est comminatio hostium Dauidis: mystice vero est prædictio abiectionis populi Israelitici, propter suã aduersus Christum regem contumaciam, & crudelitatem.

Quarta & postrema, & vltimi huius Psalmi versus, est Epiphonema gratulatorium, seu gratiarum actio historice quidem propter præstita regi Dauidi beneficia, mystice vero est votum Ecclesiæ, de proferendo Christi regno in omnes fines orbis terrarum, vel inuitis ipsius hostibus. atque ita hic Psalmus historicus & propheticus est simul, in quo multa de regno Christi & hostium ipsius perpetua internecione, & gloria Ecclesiæ sempiterna se offerent explicanda.

EXEGESIS PSALMI VIGESIMI PRIMI CVM indicatione doctrinarum.

1. IEHOVA *in virtute tua lætabitur rex, & in salute tua exultabit vehementer.*

HISTORICE narrat beneficia Dauidi, mystice autem Christo homini præstita. Vt enim Deus sua virtute salutem Dauidi ob quam exultat, tribuit: ita Christo regi salutem per victoriã super peccato, morte, Diabolo, & inferno contulit, ob quam victoriam gaudet & triumphat. Nos hinc discamus primũ beneficium Dei esse piorum regum, & principum gubernationem & defensionem, ab illo enim est eorum fortitudo & salus, adeo vt sine illo nec quicquam valeant, nec salui esse possint. Deinde quod in virtute & in salute Dei per Christum Ecclesia merito exultare debeat, nam Christus victor suis membris, hoc est, Ecclesiæ, hanc spiritualem exultationem & gloriam in virtute & salute Dei positam communicat. Sed hic iuxta tenendum est vt Christus non sine ingenti certamine in suam gloriam est ingressus, ita nec nos nisi per crucem in gloriam Christi quæ & nostra est, intrabimus, iuxta Pauli dictum: Si vna patimur, vna etiam regnabimus. Hic quæstio oritur, si rex noster Christus exultat & lætatur in virtute & salute Dei, quid dicemus? est ne ergo filius Dei omnipotens vt pater: Respondeo: patris & filij & Spiritus sancti vt nuper diximus Psalm. supra est vna dextera, & vna potentia. Quomodo igitur hic dicitur Christus lætari & exultare in virtute & salute patris? Respondeo. Quatuor sunt spectanda in filio Dei, videlicet, natura æterna, persona æterna, voluntaria humiliatio æternæ personæ, & humana natura in se considerata.

Respectu æternæ naturæ vna est potentia Patris & Filij

Filij & Spiritus ſancti, vt dictum eſt, quia vna natura: non hic eſt æqualitas ſed αὐτότης & identitas naturæ & idiomatum naturæ, quæ non ſunt aliud quam ipſa eſſentia ſeu natura Deitatis.

Reſpectu ęternæ perſonæ filij eſt æqualitas potentiæ patris, & Filij & Spiritus ſancti, quia perſonæ ſunt diſtinctæ, huc pertinent ſymboli verba, Æqualis patri ſecundum Deitatem, ſiquidem vtraque perſona eſt Deus verus & perfectus. Non enim eſt alia θεότης patris & alia filij, ſed vna prorſus numero. Quare filium Dei in Symbolo confitemur ὁμοούσιον patri, & Spiritui Sancto.

Si conſideramus œconomiam illam adorandam quam ne angeli quidem perſpiciunt ſatis, videlicet, quod æterna perſona Filij Dei humiliauerit ſe, aſſumendo humanam naturam in vnitatem ſuæ perſonæ, vt idem eſſet, & Deus & homo vna perſona. Si hanc inquam voluntariam humiliationem Filij Dei conſideramus, filius eſt minor patre, ſicut ipſe ait, Pater maior me eſt: Factus eſt enim Mediator inter Deum & nos homines, factus eſt obediens patri vſque ad mortem crucis, exaltatus eſt ad dexteram Patris, & datum eſt ei nomen quod eſt ſupra omne nomen: eminet enim ſupra omnes creaturas, dignitate, & potentia, infra tamen eum qui ei ſubiecit omnia. 1. *Corinth.* 15. De hac voluntaria humiliatione accipienda ſunt verba ſymboli. Minor patre ſecundum humanitatem, quod Paulus hiſce verbis docet, *Philippus* 2. Qui cum eſſet in forma Dei, non duxit rapinam æqualem eſſe Deo, ſed ipſe ſe inaniuit, forma ſerui ſumpta, & ſimilis hominibus factus, & habitu compertus eſt homo. his congruit dictum Auguſtini libr. 1. de Trinitate: Dei filius Deo patri natura eſt æqualis, habitu minor, in forma enim ſerui, minor eſt patre: in forma Dei, æqualis eſt patri.

Porro ſi ſpectetur humana Chriſti natura in ſe, eſt vere creatura: & non creatrix fuit vere infirma vſque ad mortem, facta eſt potens a reſurrectione a mortuis, ornata eſt donis ſupra omnes creaturas, exaltata eſt ſupra omnes cœlos, eminet ſupra omnes Choros angelorum, dignitate, maieſtate, potentia, & vere lætatur & exultat

in virtute, & salute Dei. Etsi autem ita eminet humana Christi natura, non tamen deposuit suam veram & naturalem proprietatem, id est, non est mutata in Deitatem, non est infinita facta, sed habet iuxta Theodoreti confessionem circumscriptionem quam prius habuit, id quod ex historia resurrectionis & ascensionis: Item ex scripturis & symbolis manifestum est. Quomodo enim verus Deus, & verus homo erit nisi per veritatem & proprietatem vtriusque naturæ. Huc quædam piæ antiquitatis testimonia de veritate naturæ humanæ in Christo adiiciam. Augustinus Epistola 57. ad Dardanum. Noli itaque dubitare ibi nunc esse hominem Iesum Christum vnde venturus est, memoriterque recole, & firmiter tene Christianam confessionem. Quoniam resurrexit a mortuis, ascendit in cælum, sedit ad dexteram patris, nec aliũde quam inde venturus est ad viuos mortuosq; iudicãdos, & sic venturus est illa angelica voce attestante, queamadmodũ visus est ire in cælum, hoc est, in eadem carnis forma atque substantia. cui profecto immortalitatem dedit, naturam non abstulit, secundum hanc formam non est putandus vbique diffusus. Cauendum est enim ne ita diuinitatem astruamus, vt veritatem corporis auferamus Non est autem consequens vt quod in Deo est, ita sit vbique vt Deus. Et paulo post addit: Vbique per id quod Deus est, in cælo autem per id quod homo. idem. Quando caro Christi fuit in terra, non fuit in cælo, nunc quia in cælo est, non est vtique in terra. idem, Christus vbique est tanquam Deus, & in loco propter veri corporis modum.

Athanasius eum locum deseruit in quo erat, vt in alium locum veniret vbi non erat..

Cirillus, corpore absens Christus, sedet & interpellat pro nobis apud patrem, qui secundum Spiritum in sanctis habitat.

Vigilius. Vnus Dei Filius, idemque hominis factus filius, habet initium ex natura carnis suæ, & non habet initium ex natura diuinitatis suæ. Creatus est per naturam carnis suæ, & non est creatus per naturam diuinitatis suæ: circumscribitur loco per naturam carnis suæ, & loco non capitur per naturam diuinitatis suæ.

Fulgentius.

Fulgentius. Christus secundum humanam substantiam abfuit cælo, cum esset in terra, & dereliquit terram cum ascendit in cælum. Taceo infinita alia totius piæ antiquitatis testimonia, quæ omnia congruunt ad symbolum apostolicum de quo nos Christiani gloriamur. Quod autem Eutychiani dictum Pauli ad *Ephes.* 4. (ascendit supra omnes cælos vt impleret omnia) torqueant ad abolendam veritatem naturæ humanæ in Christo, quasi post ascensionem non habeat circumscriptionem quam antea habuit, & seipsos, & alios misere fallunt, confundentes proprietates personæ, & humanæ naturæ in Christo. Sic ergo tenendum est. Scriptura confert Christum soli, qui sol constat lumine & corpore solari. Vt ergo sol mane oritur & ascendit supra nos in altum, vt omnia inferiora suo lumine impleat, & illustret, atque virtute sua vegetet, manente interea corpore solis in suo orbe cælesti: Ita Filius Dei sol iustitiæ in assumpta humana natura ascendit supra omnes cælos vt impleat omnia, cum sua diuinitate, tum donis, & beneficiis, quibus abunde suam Ecclesiam ditat, conseruat, vt beatam reddat, manente interea ipsius sanctissima humanitate in summo cælorum, quo recepta est ad dexteram patris, in quo & inde venturus est Filius Dei ad iudicandos viuos & mortuos, iuxta scripturas, & totius piæ antiquitatis Christianam confessionem. hæc proinde sententia quæ nititur firmissimo fundamẽto vt dictũ est de veritate humanæ naturę in Christo, propter Eutychetis furores firmissime tenenda est: in ea enim sola spes resurrectionis nostrorum corporum posita est, expectamus enim, vt Paulus ait, e cælo saluatorem Iesũm Christum qui transfigurabit nostra abiecta corpora, vt fiant conformia ipsius glorioso corpori, idque per eam potentiam, qua potest sibi omnia subiicere.

2. *Desiderium cordis dedisti ei, & prolationẽ labiorũ eius nõ prohibuisti. Sela.*

Ratio est propositionis historice Dauid exauditus a Deo, iure igitur exultat & lætatur. Quęnã enim quæso maior exultatio esse poterit quã habere Deũ propitiũ, exaudiri a Deo, & liberari in suis aduersis? hæc gloria est solius Ecclesię Dei vt quę & accessum habeat ad patrem per fidem in Iesum Christum,

& habeat mandatum inuocationis, & promissionem, quod Deus velit se exaudire, & dare quicquid petierit in nomine Christi mediatoris nostri vnici, qui dedit seipsum ἀντίλυτρον pro omnibus. Inuoca (inquit) me in die tribulationis exaudiam te, & glorificabis me.

Mystice, hæc de Christi intercessione pro Ecclesia accipienda sunt, quæ intercessio est solius sacerdotis nostri Iesu Christi, cuius hæc tria sunt præcipua, propriaque officia: tradere doctrinam de Deo, offerre victimam pro peccatis, & intercedere pro Ecclesia apud æternum patrem. de his partibus sacerdotii Christi, alias copiosius dicemus. Obseruetur hic coniungi duo in oratione, videlicet, desideriũ cordis, (scilicet fide purificati, & mãdato Dei, promissione atq; merito Christi sustentati) & prolationem labiorum, id est, vocem. Desiderium cordis (fide purificati, mandato Dei, promissione atque merito Christi sustentati) efficacissima est oratio, etiamsi non accesserit verborum prolatio. Labiorum autem, id est, verborum prolatio sine desiderio cordis, inanis est sonitus, & fædus nominis diuini abusus. Cur autem verba coniungi cum cordis desiderio vtile sit, Augustinus docet, cum ait, Quanuis inuisibilis voluntas orantis, Deo sit nota, nec vllis indigeat indiciis, vt ei animus pandatur humanus, quo loquutionem cordis cognoscat. Tamen homo vocibus & membris sui corporis vtitur, vt sic orando affectus hominis humilior, deuotior, & feruentior crescat. Est & hic notandum, quod Dauid hoc loco cor sedem faciat voluntatis, & affectuum, cuius etiam appellatione intelligentia hominis venit, sed de hac re supra a nobis copiosius dictum est. Præterea phrasis hæc *non prohibuisti*, obseruatione digna est: ponitur enim hic vt sæpe alias in scripturis, contrarium negatum: pro eius contrario affirmato. Sunt autem hic contraria, prohibere & annuere, seu admittere preces, non ergo prohibere est annuere precibus, casque admittere, & exaudire precantem: talis est etiam ea locutio, indurauit, pro nõ molliuit, seu non molle reddidit cor. Sic nocere pro non prodesse, & e contra.

Versũ claudit voce *Sela*, quæ est intendendi cogitationis nota, vt cogitemus diligenter quam magna & admirabilis fuerit beneuolentia Dei erga Dauidem, sitque semper aduersus

uerſus Eccleſiam & omnia eius viua membra.

3. *Quoniã præueniſti eũ benedictionibus bonis, poſuiſti ei in caput coronã aureã.*

Expoſitio eſt rationis proximę, hiſtoria hæc eſt, Dauid poſt multa certamina cũ variis hoſtibus, iiſq; potentiſſimis, & poſt magnã humiliationem, tandem bonitate Dei peruenit ad regnũ, & ſuperatis hoſtibus tranquillam vitam egit ex benedictione Domini. Cum autem Dauid in hac humiliatione & exaltatione typum Chriſti geſſerit, merito quæ hic hiſtorice de Dauide dicuntur, idque multo rectius Chriſto accommodantur. Nam hic poſt ingentia cum peccato, morte, & Satana certamina, tandem eluctatus eſt, vt deleto peccato, abolita morte, & condemnato principe huius mundi Diabolo, glorioſe regnet rex regum & Dominus dominantium. Sunt ergo hæc intelligenda de triumpho Chriſti myſtice, reſurgentis a mortuis, aſcendentis in cælos & captiuam ducentis captiuitatem, & donantis dona hominibus. Huc facit dictum Pauli ad *Philipp.* 2. ipſe humiliauit ſeipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis, propter hoc Deus etiam donauit illi nomen, quod eſt ſupra omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu ſe flectat, cæleſtium, terreſtrium & inferorum, & omnis lingua confiteatur quod Dominus ſit Ieſus Chriſtus in gloria Dei patris.

Benedictionis vox qualenam regnum Chriſti ſit indicat, videlicet, quod opponatur regno Satanæ, quod eſt maledictionis, hoc eſt, peccati, iræ Dei, mortis & miſeriæ ſempiternæ. Cum igitur regnum Chriſti, benedictionis regnum eſt, iuxta promiſsionem: Benedicentur in ſemine tuo omnes cogitationes terræ, dominabitur in eo iuſtitia, pax, vita beata, & fœlicitas æterna, abolito peccato, placata ira Dei, victa morte, & donata vita æterna in qua vera ſalus & beatitudo ciuium regni Dei ſeu filiorum Dei conſiſtit. Quod autem huius benedictionis vis tam late pateat ex trium rerum conſideratione faciliſsimũ erit intelligere, quæ ſunt. 1. Deſcriptio regni Diaboli. 2. Prima promiſsio de abolendo regno Diaboli. 3. Repetitio promiſsionis primæ, ſub nomine benedictionis in ſemine Abrahæ.

Deſcriptio regni Diaboli *Gen.* 3. huiuſmodi eſt: Diabolus mendacio pertraxit hominem in peccatum, & per peccatum in pœnam, id eſt, in iram Dei, maledictionem & mortem æternam. Hoc regnum ſic acquiſitum, mendacio & homicidio propagatur, & tendit ad ſempiternam miſeriam, ſub quo regno omnes homines ab Adam propagati, ſecundum communem naſcendi legem captiui tenentur, donec per Filium liberentur.

Prima promiſsio de abolendo regno Diaboli hæc eſt: ſemen mulieris conteret caput ſerpentis, hoc eſt, Iohanne interprete 1. *Ioh.* 3. vt deſtrueret opera Diaboli Chriſtus apparuit. Iam autem manifeſtum eſt opera Diaboli dici quorum ipſe author eſt quouis modo: cuius generis ſunt peccatum, ira Dei, mors æterna, & ſempiterna miſeria. horum primi, id eſt, peccati, author fuit Diabolus per ſe, nam eius & ſuaſor primus & perſuaſor fuit: Cauſa autem propria efficiens erat voluntas hominis libera per ſuaſa a Diabolo: Reliquorum autem, ſcilicet, iræ Dei, iudicii ad mortem æternam, & miſeriam, cauſa fuit Diabolus quidem per accidens, Deus vero per ſe: nam iſta ſunt profecta a iuſtitia Dei punientis peccata. Verum quia iſta peccatum comitantur, cuius author eſt Diabolus, eorum quoque author quadam ratione haberi poteſt. Cum ergo Filius Dei factus eſt homo vt regnum Satanæ diſſoluat, neceſſe eſt vt peccatum aboleat, & reſtituat iuſtitiam, vt irā Dei placet, & hominem Deo reconciliet: vt mortem deſtruat, & vitam reddat: vt liberet a ſempiterna miſeria & donet æternam fœlicitatem. Repetitur autem prima promiſsio hiſce verbis. *Gen.* 12. *Benedicentur in te* (id eſt in ſemine tuo) *omnes cognationes terræ.* hic benedictionis vocabulo continetur quicquid in ſe habet prima promiſsio: Quare oportet per hāc benedictionē intelligi, & deſtructionē regni Diaboli, quod maledictionis eſt, & erectionē ſeu cōſtitutionē regni Meſsię, quod eſt benedictionis. Fieri enim non poteſt vt locus ſit maledictioni, vbi benedictio plenū tenet imperium: nam vbi benedictio hęc dominatur, ibi eſt plena iuſtitia & æterna vita abolitis peccato, & morte, victoque Diabolo.

Porro vt Paulus a terrenis benedictionibus hanc peculiarem benedictionem diſtinguat vocat eam ſpirituale: ita enim ait, ad *Eph.* 1. Benedictus Deus & Pater Domini noſtri

Ieſu

Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali, in cœlestibus in Christo. Indicat ergo Paulus duplicem esse benedictionem, videlicet, spiritualem seu cœlestem, & carnalem siue terrenam, hæc cœlestis benedictio & spiritualis in Christo, duplex est: videlicet regni & viæ, qua peruenitur in regnum. Benedictio regni, id est, qua regnum Christi stabilitur, & in qua consistit, est iustitia, pax, vita æterna & fœlicitas. Benedictio viæ, id est, qua peruenimus in possessionem thesauri regni cœlestis, id est, æternæ vitæ in cœlis transigendæ, & conformitatis nostræ cum Deo, est noticia Euangelii, fides, spes, charitas, patientia, cæteraque dona quæ ex fontibus manant, quæ propterea Bernhardus erudite non causam regnandi sed viam regni vocat. Nam diligenter discernendum est inter causam huius benedictionis, & applicationem, & stabilem possessionem. Causa est Christus vt diximus, ita enim ad *Galat.* 3. scriptum est, Christus nos redemit de maledictione legis factus pro nobis maledictum vt in Gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo. Applicatio huius benedictionis per fidem, quæ concipitur ex voce Euangelij, in qua efficax est spiritus sanctus: Sic enim Paulus ait, Qui ex fide sunt, benedicuntur cum fideli Abraham. Item: promissionem Spiritus accepimus per fidem: nam spiritus est qui nos certos reddit de hac spirituali benedictione, quod eius simus participes. Stabilis possessio & firma huius spiritualis benedictionis manet donec retinetur fides & bona conscientia, quæ in fuga vitiorum & in obedientia erga Deum seria & perseuerante conspicitur. Hanc conditionem perseuerantiæ requirit Paulus Colossensibus *ca.* 1. scribens in hũc modum: Si modo permanetis in fide fundati & firmi, & non dimouemini a spe Euangelii quod audistis.

Porro terrena benedictio etsi maxima est si per se consideratur, & admodum multiplex si eius varia genera cogitantur, pro qua nemo vt par est, dignas agere Deo gratias potest, hac enim concipimur, fouemur in vtero materno, prodimus in hanc lucem, sumus, viuimus, mouemur, hac ornamur in bonum, publicum & priuatum, hac constituuntur familiæ, conseruantur regna, hac campi florent, arbores germinant, terra dat fructum suum.

Breuiter. Quicquid boni in natura est, ex benedictione Domini prouenit: tamen si conferatur hæc terrena benedictio cum illa benedictione cœlesti & Spirituali quam habemus in Christo, ita obscuratur, vt nullius pene reputationis esse videatur. Quæ enim quæso collatio esse poterit inter æterna bona, & temporalia, inter sempiternam vitam, eamque beatissimam & hanc caducam quæ vapor est ad modicum durans, inter fruitionem summi boni infinitique & perceptionum omnium voluptatũ huius vitę, quæ admodum angustis terminis clauditur? nam *vita fugit densæque oculos pressere tenebræ.* vt Lucanus ait. Vt ergo solis oriẽtis splendor, stellarũ lucem veluti obscurat: ita Spiritualis illa benedictio terrenã quasi obnubilat, hæc terrena benedictio, etsi in se bona est, vt quæ ab optimo Deo proficiscatur, tamen propter eius euentum seu vsum & abusum aliis in bonum, aliis in malum cedit. Vt enim piis & timentibus Deum instrumentum virtutis & pietatis exercendæ est, vt in Abrahamo, Cornelio Aulico, & multis aliis est videre: Nam hi Deum sibi benedicentem vicissim benedicunt, id est, agnoscunt se a manu Dei benedictionem accepisse, gratias agunt Deo, Deum laudant, & benedictione accepta in timore Dei vtuntur, in ipsius gloriam, atque ita recto vsu donorum Dei Deum datorem magnificant: ita impiis (ipsorum tamen culpa) benedictio hæc terrena fit condemnationis instrumentum, vt in Nerone & in Pharisæo cuius meminit Lucas, & in multis impiis est cernere, quibus versum istum occinere licebit. *O miseri, quorum gaudia crimen habent.*

4. *Vitam petiit a te, & dedisti ei longitudinem dierum in seculũ & in perpetuum.*

MEminit rerũ omniũ affluentiæ, meminit dignitatis regiæ, & glorię, nũc addit vitæ longitudinẽ quã petenti Dominus tribuit, historice quidẽ hoc ad Dauid pertinet qui precibus suis impetrauit vitã longæuã, de quo ita scriptũ est. 1. *Paral.* 30. Mortuus est in senectute bona, plenus vitæ, diuitiarũ & gloriæ. Mystice ad Christum hic versus referendus est, cuius regni non erit finis: victa enim morte per gloriosam resurrectionem, viuit rex regum, & Dominus dominantium in omnem æternitatem, semper enim adest suæ

Ecclesiæ, impertit ei vitam, in ea regnas, arcet hostes Ecclesiæ, eamque potenter aduersus Diabolos, tyrannos, & Sophistas tuetur & defendit, huius maiestate plenũ est cœlum, plena est terra, plenus est infernus, teste Paulo, qui ait, dedit ei nomẽ quod est supra omne nomẽ, vt ad nomẽ Iesu flectatur omne genu, cœlestium, terrestrium, & inferorum.

Porro in hoc dicto Dauidis: *vitam petiit a te, & dedisti longitudinem dierum*, plures continentur insignes hypotheses, quarum quasdam subiiciemus numero distinctas. *Prima*, longæua vita donum Dei est, sicut & promissio quarto præcepto addita docet, honora parentes, vt sis longæuus super terram. Verum quoniam longa vita in earum rerum numero est quibus qualitas boni, maliue ex vsu accedit: sciendum est quod tum demum longæua vita sit laudanda & expetenda, quando virtute, pietate, & præclaris de humano genere meritis condecoratur. Contra vero si in vitiis traducitur, si pietatis vacua est, si ociosa & inutilis est humanæ societati, non tam vita quam mors dicenda est. Sic enim Paulus docet cum ait 1. *Tim*. 5 Vidua quæ in deliciis versatur viuens mortua est. Item ad *Eph*. 2. Cum essetis mortui in delictis & peccatis vestris. Quapropter longitudo vitæ spectetur dupliciter, primum ex annorum numero, quæ si cum virtute, pietate, & benemerendi studio traducta fuerit, singularis Dei benedictio est. Alias maledictionis est argumentũ. Deinde spectetur non ex tẽporis spacio, sed ex virtutis & pietatis studio qua ratione vel vnus vitæ dies, Nestoreos annos superat: Vnde sapiens honorata est senectus, non longæuam adepta vitã, neque numero dierum definita. Quapropter illud tandem vitæ tempus satis longum putetur, quo quis cum virtute & pietate laudabiliter viuit. Huc pertinet & Senecæ dictum, Sicut fabula sic & vita, non quam diu, sed quam bene acta sit, refert. Proinde si quis immatura morte abripitur, ex anteacta vita iudicatur de eius æuo. Quod si pie transactum est, satis longum fuit, præsertim ei qui obiit, nam absque dubio hoc inter benedictiones Dei numerandum est. *Sap*. 4. Translatus est (scilicet, iustus) ne malitia mutaret intellectum eius & ne dolus deciperet animã eius. At si diu vixit & male, dole potius illum vixisse, quam obiisse. *Secunda*. Quia Dauid hic petit a Deo longam

vitam, eamque impetrauit, sequitur quod etiam tibi liceat longæuam vitam a Deo petere, modo sub iusta conditione hoc facias, hoc est, modo nõ tam tuam, quam gloriam Dei spectas, hoc est, si eum finem viuẽdi tibi proponis, quem Dauid sibi præstituit, videlicet, vt seruias Deo in tua vocatione minime fraudulenter. Sic Ezechias rex sanctissimus precibus impetrat quindecim annorum augmentum vltra tempus vitę sibi a Propheta prędictum. Sic Paulus etsi desiderauit vitam hanc caducam æterna commutare, ad quã nemini nisi per mortem patet accessus. Tamen propter gloriã Dei promouendam, & Ecclesiã ædificandam longiorem aliquatenus precatus esse vitam videri potest. Sic pii precantur bonis gubernatoribus longiorem vitã quo vna cũ illis tranquillius & beatius viuant. Sed qui fit, inquies, quod pii petant longæuam vitam cum tamen sciant & persuasum habeant per Spiritum fidei, sibi hinc migrantibus propositã esse in cœlo beatã requiem, coronã gloriæ, ac dulcissimam consuetudinẽ cum Christo Domino, cũ sanctorum patriarcharũ animabus, & cum castissimis spiritibus. Respondeo: hic affectus naturæ est quo cupimus diutissime conseruari societatem animarum & corporum nostrorum, quæ non sine cruciatu a se inuicem auelli possunt, ideo pii, vt est 2. *Cor*. 5. In hoc tabernaculo suspirant onerati, eo quod nolunt exui, sed superindui vt mors absorbeatur a vita. Tametsi igitur mors Sanctorũ aditus est ad meliorem vitã, tamen quia naturæ sensu est formidabilis, vita longior etiam a sanctissimis Dei hominibus expetitur, qui tamen grauiori ætate pressi, cupiunt liberari, tum enim sperant mortem minus acerbam fore, nam tum euenit vt sine vi hinc tollantur, huc pertinet dictum Catonis, Quasi pomum ex arboribus, si cruda sint viauelluntur, si matura & cocta decidunt, sic vitam adolescentibus vis aufert, senibus maturitas. *Tertia*, hoc Dauidis dictum Stoicum fatum & eorum sententiam qui omnem contingentiam tollunt, prorsus euertit. Si enim petenti Dauidi Deus longitudinem vitæ dedit, potuit certe vtrumque, videlicet, & tribuere & non tribuere Dauidi longitudinem vitæ: Non igitur connexæ sunt causæ prima & secũda, quia prima liberrime agat quæ vult, Si enim causa longæuæ vitæ ex parte Dauidis fuit, eius precatio, & ex parte Dei liberrima ipsius voluntas, qua pre-

cantem

cantem exaudiuit, profecto merum somnium est, iudicare omnia euenta pendere ex æterna serie causarum necessario nexarum, eaque ineuitabili. Neutrum horum vel cum prouidentia, vel cum præscientia Dei vllo modo pugnat. Tametsi nec sensu nostro, nec ratione percipere satis possumus quomodo id fiat. Sit nobis non sensus nec ratio nostra mensura prouidentiæ, & præscientiæ diuinæ, sed verbum Dei clarum & perspicuum, quod vtrumque docet, videlicet, & esse præscientiam omnium futurorum, & esse contingentiam. Nequaquam igitur sentiendum est quod petitio Dauidis fato alligata fuerit: sed potius quod fuerit voluntatis liberæ: potuit enim petere & non petere, & Deus potuit petita dare & non dare, siquidem quod Dauid libere petiit, hoc Deus liberrime dedit, exclusa vtrinque non prouidentia diuina sed necessitate. Sint noti studiosis versus Mantuani:

Fortunam superat virtus, prudentia fatum,
Curat hon. statem, iustitiamque Deus.

Quarta, stantibus his tribus hypothesibus, hæc quarta etiam immota erit, vt quæ in illis includatur, videlicet, quod terminus humanæ vitæ non claudatur Parcarum tabulis, sed pendeat partim ex natura, partim ex iudicio Domini iuxta eius promissiones & comminationes. Ad hanc sententiam confirmandam sufficiant hæc duo Solomonis dicta, *Prouer.* 10. impii non dimidiabunt dies suos (quos, scilicet, naturæ beneficio habere possent) & timor Domini apponit dies, etiam vltra eos quos naturæ beneficio alioqui habere posses. Sed cum de hac hypothesi copiosius in Enchiridio dictum est, nolo eam prolixius hic repetere. Sed hoc in genere toto pectore teneamus, quod in tota nostra vita ad promissiones & comminationes diuinas respiciendum sit obedientibus ex fide promissiones diuinę etiam legales in Christo sunt etiam & Amen, id est ratissimæ: nam illis promittitur ab optimo & potentissimo Deo fœlicitas, quæ est omnium rerum exoptandarũ plenitudo, contumaces autẽ etiãsi tegantur galea vrsi pœnas nequaquam euadent: nam illis imminet sempiterna miseria, quæ est omnium malorũ maximus cumulus.

SECVNDA PARS PSALMI XXI.

5. *Magna est gloria eius in salute tua gloriam &*

SI historiam respicimus in hac secunda psalmi

decorem posuisti super eum. | parte describitur firmitas regni Dauidici & regis Dauidis gloria, quam post maximam humiliationem sub Saule & ingentia certamina aduersus hostes externos & domesticos, adeptus est. Nemini enim gloria contingit vera ocioso & ignauo, sed semper eam præcedit labor & ingentia certamina. Nemo, inquit Paulus coronabitur, nisi qui legitime certauerit. Sciamus igitur & nos crucem gloriam præcedere & post crucem sequi victoriam. Nam qui turpiter sub cruce & in certamine succumbit, non solum gloriam nullam assequitur, sed maximam ignominiam reportat. Gradus proinde hinc obseruentur quibus peruenitur ad gloriam veram, videlicet, hominis legitimum certamen aduersus hostes suos, peccatum, mundum, carnem, Diabolum, Auxilium diuinum, nam vt in hymno quodam canitur, *sine tuo numine, nihil est in homine, nihil est innoxiũ*: ita enim ait Dauid, *in salute tua*, siue per salutẽ, siue ob salutẽ siue in saluatione tua, hoc est propter opẽ, quã tu o Deus Dauidi tulisti. Victoria, quæ est effectus strenue pugnantis Deo adiuuante, gloria ipsam consequitur, quæ est fama celebris cum laude ob virtutem & res bene gestas. *Gloriam*, inquit, *& decorem posuisti super eum.*

In textu Hebraico tria sunt vocabula, eandem plane rem declarantia, sed diuersimode. Vocabula autem hæc sunt, *Cauod*, gloria: *hod* celebritas: *hadar* decor seu claritas. *Primum* sumitur a fundamento seu materiali gloriæ: est enim sumptum vocabulum Hebraicum a grauitate seu pondere, qua significatur magna virtus & ingens certamen, quo respexit Paulus 2. *Corinth*. 4. cum ait, momentanea leuitas afflictionis nostræ καθ' ὑπερβολὴν, εἰς ὑπερβολὴν, æternum pondus gloriæ operatur. *Secundum* vocabulum *hod*, significat celebritatem eam quæ comitatur virtutem, & res præclare gestas, quæ est hominum testificatio de alicuius prȩclare gestis, atque ita videtur hoc vocabulum a termino sumptum esse. *Tertium* vocabulum *hadar*, quod & *hæder*, quo vocabulo & nos Dani vtimur, est proprie formale ipsum, quod latine proprie gloria dicitur, hoc vocabulum Græci interpretes nunc μεγαλοπρέπειαν, nunc κάλλος, nunc τιμὴν vertunt. Mystice autem hoc Dauidis dictum est prophetia de Christi gloriosa victoria & triumpho, super morte peccato, & diabolo. Nam postquam humiliatus est Filius Dei in assumpta serui forma

vsque

vſque ad mortem crucis, victor eſt factus & exaltatus ſupra omnes cœlos in gloriam patris, conſtitutus rex regum, & Dominus dominantiũ, cuius gloriæ nullus erit finis: quam gloriã etiam ſuis membris communicabit, modo ad ipſius exemplũ ſtrenue pugnauerit aduerſus hoſtes ſuos, & euaſerint victores, ſic enim Paulus ait. ſi vna cũ illo patimur, vna etiã regnabimus, participes ipſius gloriç, vt eius viua mẽbra.

6. *Quoniam pones eum benedictiones in æternum: exhilarabis eum in læticia apud vultum tuum.*

VT in ſuperiori verſu myſtice gloriam regni Chriſti deſcripſit, ita in hoc verſu ſacerdotis ei munus attribuit. Eſt enim ſacerdotis officium benedicere. Etſi autem ſupra dictũ eſt de benedictionibus noſtri ſacerdotis, tamẽ huc pauca adiicere viſũ eſt, vt intelligatur diſcrimen inter benedictionẽ qua Aaronici ſacerdotes benedicebãt populo Iſraëlitico, & eam qua noſter ſacerdos Chriſtus ſuę Eccleſię benedicit. Aaronici ſacerdotes ſolummodo inuocatione nominis Dei benedicebant populo Iſraelitico, quam benedictionẽ teſtabantur manuum ſuarũ impoſitione. De hac Aaronica benedictione extat & mandatũ & promiſſio, & forma benedicendi, *Num.* 6. Mandatũ hoc eſt, Sacerdotes ponent nomen meũ ſuper filios Iſrael, hoc eſt ſacerdotes Aaronici impoſitis manibus ſuper filios Iſrael, inuocabunt me, pro filiis Iſrael, & bene illis precabuntur. Promiſſio, Et ego benedicam, id eſt, filiis Iſrael benefaciam. Aaronici enim ſacerdotes verbis & ſignis ſolummodo egerunt, Deus ipſe efficaciter benedixit, i. benefecit ſuis cultoribus. Forma benedicendi hęc fuit, Benedicat tibi Iehoua & cuſtodiat te: illuſtret Iehoua faciem ſuam ſuper te, & miſereatur tui: attollat Iehoua faciem ſuam ad te, & ponat in te pacem.

Chriſtus autem ſacerdos noui fœderis benedicit Eccleſię ſuæ non ſolum inuocando patrem pro Eccleſia, verumetiã merito & efficacia. Quicquid inquit petieritis patrem in nomine meo dabit vobis. Ipſe enim nõ ſolũ precatur bene ſuę Eccleſiæ, verumetiam merito ſuo pro ea intercedit apud patrem, & dat ei varia dona. Verum vt hanc benedictionẽ noſtri ſacerdotis Chriſti plenius intelligamus, adducam dictũ Pauli, *Galat.* 3. ex quo circũſtantias huius benedictionis ſpiritualis colligã, & breuiter declarabo. Dictũ Pauli hoc eſt,

Christus nos redemit de maledictione legis, factus pro nobis maledictum, scriptũ est enim maledictus est omnis qui pendet in ligno, vt benedictio Abrahę fieret in Christo Iesu, & promissionẽ Spiritus sancti accipiamus per fidem. In hac Paulina sentẽtia (quæ est interpretatio non solũ promissionis factæ Abrahamo, huius videlicet, Benedicentur in te omnes gentes: verumetiã horum verborũ Psalmi, *pones eum benedictiones in æternũ*) quatuor sunt quę ordine explicabimus.

Primum, Quod Christus nos redemerit de maledictione legis.

Secundum, Quomodo hoc fecerit?

Tertium, Quis sit huius redemptionis finis?

Quartum, Applicatio benedictionis ad gentes, & ad quemlibet hominem.

De Primo.

Christus, inquit, nos redemit de maledictione legis. Quænam est ista maledictio? Est sententia iusti iudicis Dei in omnes transgressores legis diuinæ, quorũ primus fuit Adam, deinde omnes posteri Adæ secundum communem nascẽdi legem ab illo procreati. Nam vt omnes facti sumus rei in Adamo, ita omnes sub maledictionis sententia tenemur captiui, hoc est, vt Paulus loquitur, Omnes sumus natura filij iræ. Maledictio ergo legis dicitur non quod ipsa lex maledicat cuiquam, sed solummodo quia indicat sententiam iusti iudicis Dei, quæ est maledictionis. Porro sentẽtia hęc maledictionis primum lata est in paradiso: (annexa enim erat transgressioni primi parẽtis nostri, vt est *Gen.* 2. De arbore sciẽtię boni & mali ne comedas, nã in die quo comederis ex ea, moriendo morieris, i. mortis eris reus, i. maledictus eris, cuius maledictionis effectus erit pœna pro peccato inflicta, ipsa mors naturalis, & ęterna) huius sententiæ vi etiã nos rei tenemur, vt qui naturam eandem ex Adamo accepimus: in cuius rei testimonium circunferimus nobiscum signa reatus, hoc est, cum animi, tum corporis infirmitates multas, quæ sunt certissimi prænuncij mortis, temporalis quidem à qua nemo mortalium excipitur, æternæ vero, eorum omnium qui nõ conuertuntur ad semen mulieris, i. ad Christũ destructorem mortis, & operum Diaboli. Deinde inscripta est hęc maledictionis sentẽtia in cordibus omniũ hominũ.

Et Paulus ad *Rom.2.*Gentes ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis,vna testimonium redempta ipsorum conscientia,& cogitationibus sese mutuo accusantibus,aut etiã excusantibus,ideo hoc cõscientiæ iudiciũ ad *Colossen. 2.*Chirographum Dei aduersus nos scriptum dicitur.Tertio est & hęc sententia in tabulis lapideis scripta,vt meminerimus eã non posse venire in obliuionem apud Deum.Quarto, eadẽ sentẽtia maledictionis inde vsq; a lapsu primorum parentũ vt signis iræ Dei conspicitur quæ sunt plurima,& varia, cũ interna,tum externa,item minantia & punientia,ita vt quo cunque nos verterimus,videamus maledictionis sententiã quasi ante oculos nostros depictam.Quinto, clarissimis inculcatur verbis hæc maledictionis sententia *Deut.27.* Vbi primum singulorum præceptorum transgressioni opponitur hæc maledictionis sentẽtia.Deinde vniuersaliter in fine capitis repetitur hisce verbis,maledictus omnis qui nõ permanserit in sermonibus legis huius,nec eos opere perfecerit. Hinc igitur concludit Paulus omnes homines esse sub maledictionis sententia,siquidem nullus est qui legem seruet,nec vllus qui perfectam obedientiam præstet.

Porro sub hac maledictionis sententia necesse est manere omnes donec per Christum liberentur, vt est *Iohannis 3.* Qui non credit,ira Dei manet super eum,hoc est, vt Paulus noster loquitur,donec Christus nos redemerit a maledictione legis,scilicet,satisfaciendo iustitiæ diuinæ pro offensa Dei,tollendo a nobis maledictionis causam,peccatum,& cum peccato pœnam,conferendo nobis iustitiam, quæ est perfecta obedientia erga legem Dei,quę iustitia est via vitę æternæ,in qua est plenitudo benedictionis,hoc est, omniũ rerum exoptandarum vt nuper diximus abundantia, nam vt maledictionem comitatur sempiterna miseria,ita benedictionis comes est æterna fœlicitas in Christo Iesu.

De Secundo.

Quomodo Christus nos redemit a maledictione legis? Paulus respondet,factus pro nobis maledictum.Sedquomodo factus est maledictũ qui omni peccati expers est: cũ maledictio sit pœna?Respondet Paulus,quia in ligno pependit, maledictus omnis qui pendet in ligno *Deutero.21.* An igitur a ligno potest deriuari maledictio in hominem?non a ligno

ſed a blaſphemia & idololatria hominis ſuſpenſi in ligno. Tantum in crucem apud Iudæos blaſphemi & idololatræ vt morte omnium ignominioſiſsima luebant pœnas, ſua blaſphemia & idololatria dignas. Eſt ne ergo Chriſtus ſuſpenſus in lignum propter blaſphemiam & idololatriam? Reſpond. Eſt profecto: non quidem ob ſuam blaſphemiam & idololatriam, ſed propter noſtram, ſicut Paulus ait, factus eſt pro nobis maledictum, hoc eſt, non propter blaſphemiam & idololatriam quam ipſe admiſerat, nam ipſe omnino vt diximus omnis peccati expers fuit, ſed ob blaſphemiam & idololatriam, atq; adeo ob omnia peccata manifeſta & occulta, quę filij Adam per ipſum ſaluandi, admiſerant. Sic enim Paulus docet, 2. *Corinth.* 5. Eum qui non nouit peccatum, fecit peccatum, vt nos fieremus iuſtitia Dei in ipſo. Vt ergo reatus noſter Chriſto imputatus eſt, propter quem in crucem eſt actus vt pro eo ſatisfaceret iuſtitiæ diuinę, ita iuſtitia Chriſti nobis credentibus imputatur, vt iuſti appareamus in conſpectu Dei: non iuſtitia quā nos fecimus, ſed qua filius obediens factus eſt patri vſq; ad mortem crucis. huc pertinet dictum Pauli, ad *Rom.* 10. Chriſtus finis eſt legis in iuſtitiam omni credenti, huc & dictum Auguſtini pertinet, *Pſal.* 22. Noſtra delicta ſua delicta fecit, vt ſuam iuſtitiam noſtram iuſtitiam faceret.

Cur Deus ſic voluit pro peccato noſtro ſatisfieri, cum, quę eſt ipſius potētia, potuiſſet aliter nobis ſuccurrere? Reſp. hic modus maxime cōgruebat iuſtitię diuinę, vt quemadmodū vnus in humano genere autor fuit peccati, & mortis, ita quoque vnus foret qui ſatisfaceret pro peccato, & qui iuſtitiæ vitæq; autor exiſteret, hoc vult Paulus ſignificare cum ait, ad *Rom.* 5. Quemadmodū inobedientia vnius, multi ſunt cōſtituti peccatores, ita vnius, ſcilicet Chriſti, obedientia multi conſtituuntur iuſti. 1. *Corinth.* 15. Poſtquam per hominem mors, per hominē quoq; reſurrectio mortuorū. ſicut enim in Adamo omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabantur. Hic ſapientes mundi mirum in modum offendun tur, quorū alij accuſant Deum ſtultitiæ, alij impotentiæ: Stultum putant eſſe crucem prædicari viam ad æternā vitā eſſe, cum crux potius damnationis iudicium videatur, quā vitæ. Impotentiam nominant quod nō potuerit alia ratione ſuccurrere homini lapſo, quam per mortem filij, eamque

igno-

ignominiosissimã, atq; ita audet stulta ratio se maiestati diuinæ opponere. Sed quid nos ad hæc dicemus? audiamus Paulum, 1. *Cor.* 1. nos ait Paulus prædicamus Christum crucifixum Iudæis quidem scandalum, Græcis vero stultitiam, ipsis autem vocatis, cum Iudæis, tum Græcis, prædicamus Christum Dei potentiã, ac Dei sapientiam. Nam stultitia Dei sapientior est quam homines, & infirmitas Dei validior est quã homines. Quomodo inquies prædicatio crucis est Dei sapientia & Dei potentia? Respon. Sapientia quidem apparet in modo, & in fine reparationis generis humani, potẽtia vero quod Christus potẽter & hostes suos prosternit, & suis veram dat salutẽ. Genus humanũ lapsum suo peccato infinitum bonũ nempe Deũ ipsum offenderat. Necesse igitur, vt aut cõpensatio offensæ iusta fieret, aut æternis pœnis peccatum hominis puniretur. Nam si non fuisset facta offensæ Dei compensatio, actum fuisset de iustitia diuina, quæ requirit proportionem peccati, & pœnæ, contra vero si peccatum puniisset Deus iuxta normam suæ iustitiæ, actum fuisset de ipsius non solum misericordia, verumetiam potentia & sapientia. Nam vt Diabolus perpetuo tanquam Deo potentior tenuisset humanum genus sub sua tyrannide, ita visus fuisset Deus temere humanum genus condidisse. Proinde vt perfecte starent in summis gradibus & illæsæ manerent virtutes Maiestatis diuinæ, videlicet, potentia, iustitia, misericordia & sapientia, Deus inuenit consilium (quod excedit omnium angelorum & hominum captum) quo homo iuste liberaretur a peccato, recuperaret pristinam iustitiam, euaderet mortem, & fieret hæres vitæ æternæ, hoc autem sapientiæ diuinæ consilium fuit, vt Filius Dei fieret homo, vt verus Deus, & verus homo vnus esset Christus qui se mediatorem & redemptorem constitueret. Cæterum vt hoc Dei consilium plenius a nobis intelligatur, tria in huius mysterij explicatione expendenda sunt, & ordine explicanda.

Primum, Cur oportuerit mediatorem nostrum esse Deum?

Secundum, Cur idem homo esse debuerit.

Tertium, Cur vnam personam seu vnum Christum Deum & hominem esse necesse fuerit.

Cur oportuit mediatorem esse Deum? Resp. Huius rei

duas grauissimas causas fuisse pie docti ex scripturis tradunt, quarum prima est magnitudo mali, qua natura humana iacuit oppressa. Altera impotentia & infirmitas omniũ creaturarum ad restituenda bona quæ per peccatum amissa erant.

Magnitudo mali a quo humanum genus per mediatorẽ liberãdum erat, in quatuor potissimum cernitur: videlicet, in peccati grauitate, in iræ diuinæ magnitudine, in potentia mortis, & in Diaboli tyrannide eaque crudelissima.

Peccati grauitas maior fuit, quam vt eius onus sustinere finita potentia, qualis est angelorum & hominum potuerit. Nam cum infinitus sit reatus propter bonum infinitum offensum, videlicet, Deum ipsum, cuius Maiestas peccato primorum nostrorum parentum & proinde nostro læsa erat, necesse fuit vt hoc peccatum aut infinitis pœnis, id est, nunquam finiendis, iuxta normam diuinæ iustitiæ puniretur, aut pro eo diuinæ iustitiæ satisfieret. Verum quia hæc satisfactio debuit esse prætium infinitæ bonitatis & æquiualens, alias indebitum ab eo a quo præstaretur, non potuit ab vlla, imo ne ab omnibus quidem creaturis fieri. Quare necesse fuit expiatorẽ peccati esse Deum, solus enim Deus vt est infinitus, ita solus infinitum malum superare atque abolere potuit.

IRA DEI, eaque maxima & iustissima proportione vindictæ ad offensam postulabat, cum ergo offensa erat infinita, iram quoque fuisse infinitam, quam nuda creatura, nec sustinere nec placare potuit manifestum est. Quare necesse fuit vt mediator qui iram Dei placaret, Deus esset. De hac immensa Dei ira loquitur Paulus ad *Rom.1.* Reuelatur ira Dei de cælo, super impietatem omnium hominum. Quod autem hæc ira placari non potuerit sine mediatore, docet hoc dictum Baptistæ. *Iohannis* 3. Qui non credit in filium non videbit vitam sed ira Dei manet super eum. Hanc iram fuisse immensam & infinitam ex tribus apparet, videlicet ex peccati grauitate in se, ex concursu plurimorum peccatorum ad vnum, ex pœna peccati. Grauitas peccati cuiusque in se quanta sit nuper ostendimus, est siquidem præcepti diuini fœda transgressio contra ordinẽ diuinitus sancitũ, quo requiritur vt creatura creatori subsit, eiq; pareat, deinde ad vnum peccatum voluntarium concurrunt

currunt plurima alia, adeo vt nullum peccatum voluntariũ sit solum: semper enim concurrunt quæ sequuntur, contemptus Maiestatis Dei, indigna imaginis Dei ad quam cõditus erat homo conspurcatio, imitatio Satanæ hostis Dei, fœda defectio a castris Dei ad Diabolum hostem Dei, & intolerabilis ingratitudo creaturę adeo nobilis aduersus suũ creatoré, qui tot excellẽtibus donis se ornauerat. Tertio: ex pœna peccati ęstimanda est ira Dei: Etsi autẽ magnitudo huius iræ non satis a creatura conspici poterit, tamen aliquo modo cognoscitur ex pœna primorum parentum, ex pœna sequuta in omnibus posteris Adæ: ex comminationibus diuinis, ex testimoniis conscientiæ peccantis, ex calamitatibus quibus premitur genus humanum, ex tyrannide Diaboli in homines, ex signis iræ Dei in cælo, in terra, in mari, in aëre, ex magnitudine æternarum pœnarum, quas luent omnes qui non cõuertuntur ad Deum ante mortem. Denique ex precio infinito pro redemptione pœnę soluto. Quis nõ hic euidentissime colligat impossibile fuisse iram Dei tolli nisi per mediatorem cuius esset infinita potentia? hinc mediatorem debuisse Deum esse manifestum est.

Potentia mortis maior erat, quam vt ab vlla creatura superari potuerit. Ideo Plinius dicit, sed falso, ne Deo quidem possibile esse mortuum excitare. Nunc autem, cum munus præcipuum sit mediatoris destruere mortem, necesse fuit vt potentia diuina polleret, qua & mortem abolere, & vitam conferre posset. Non est enim apud Deum impossibile omne verbum *Luc.*1. Nam quicquid vult, hoc & potest, quod est solius Deitatis proprium.

Tyrannis Diaboli sub qua genus humanum propter peccatum tenebatur captiuum, etiam a mediatore opprimenda erat. Quam autem hoc fuerit humanæ naturæ impossibile, mundi historia cum omnium hominum experientia abunde testatur. Quare mediatorem qui hanc tyrannidem sua potentia opprimeret Deum esse necessarium erat. Atque ita ex his quatuor, videlicet grauitate peccati, iustitia iræ diuinæ, potentia mortis, & tyrannide Diaboli intelligi potest magnitudo mali, quo opprimebatur genus humanum, & quod necesse fuerit eum qui hęc mala tolleret, hoc est, mediatorem, Deum esse.

Altera cur oportuerit mediatorem Deum esse, fuit

impotentia & infirmitas creaturæ totius ad reſtituenda bona, quæ noſter parens per peccatum & ſibi, & toti ſuæ poſteritati amiſerat. Etſi autem vna voce imaginis Dei hæc bona continentur, tamen plura ad eius reparationem requiruntur, ſiquidem plura fuerunt huius imaginis προσκείμενα ſiue adiuncta, ſiue partes dicere mauis. Nam vt Adam donec geſtauit imaginem Dei erat ſapiens, iuſtus, ſanctus, liber, ita inducta imagine Dei per peccatum factus eſt inſipiens, iniuſtus pollutus, ſeruus & captiuus ſub Diabolo. Quare cum mediatorem oportuerit reſtituere imaginem Dei, debuit etiam profecto reſtituere ſapientiam, iuſtitiam, ſanctitatem, & libertatem, vt imago Dei rurſus in homine repararetur. Huc Paulus reſpiciens ait, Chriſtus natus eſt nobis a Deo, ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio & redemptio, vt qui gloriatur, in Domino glorietur. Hæc quatuor quæ concurrunt ad imaginis Dei reparationē in homine nulla creatura, nulla finita potentia reſtituere homini potuit, id quod iam ordine demonſtrabimus.

Primum itaque ſapientiam debuit mediator reſtituere, non talem, qualis eſt mundi ſapientia, (cuius menſura eſt ſenſus & ratio hominis) ſed quæ abſcondita eſt a principibus huius ſeculi, & a Zacharia patre Baptiſtæ definitur, ſcientia ſalutis in remiſsionem peccatorum per viſcera miſericordiæ Dei noſtri. De hac ſapientia loquitur Iohannes cum ait, Nemo Deum vidit vnquam, ſed Filius qui eſt in ſinu patris ipſe enarrauit nobis. Etſi autem Iohannes Baptiſta miſſus eſt ad dandam ſcientiam ſalutis, ad quod etiam miſſi ſunt ante illum Sancti Dei Prophetæ, & angeli Dei de cælo, tamen ſciendum eſt, longe aliud eſſe dare & docere ſapientiam, quam eſſe ſapientiam hoc eſt, efficaciter præſtare vt corda hominum fiant capacia ſalutaris ſapientiæ, eamque percipiant. Vox quidem hominis ferit aures corporis, at Filius qui eſt ſapientia patris, animam hominis ſapientia replet. Nam tum demum verbum Prophetarum fructum adfert copioſum quando VERBVM DEVS cor aperit, & inſtillat veræ ſapientiæ ſemina, quod ſane non eſt creaturæ vllius ſed creatoris ſolius: ex quo ſequitur oportuiſſe mediatorem non tantum hominem ſed & Deum eſſe.

Secundo loco oportuit mediatorem homini reſtituer

iustitiam quæ potissima imaginis Dei pars est: nam sine perfecta iustitia nemini licet in conspectum Dei prodire, qui cum sit essentialis quędam iustitia non potest ferre iniustitiæ sordes. Cæterum perfectam iustitiam quæ vna omnibus sufficeret, nemo potuit conferre nisi Deus, quare mediatorem verum Deum esse oportuit. Requiruntur autem duo ad iustitiam qua homo consistere poterit coram Deo, quorum prius est liberari ab iniustitia, & purgari a peccato, quæ mala homines in mundum secum adferunt, & postea augent. Alterum donari & ornari plena legis diuinæ (quæ est mensura iustitiæ quæ coram tribunali Dei valet) obedientia: neutrum horum pręstitisset mediator nisi Deus esset.

De priori supra diximus vbi ostendimus enormitatem peccati, & iustitiam iræ diuinæ. De altero quod est donari & ornari iustitia quæ satisfaciat legi Dei, manifestum est quod nullius creaturæ iustitia cum finita sit, possit sufficere infinitis hominibus, in iustitiæ imputationem, quod sane in mediatore requiritur, siquidem vt sufficienti victima pro peccato satisfacere, atque adeo omnem reatum tollere, ita obedientia sua erga legem Dei omnes iustos coram Deo sistere, qui in ipsum credunt, debuit. Ideo de mediatore Paulus ait, *2. Cor. 5.* eum qui non nouit peccatum, fecit peccatum, vt nos fieremus iustitia Dei in ipso. Talem proinde mediatoris iustitiam, hoc est, infinitam esse oportuit, vt infinitis hominibus sufficeret. Quare necesse erat vt mediator noster esset verus Deus.

Sanctificatio tertio loco sequitur, quam mediator adferre & conferre debuit, quod sane cum nulla creatura præstare potuerit, mediatorem qui hoc faceret verum esse Deum oportuit: siquidem solius Dei est sanctificare, & dare spiritũ sanctificatorem, sine quo ne inchoari quidem, nedum consummari sanctificatio nostri poterit.

Porro sanctificatio pollutioni opponitur: solum enim peccatum est macula qua homo coram Deo polluitur. Quoniam autem in peccato duo sunt, videlicet, formale, vt ipse reatus, & materiale, vt vitium, seu vitiosa qualitas, & prauæ actiones: duplex etiam requiritur sanctificatio, vna quæ opponitur reatui: altera, quæ opponitur vitio, seu vitiosis qualitatibus & actionibus. Sancti-

catio quæ opponitur reatui, nihil aliud est quam expiatio peccati per Christi sanguinem: omnis enim qui credit, vt Christi sanguine purgatur a peccato, ita eodem sanguine sanctificatur, & purus coram Deo sistitur. Hæc sanctificatio, quæ est personæ, imputatiua est. Sanctificatio quæ vitio seu vitiosis qualitatibus & actionibus opponitur, est segregatio hominis a prophanitate gentium per mortificationem carnis,& coniunctio hominis cum Deo per viuifica tionem Spiritus. Constat ergo hæc sanctificatio duabus rebus, videlicet, seiunctione,& coniunctione. Seiunctio est totius animi ab impuris cogitationibus,affectibus,& actio nibus separatio seu fuga,quam Paulus mortificationem vo cat. Coniunctio, est applicatio totius animi ad puras cogitationes,affectus,& actiones,quam Paulus viuificationem nominat.huius sanctificationis quę fit in nobis causa est sanctitas Christi, cuius vis in nos per Spiritum sanctum transfunditur in hunc finem, vt posthac renunciato Satana & operibus eius,seruiamus Deo in iustitia vera seu operibus ab eo mandatis. hæc sanctificatio *Philippens* 3. vocatur circumcisio spiritualis: nos inquit Paulus circumcisio sumus qui Spiritu Deum colimus,in Christo gloriamur & non in carne confidimus.Proinde circumcisio hæc spiritualis,quæ nostri sanctificatio est, est amputatio fiduciæ carnis, cui succedit gloriatio in Christo, & purus colendi Deum affectus. atque hæc duplex sanctificatio, reuera est sanctificatio illa quam Deus & homo mediator noster adfert,& confert cuiuis in se credenti.

Redemptio, Græcis ἀπολύτρωσις, quam postremo loco collocat Paulus,proprie est liberatio a seruitute & captiuitate interposito precio sufficienti, quo redimitur amissa libertas & ius pristinum recuperatur. Est autem duplex redemptio,videlicet externa quæ ciuilis,& interna quæ spiritualis dicitur:de hac solummodo nobis hic sermo est, hæc facta est,vt Paulus hic docet,per Christum,hic enim factus est nobis a Deo ἀπολύτρωσις:postquam enim homo per peccatum subiugatus est seruituti,& captiuus factus sub regno Diaboli,& exclusus hæreditate paradisi,Deus misertus humani generis, misit Filiũ suũ λυτρωτὴν (cuius Moses figura tantũ futurus est) *act.* 7. vt qui nos ab omnibus malis liberatos restitueret in pristinum adeoque longe & firmiorem & beatiorem

beatiorem ſtatum. Quod autem hunc noſtrum redemptorem Deum eſſe neceſſum fuerit ex partibus officij ipſius cō ſtat, ſicuti ordine declarabo.

Primum, in vero redemptore requiritur, perpetua præſentia in Eccleſia late per mundum vniuerſum ſparſa. Sed quis poteſt ſimul & ſemper tot in locis, etiam remotiſſimis præſens adeſſe niſi ſit Deus, qui ſua eſſentia, præſentia, & potentia vbique adeſt, vt qui ſolus ſit immenſus & infinitus?

Secundo requiritur in redemptore & mediatore, vt ſit cuſtos Eccleſiæ, non ſolum totius, verumetiam ſingulorum membrorum aduerſus infinitas technas diabolorum & hominum: quod profecto diuinæ potentiæ eſſe nemo non fatebitur.

Tertio, requiritur in redemptore vt ſit καρδιογνώστης, atque inſpiciat corda hominum, atque intimos affectuum receſſus exploratiſſimos habeat, ne fallatur externa hypocritarum larua.

Quarto, requiritur in redemptore, vt vbique audiat gemitus ſe inuocantium, & in ſpiritu & veritate precātes exaudiat, quod ſane ſolius diuinæ virtutis eſt.

Quinto, requiritur in redemptore, vt mortuos in extremo die exuſcitet, vt prodeant ex terræ puluere omnes homines, inde ab Adam vſque ad vltimum. Sed quid ad tantum opus valerent omniū creaturarum vires coniunctæ? nam omnes angeli & omnes beatorum ſpiritus, ne vnum quidem mortuum ſuis viribus excitarent, nedum omnes, idque in ictu oculi vti promiſſum eſt.

Sexto, requiritur in redemptore, vt reſuſcitatis qui in vera fide obdormiuerunt æternam vitam, perpetuam gloriam & conformitatem cum Deo conferat. Quantum autem hoc opus omnium creaturarum vires ſuperet, nemo non intelligit, niſi qui & ſenſu & mente careat. Cum tanta ſit redemptio, merito Dauid in hoc votum erumpit, *Pſalmo* 130. Speret Iſrael in Iehoua, quoniam apud eum eſt miſericordia & copioſa redemptio, & ipſe redimet Iſraelem ex omnibus iniquitatibus ſuis. Cum itaque mediatoris ſit Eccleſiam ſuam tantis liberare malis, tantis itidem ornare bonis, quæ conferre nemo potuit niſi Deus, profecto neceſſe fuit mediatorem verum Deum eſſe. Atque ita habemus cur mediatorē noſtrū oportuerit Deū eſſe, nimi-

rum vt & tolleret mala quibus premebatur genus humanum propter peccatum, & conferret bona rursus quibus exciderat.

Cur oportuit mediatorem esse verum hominem? Etsi Prophetæ & Apostoli multis locis docent quod oportuerit mediatorem esse hominem, vt *Genes.* 3. Semen mulieris conteret caput serpentis. Item, *capite* 12. Benedicentur in semine tuo omnes cognationes terræ. *Esaiæ* 7. Ecce virgo illa concipiet & pariet filium, & vocabis nomen eius Emanuel. Tamen Paulus Apostolus cur oportuerit mediatorem esse hominem omnium clarissime exponit. Summa autem sententiæ Paulinæ huc redit. Vt vnus homo Adam peccauit, & in damnationem omnes alios secum pertraxit: ita congruebat ad iustitiæ diuinæ normam, vt vnus homo iustus satisfaceret pro peccato, & autor esset aliis salutis æternæ. Hæc ratio hisce verbis ad *Rom.* 5. proponitur: sicut per vnum hominem (Adamum) peccatum in mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors peruasit, quia omnes peccauerunt (id est, rei fuerunt & polluti, vt eiusdem naturæ quæ lapsa est participes) ita scilicet per vnum (videlicet Christum) iustitia in mundum intrauit, & per iustitiam vita. Et paulo post, sicut per vnius hominis delictum (reatus venit) in omnes homines in condemnationem: sic & per vnius hominis iustitiam (absolutio a reatu venit) in omnes homines in iustificationem vitæ, hoc est, sicut Adæ peccatum causa est condemnationis ad æternam mortem, ita Christi iustitia causa est iustificationis ad æternam vitam. Et rursus, sicut per inobedientiam vnius (Adæ) peccatores constituti sunt multi, ita & per vnius hominis (Iesu) obedientiam, iusti constituentur multi, id est, omnes credentes: nam hi inseruntur Christo, & eius viua membra reputantur. Ad hanc congruẽtiam diuinæ iustitiæ in saluatione hominum respexit etiam idem Apostolus. 1. *Cor.* 15. vbi ait, sicut in Adã omnes moriũtur, ita & in Christo omnes viuificabuntur, scilicet nati filij Dei per fidem. Breuiter, Quemadmodum in vno homine Adamo facti sumus insipientes, iniusti, polluti, & sub æterna morte captiui: ita vnus homo Christus Iesus natus est nobis a Deo, sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio, vt qui gloriatur, in Domino glorietur.

Cur

Cur fuit necesse mediatorem Deum & hominem vnam esse personam? Respondeo: Etsi autem duæ sunt naturæ mediatoris, vt iam demonstratum est, videlicet, diuina, per quam verus Deus, & humana, per quam verus homo est: tamen non sunt duæ personæ, sed vna duntaxat, eaque æterna. Hæc æterna persona quæ est in secunda Deitate, nunc Deus, sæpissime Filius Dei, aliquando λόγος dicitur, alias appellationes quæ sunt plurimæ omitto, has solummodo ideo recito, quia earum explicatio ad institutum nostrum plurimum facit. Prima appellatio est DEVS, Hebraice Iehoua: hoc enim nomine dicitur filius Dei, quia eiusdem essentiæ seu naturæ est cum Patre & spiritu sancto. Quare Ecclesia ipsum ὁμοούσιον patri & Spiritui sancto confitetur. Vt sciamus tres ὑποστάσεις seu personas vnum esse Deum æternum, non tres Deos, vt sunt tres personæ. Est enim vna natura diuina non multiplicata pro numero indiuiduarum, sed vna est penitus & simplicissime, seu vt vulgo dicitur, vna numero. Hanc ob causam pie dicitur in symbolo, pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus sanctus est Deus, non tamen tres Dij, sed vnus est Deus, hanc fidem constanter teneamus contra Arianos veteres & nouos, & meminerimus dicti Damasceni, μία οὐσία, μία φύσις, μία θεότης. Secunda appellatio, est, quod hæc æterna persona dicitur & est *Filius Dei*, ab æterno patre natus, eiusdem naturæ cum patre, vt diximus: Quicquid enim ab alio nascitur, & est eiusdem naturæ cum illo, a quo nascitur, eius Filius dicitur. Verum ne hic ratio nos in absurdas opiniones abripiat, cum audiamus Deum filium habere, meminerimus dicti Nazianzeni: θεοῦ γέννησις σιωπῇ τιμάσθω· μέγα σοὶ τὸ μαθεῖν ὅτι γεγέννηται. hoc est, Dei generatio silentio honoretur: magnum tibi sit didicisse quod natus est. Tertia appellatio est quod hæc persona secunda in diuinitate vocatur λόγος, cuius appellationis hæ sunt rationes. *Prima*, quia Filius Dei est, χαρακτὴρ οὐσιώδης τῆς ὑποστάσεως τοῦ πατρός. Sicut enim λόγος character est mentis, ita Filius Dei dicitur λόγος, quia est character personæ patris. *Secunda* quia de eo, & per eum factum est verbum promissionis, & ad eum omnia quæ in propheticis & apostolicis scriptis referuntur, pertinent. *Tertia*, quia est nuncius & in-

terpres patris, vt Athanasius testatur. Has rationes simul complectitur Nazianzenus hac sententia, λόγος δὲ ὅτι οὕτως ἔχει πρὸς τὸν πατέρα, ὡς πρὸς νοῦν λόγος, οὐ μόνον διὰ τὸ ἀπαθὲς τῆς γεννήσεως, ἀλλὰ καὶ συναφὲς καὶ τὸ ἐξαγγελτικόν. Hic verus Deus, hic æternus Dei Filius, hic λόγος factus est homo, non (vt commode Gregorius ait) minuendo quod erat, sed suscipiendo quod non erat: incarnatio enim filij nostra auxit, & ipsius non minuit. Quod ergo λόγος sit factus homo, Iohannes nos docet cum ait, & λόγος caro factus est. Sed quomodo λόγος sit homo factus Paulus explicat ad Philippenses 2. & ad Hebræos. 2. Ad Philippenses ait, assumpsit formam serui. Ad Hebræos 2. assumpsit semen Abrahæ. Ex vtroque dicto intelligitur quod λόγος sit homo factus, non conuersione naturarum huius vel illius, in aliam, sed assumptione humanitatis seu humanæ naturæ in vnitaté personæ, quæ persona est æternus λόγος & filius Dei. Ex his vnionem naturarum esse factam intelligimus: sed qualisnam sit illa vnio frustra conabimur in hac vita perspicere, nam cum ne vnionem quidem animæ & corporis intelligamus, quomodo quæso magnum illud arcanum perspiceremus?

Porro humana natura assumpta quam Iohannes carnem, Paulus nunc formam serui, nunc semen Abrahæ vocat, corpore & anima rationali constat. Est igitur λόγος homo factus verus Deus, propter veritatem Deitatis, & verus homo propter veritatem humanitatis. Veritas autem Deitatis est & vera forma Dei seu Deitas, & vera Deitatis proprietas: Veritas humanitatis est & vera forma hominis, seu humanitas, & vera humanitatis proprietas. Nam siue natura mutatur, siue eius naturalis proprietas negatur, veritas amplius non remanet: ideo Damascenus ait, Quemadmodum in Christo naturas confitemur post vnionem saluas & integras manere sine aliqua confusione aut transmutatione, ita etiam earum substantiales differentias fateri debemus manere omnino incolumes, & illabefactatas. Non enim poterit natura aliqua sine naturalibus suis differentiis subsistere. Ex his plura consequuntur quæ ordine ascribemus.

Primum quia vna est persona Christus quæ persona est æterna, assumpta est humanitas absque personalitate propria:

pria: alioqui duæ essent personæ: copulauit ergo sibi λόγος humanam naturam integram, & non humanam personam. Vt enim non ratione personæ Adæ, sed respectu naturæ, rei sumus & polluti: ita congruebat vt non assumeret filius Dei humanam personam, sed humanam naturam, vt quod in natura perdidit Adam, hoc in natura repararet Christus, est autem multo dignius naturam humanam assumptam esse a λόγῳ in vnitatem personæ, quam si ipsa mansisset duntaxat more aliorum hominum intra metas suæ sortis, & personam cõstituisset humanam. Certe tanto præclarius, quanto diuina persona, humanæ supereminet. Ratio siquidem personæ a perfectiori vnionis parte peti debet. Paulus dicitur persona non a corpore quod est imperfectius, sed ab anima rationali, quæ est pars hominis perfectior & dignior: ita & Christus in quo vnita est humana natura æterno λόγῳ, personalitatem æternam retinet. Quapropter vnam personam Christi, & non duas confitemur. Plura huc pertinentia legantur apud Damascenum, de orthodoxa fide, libro 3 cap. 9.

Secundum, quia Christus est persona altera in Deitate, perfectio Deitatis κατοίκησις in ipso habitat tota, continet enim omnis persona totam naturæ suæ essentialem perfectionem, hoc est, formam. Quare Paulus Colossensibus scribens recte ait, in ipso inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter, hoc est, quia Christus est diuina persona essentialem perfectionem Deitatis totam in se continet, vt humana persona in vnoquoque nostrum totam essentialem perfectionem humanitatis in se habet, verum quia hoc dictum admodũ pulchrum est, & vtilissimam doctrinam in se continet, volo illud paucis declarare, & distincte annotare quæ in eo contineantur.

Primum itaque Paulus hoc dicto testatur duas naturas in Christi persona, easque distinctas etsi vnitas concurrere, vide licet humanitatem & Deitatem, cum affirmat in ipso Deitatem habitare.

Deinde, cum non dicit simpliciter Deitatem sed etiã plenitudinem totam Deitatis in eo habitare, discernit Christũ verum & perfectum Deum a commenticiis diis. Est autem hæc inhabitatio non ipsa vnio, sed vnionis effectus seu consequens. Tertio discernit inter coniunctionem vmbraticam,

temporariamque, & coniunctionem σωματικὴν, id est, realem & perpetuam, cum addit σωματικῶς: opponit enim vmbræ corpus. Vt ergo lumen habitat in corpore solis σωματικῶς, & nihilominus omnia sua luce replet, ita plenitudo Deitatis tota, id est, perfectio Deitatis tota, quam Paulus formã Dei nominat, in Christo habitat. Est proinde Christus perfectus Deus, perfectus homo, vna persona distincta a patre, & spiritu sancto, in quarum personarum singulis tota perfectio Deitatis ex æquo inest, vt quæ sit vnica & simplicissima. Siquidem perfectio naturæ ὑποστάσεως, quẽadmodum diximus, in singulis personis naturæ inest.

Tertium, quoniam vna persona est Christus, in qua vnitæ sunt diuina & humana natura, fit vt vtraque natura huic vni personæ communicet sua idiomata, ita vt promiscue cum diuina, tum humana idiomata prædicentur de persona, vndecunque denominationem capit persona. Ergo hæc communicatio idiomatum non facit vnionem personalem, sed eam iam factam ordine & necessario sequitur. Hæc communicatio idiomatum a veteribus Theologis definitur cõmunis prædicatio idiomatum vtriusque naturæ de persona, Seu, communicatio idiomatum est prædicatio in qua proprietas vni naturæ conueniens, ad alteram transfertur in concreto propter vnionem hypostaticam. Est enim ineffabilis illa vnio duarum naturarum in vna persona, fundamentum communionis idiomatum in concreto dicitur, non in abstracto, concreto enim significatur τὸ ὑφιστάμενον totum seu persona, cuiuscunque tandem ratione naturæ fiat: vt Deus, homo, Filius Dei, filius hominis. Abstracto vero significatur natura in vnione hypostatica per se considerata, vt proprietas illi conueniens, recte applicetur: vt Deitas est infinita & incircũscripta, humanitas est finita & circumscripta. Propria proinde naturarum, vt loquitur Theodoretus fiunt communia personæ: proprium τοῦ λόγου est esse æternum, infinitum, omnipotentem, esse Deum. Carnis vero proprium est esse corporeum, circumscriptum, cæpisse in tempore, hæc non promiscue tribuuntur naturis, sed personæ in qua naturæ subsistunt, vt diximus. Est proinde hic diligenter cauendum, ne ex copulatione naturarum aut proprietatum earundem ratione personalis vnitatis, in communicationem earundem proprietatum, extra vnam illam vnitatem persona-
lem

lem, delabamur. Vt enim natura diuina non est humana, seu deitas non est humanitas, aut contra, ita nec natura naturæ sua essentialia idiomata commutat. nam hoc esset & naturas ipsas, & earum idiomata confundere. Quicquid enim pluribus fit commune, non potest amplius dici vnius ἰδίωμα. Siquidem ἰδίωσις, vt Damascenus ait ἀκοινώνητος. Vt ergo Deitas nunquam erit humanitas, nec contra, ita non recte dixeris Deitas est passa, aut humanitas æterna. Sic de aliis idiomatis essentialibus iudicandum est.

Quartum. his ita expositis, videamus quemnam vsum habeat, quidque nos doceat, κοινωνία ἰδιωμάτων. Primum contra Nestorium vnitatem personæ in duabus naturis subsistentis confirmat. Nam nisi vna eademque persona esset Deus & homo, absurdissimum esset alternata illa idiomatum prædicatio. Cum Christus dicit *Ioh.* 3. Nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo filius hominis qui est in cœlo, manifeste ex communicatione idiomatis diuinæ naturæ quod tribuit sibi filio hominis, significat se esse Deum & hominem vnam personam in duabus naturis subsistentem. Quemadmodum hoc dictum omnes patres Orthodoxi intellexerunt. Cyrillus in hunc ipsum locum Iohannis sic ait, Cum Dei verbum de cœlo descenderit, filium hominis descendisse ait, in duas post incarnationem diuidi personas recusans. Augustinus tractatu duodecimo in Iohannem, Ecce hic erat, & in cœlo erat. hic erat carne, in cœlo erat diuinitate, imo vbique deuinitate. & Tractatu, 27. *Nemo ascendit, &c.* Quo (inquit) hoc pertinet nisi vt intelligamus vnam personam esse Christum Deum & hominem? Gregorius magnus, *Epist.* 81. Vna itaque persona est verbum & caro sicut ipse ait, Nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit e cœlo, Filius hominis qui est in cœlo. Qui filius Dei in cœlo, erat filius hominis qui versabatur in terra. *Damascenus, libr.* 3. capit 3. Propter vnitatem personæ filius hominis ante passionem se in cœlo esse confessus est. Quicquid ergo de Christo dicitur, de tota persona dicitur, & in filio Dei, filius hominis, & in hominis filio, Dei filius nuncupatur, id quod etiam Diuus Paulus ad *Rom.* 1. ostendit cum ait, Paulus seruus Iesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Euangelium Dei, quod antea in scripturis promiserat de filio suo, qui factus est ex semine Dauid secundum carnem, qui de-

claratus eſt filius Dei in virtute, ſecundum ſpiritum ſanctificationis. hîc Paulus vnum & eundem filium Dei, & filium Dauidis confitetur. Dicit filium Dei factum eſſe ex ſemine Dauid ſecundum carnem, mox dicit filium Dei in potentia ſecundum Spiritum ſanctificationis. Atque ita Paulus vnionem duarum naturarum in vna perſona Chriſti manifeſte docet. Vt enim ſcriptura interdum totum hominem nomine carnis, interdum nomine animæ accipit, ita nunc nomine hominis, ſeu filij hominis, nunc nomine Dei ſeu filij Dei totum Chriſtum intelligit, propter vnionem duarum naturarum in vna Chriſti perſona. Deinde hæc communicatio idiomatum docet pretium actionum mediatoris in humana natura infinitum eſſe, quia perſona vna eademque quæ eſt Deus & homo eſt agens: adeo vt omnes actiones ipſius ſiue mediante humana natura, ſiue diuina ſint & dicantur perſonæ actiones. Caro igitur Chriſti viuifica dicitur & eſt, quia eſt caro eius perſonæ, quæ eſt Deus. Obedientia hominis Chriſti, eſt noſtra iuſtitia, quoniam obedientia eſt eius perſonæ quæ eſt Deus. Paſſio Chriſti in æternum efficax eſt & ſufficiens ad ſanctificandum credentes, quia eſt paſſio perſonæ quæ eſt Deus. Oratio Chriſti omnibus prodeſt, quia eſt oratio perſonæ quæ eſt Deus. Ad hunc modum iudicandũ eſt de omnibus aliis actionibus mediatoris. Tametſi autem quædam actiones a diuina natura proprie proficiſcuntur, & quædam ab humana natura fiunt, & quædam ab vtraque natura ſimul, tamen omnes æqualiter dignitatem accipiunt a perſona, quia tum Deus & homo ſit, alia agit diuina, alia humana, alia vtraque ſimul natura. habemus ergo cur mediatorem Deum & hominem vnam perſonam eſſe oportuerit.

De Tertio.

Tertio loco Paulus quiſnam ſit redemptionis per Chriſtum factæ finis, ſeu cur Chriſtus factus ſit maledictio, exponit, cum addit, vt benedictio Abrahæ fieret in Chriſto Ieſu, hoc eſt vt benedictio facta Abrahæ, per ſemen ipſius Chriſtum tandem adimpleretur. Promiſſio autem facta Abrahamo reperitur *Gen* 22. Hiſce verbis, Benedicentur in ſemine tuo omnes Gentes terræ, id eſt, Quotquot ex Gentibus ſemen Abrahæ fide apprehenderint, benedictionis parti-

participes erunt. Fide enim ſemini Abrahæ inſiti benedicentur. Factus eſt ergo Chriſtus maledictio, noſtro peccato ſibi imputato, vt nos fieremus benedictio, ipſius iuſtitia nobis imputata, hoc dictum congruit cum eo quod eſt, 2. *Cor.* 5. Eum qui non nouit peccatum, fecit peccatum, vt nos fieremus iuſtitia Dei in ipſo. Quoniam autẽ ſupra copioſe diximus de benedictione, quam oppoſuimus maledictioni, in ſuis cauſis & effectibus, nolo huc plura de ea adiicere, ſed tantum repetam breuiter Antitheſin maledictionis & benedictionis, vt ſemper eam in conſpectu habeamus, vtque ex collatione Chriſti beneficia plenius cognoſcantur, nobiſque magis dulceſcant, in animæ noſtræ ſalutarem refectionem.

In maledictione ſi cauſas & effecta, ſiue antecedentia, coniuncta & conſequentia ſpectes, concurrunt hæc ſex triſtiſſima mala, videlicet, peccatum, reatus, ira Dei, maledictio ipſa, condemnatio, mors cum ſempiterna miſeria. hæc omnia mala ad vnum Adamum, tanquam autorem referuntur: Quæ mala vna cum natura in nos quoque Adæ poſteros peruaſerunt. Iam ſi maledictioni opponis benedictionem, in ſuis cauſis, effectibus, ſeu in antecedentibus coniunctis & conſequentibus, vt ſingula ſingulis reſpondeant, ſimiliter ſex concurrunt longe optima, & maxime, omnium expetenda: peccato enim, ſatisfactio pro peccato; reatui, abſolutio; iræ Dei, reconciliatio; maledictioni, benedictio ipſa; condemnationi, iuſtificatio, morti & ſempiternæ miſeriæ, vita & perpetua fælicitas opponitur, quæ omnia vnum autorem Chriſtum habent. Hæc congruuntur ſi ſenſum ſpectes, cum iis, quæ ſupra ex Paulo adduximus: Chriſtus natus eſt nobis a Deo, ſapientia, & iuſtitia, & ſanctificatio & redemptio, vt qui gloriatur in Domino glorietur.

De Quart.

Quartum quod ex Paulo propoſuimus fuit de applicatione benedictionis ad gentes, ſeu ad quemlibet hominem, de qua Paulus ſic loquitur, Vt promiſſionem ſpiritus accipiamus per fidem. Fide ergo benedictionem illam ſpiritualem verbo Euangelij oblatã accipimus. Eſt autem promiſſio ipſa ſpiritualis benedictio, cuius autor eſt Chriſtus,

vt diximus. Verum quia de huius benedictionis possessione certificat & confirmat nos Spiritus sanctus, dicitur promissio Spiritus. Spiritus enim sanctus reddit testimonium Spiritui nostro, quod simus filij Dei, a Deo & dilecti, & benedicti in Iesu Christo. Ob quam causam dicitur etiam Spiritus adoptionis. Item arrabo hereditatis nostræ. *Eph.* 1.

7 *Quoniam rex sperat in Iehoua & in misericordia altissimi non commouebitur.*

RAtio est superioris dicti. Estque Enthymema petitum ex hoc principio Theologico, Beatus homo qui sperat in eo. Quod principium Dauid sibi sæpè applicat: vt *Psalm.* 26. Sperans in Domino non infirmabor, item, Sperantem in Domino misericordia circumdabit 32. Item, Beatus cuius nomen Domini spes eius, 40. Est ergò hoc Enthymema; Rex Dauid spem suam in Iehoua collocat, ergo Dominus ipsum ex sua misericordia tuebitur aduersus hostes suos. Hoc mysticè de Christo rege accipi potest: Deinde ad alios omnes cum reges, tum subditos accommodabitur, nam καθολικὸν est ἀξίωμα, *Beati omnes qui sperant in eo.*

Tertia pars Psalmi vigesimi primi.

Hæc tertia pars Psalmi, vt supra indicauimus, historice quidem continet cominationem aduersus hostes Dauidis: Mystice vero est vaticinium de abiectione & pœnis populi Israelitici: propterea quod Christum suum regem non receperint, sed ignominiose reiecerint, atque occiderint.

8 *Inueniet manus tua omnes inimicos tuos, dextera tua inueniet odientes te.*

MInatur interitum omnibus iis historice quidem, qui Dauidi, Mystice vero qui Christo regi aduersabuntur. Est autẽ in his verbis, *inueniet manus tua,* Metalepsis, qua antecedens pro consequente ponitur; vt sit sensus, Tu o Rex, vel tu Iehoua, sumes supplicium iustum de hostibus tuis. Doctrina obseruetur quod hostes eccle-

siæ

ſiæ tandem ſint certo perituri. Repetit enim eandem ſententiam propter certitudinem euentus. Hic quæritur primũ cur Deus impiis cum poſſit eos ſtatim e medio tollere, cõminetur: deinde cur quoſdam impios in hac vita puniat, quoſdã autẽ permittat ſuauiter ad illorũ votũ vitam traducere? Ad priorem quæſtione, cur videlicet Dominus comminetur impiis pœnas, Reſpõdeo, quod Dominus id faciat cum propter ipſos impios, tum propter pios. Propter ipſos impios quidem hoc facit, *Primum*, vt eos ad pœnitentiam inuitet cõminatione pœnarum. *Eſa.*30. Expectat vos Deus vt miſereatur veſtri. Ad *Rom.*2. An ignoras quod benignitas Dei ad pœnitentiam te inuitat; hoc eſt, impius ſi reſipuerit, miſericordiam inueniet, & meritas pœnas auertet; omnis enim comminatio diuina implicitam habet conditionem, videlicet, niſi egerint impij pœnitentiam: ſicut Dominus ait, Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis. *Luc* 13. *Secundo*, Comminatur Dominus impiis pœnas vt admoneantur quod non poſſint euadere iuſti iudicis iram, ſed quod magis magiſq; ſe peccatis inuoluant ad maiorem ipſorum condemnationem. Ad *Roman.* 2. Secundum duritiem tuam, & cor impœnitens, theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei. Propter pios vero Deus comminatur impiis pœnas, vt erudiantur, admoneantur, & erigantur. Erudiuntur de iuſtitia Dei qui non ſinet ſuos hoſtes inultos, ſed tandem illos funditus perdet, nec vllus futurus ſit, qui ſe ita in latebras abdere poſſit, quin manus Domini ipſum ſit inuentura. Admonentur fidei retinendæ & bonæ conſcientiæ, ne paulatim ſe in caſtra hoſtium Dei recipiant, a fide deficiant, ex amicis Dei, hoſtes fiant: id quod omnibus tẽporibus multis accidit. Eriguntur conſolatione per comminationem pœnæ impiorum, inde enim colligunt quod ipſi hoſtibus oppreſſis tandem glorioſe liberentur. Ad alteram quæſtionem cur videlicet quoſdam impios in hac vita puniat, quoſdam non, Reſpondeo, Quoſdã punit vt extent exempla vindictæ diuinæ in impios: quoſdam autem non punit, εἰς ἔνδειξιν, vt Paulus loquitur 2 *Theſſal.* 1. futuri iudicij, in quo damnentur omnes impij terræ. Fieri enim non poteſt quin impietas puniatur; Eſt enim iudicium Dei ſecundum veritatem, *Rom.*2. quod ſi ergo non puniuntur multi

impij in hac vita, necesse est vt post hanc vitam puniantur, vt iustitia Dei salua, incolumisque permaneat.

9 *Pones eos vt clibanum ignis in tempore iræ tuæ, Iehoua in ira sua disperdet eos, & absumet eos ignis.*

SVperiori versu cõminatus est hostibus Dauidis & Christi pœnas: hic qualitatem & modũ pœnarum exponit, & symbolice significatur pœnarum atrocitas quas hostibus Dei euenturas prædicit. Hæc comminatio cum ad excidium Ierusolomitanum, tum ad inferni cruciatus referri potest, & debet. Nam vtramque pœnam eodem symbolo indicat. Symbolum autem ita explicandum est, vt homines in clibanum ardentem coniecti mirum in modum cruciantur, ita impij, Dei & Ecclesiæ hostes perpetuis cruciatibus torquebuntur. Clibanum enim ignis vocat cum perpetuum sensum iræ & furoris Domini, tum ipsum cruciatum corporum & animarum, qui perpetuus erit, iuxta illud *Esaiæ* 66. Vermis eorum nõ morietur & ignis eorum non extinguetur, eruntque opprobrium omni carni. Quando autem hoc futurum sit, *Daniel* 12. significatur hisce verbis, multi dormientium in terræ puluere expergiscentur, hi (pij) ad vitam æternã, & illi (impij) ad opprobria & contemptum sempiternum. Et *Matth.* 25. exponitur forma extremi iudicij, in quo rex pronunciaturus sententiam dicet, piis quidem, Venite benedicti patris mei possidete regnum vobis paratum: Impiis verò, Discedite a me maledicti in ignem æternum qui paratus est Diabolo & angelis eius.

Iehoua in ira sua disperdet eos & ignis absumet eos. Exponit & his verbis grauitatem suppliciorum impiorum quæ sustinebunt. Sed inquies, si ignis eos absumet aliquando finis erit suppliciorum impiorum. Cassiodorus respondit & ait, Ignis iste sic consumit, vt seruet, sic seruat vt affligat. Naturæ quidem ordo est ignem materiam obiectam modo comburere possit consumere, sed in inferno nullus est ordo nisi diuinæ iustitiæ, qui vult & ignem perpetuum esse, & eos qui in ignem coniiciuntur, nunquam in nihilum redigi.

Hic primum quæritur an omnes damnandi æquali puniantur pœna? Ad hanc quæstionem respondetur per distinctionem, pœna eorum qui damnabuntur erit duplex

vna

vna damni, altera ſenſus. *Pœna damni* æqualis erit omnium qui damnabuntur, omnes enim ex æquo in omnem æternitatem glorioſo conſpectu Dei carebunt. *Eſaiæ* 30. Tollatur impius ne videat gloriam Dei. *Pœna ſenſus* in anima & corpore non erit æqualis, iuxta hoc Domini dictum. *Luc* 12 ſeruus ſciens voluntatem Domini ſui, qui non præparauit ſe, & non fecit iuxta voluntatem eius, vapulabit plagis multis. *Apocalyp.*18. Quantum glorificauit ſe & in deliciis fuit, tantum date ei cruciatum & luctum. Breuiter iuſtus iudex reddet vnicuique iuxta opera ipſius, quæ cum non ſint æqualia, nec pœna æqualis erit.

Alia adhuc quæſtio a Theologis magni nominis agitatur, an conueniat iuſtitiæ diuinæ vt temporarium peccatum puniatur ęternis pœnis? qua obiectione Origenes motus docuit & diabolorum & hominum damnatorum pœnas aliquando finem habituras. ſed hoc contra ſcripturam dixit Origenes. Sic enim *Iohan.*3. ſcribitur, Qui non credit in filium, ira Dei manet ſuper eum Et Dominus dixit impiis, vt paulo antea diximus, Ite vos maledicti in ignem æternum. Neque hoc eſt contra iuſtitiam diuinam. *Primo*, Quia magnitudo culpæ non æſtimatur ex temporis quo quis peccat, ſed ex iniquitatis magnitudine. Sic enim Auguſtinus ait, lib. de Ciuit. Dei. 21. cap. 11. Quodlibet ſcelus non temporis longitudine ſed impietatis & iniquitatis magnitudine metiendum eſt. *Deinde* culpa omnis ex eius qui læditur magnitudine æſtimanda eſt. Deus ergo cum ſit infinitus, infinita eſt quoque eius offenſa, quare & infinitis pœnis iuſte punietur. *Tertio*, peccatum æſtimandum eſt ex primo lapſu hominis. Cogitandum eſt enim quantum nephas in prima præuaricatione commiſſum ſit, quanto enim magis homo fruebatur Deo, tanto maiore impietate dereliquit Deum & factus eſt malo dignus æterno, qui hoc in ſe peremit bonum, quod eſſe poſſet æternum. *Quarto*, poteſt & hæc ratio addi ſuperioribus, Voluntas damnatorum ſemper erit mala, ſemper fremet aduerſus Deum, quare & iuſte ſemper punienda erit. Sicut enim bonorum voluntas in cælo non poteſt fieri mala, ita nec malorum voluntas in inferno poteſt fieri bona. Quomodo ergo inquies verum erit quod Chriſtus ait, In qua menſura menſi fueritis in ea remetietur vobis, ſi temporale peccatum ſup-

plicio punietur æterno? Respondeo, Dominus hoc non dicit propter æquale spacium, sed propter vicissitudinẽ mali, vt qui mala fecerit, mala patiatur.

10 *Fructum eorũ de terra perdes & semen eorum a filijs Adam.*

HOrrenda pœna impietatis, quę se etiam extendit ad eorum posteros, iuxta comminationem primæ legi Decalogi additam, *Exo.* 20. sed huic comminationi videtur repugnare verbum Domini *Ezech.* 18. Anima quæ peccat ipsa morietur, filius non portabit iniquitatem patris, nec pater portabit iniquitatem filij, iustitia iusti super eum erit, & impietas impij super eum erit: posterior clausula in hoc dicto priorem exponit, vt sit sensus, filius scilicet iustus, non luet pœnas iniquitatis patris sui, nec pater iustus luet pœnas impietatis filij. Verum quia plærunque posteri maiorum suorum vestigiis insistunt, Dauid sic loquitur. Deinde immota stat hæc regula, Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed vt reuertatur a via sua, & viuat. Quicunque igitur resipuerint, quantumuis magni peccatores fuerint, habent promissionem quod Deus velit eos in gratiam recipere. Gratia enim, vt Paulus inquit, longe superat peccatum, *Rom.* 5.

11 *Quoniam proiecerunt super te malum cogitauerunt consilium quod non potuerunt perficere.*

RAtio est comminationis petita a nefariis consiliis & conatibus hostium Christi. Est autem hic notandum quod impia consilia etiamsi ad exitum optatum nõ peruenerint, tamen mereantur pœnas, non enim tam manu, quam voluntate peccatur. Sed obiiciet aliquis an non Iudæi perfecerunt quod voluerunt? Voluerunt Christum crucifigi & crucifixus est, Respondeo: Iudæi voluerunt non solum Christum crucifigi, verum etiam nomẽ Christi cum ipsius doctrina aboleri sed hoc non potuerunt perficere, nam tertio die resurrexit a mortuis: deinde ascendit in cælos, dedit Spiritum sanctum Apostolis, per quos nomẽ & doctrina Christi regnantis in Ecclesia propagata est per orbem terrarum, Iudæis Christi hostibus partim miserrime interfectis, partim dispersis. Sic neque hodie hostes Ecclesiæ perficient consilia sua: nam portæ inferorum non præ-

ualebunt

ualebunt aduersus petram supra quam est ædificata Ecclesia. Deinde obiicitur quod Iudæi idē voluerint quod Deus pater. Nam vt illi, ita pater voluit Christum in crucem suspendi. Scriptum est enim *Act.* 4. Deus qui pronunciauerat per os omnium prophetarum Christum passurum, ita impleuit ibidem Petrus obiicit Iudæis quod ipsi trucidauerint autorem vitæ, quem Deus excitauit. Hic eadem actio tribuitur Deo Iudæis, iam autem actio est voluntatis: videtur ergo eadem quoque fuisse voluntas: si fuit eadē voluntas, non videntur peccasse qui consilium Dei perfecerunt. Respondeo, Qualitatem voluntatis eiusdem in actione mutant causæ & fines: si causæ & fines bona sunt, est & voluntas bona & laudabilis: at si causæ & fines mala sunt, proculdubio voluntas etiam mala erit. Causæ voluntatis in Deo fuere iustitia & misericordia. Fines destructio regni Satanæ, & erectio regni gratiæ & gloriæ Dei: contra verò causæ voluntatis in Iudæis fuit iniustitia & crudelitas. Finis exterminatio Christi, abolitio Euangelij, extructio regni Satanæ in interitum generis humani. Cum tanta sint discrimina causarum & finium voluntatis Dei & Iudæorum, merito in omnem æternitatem laudanda est optima Dei voluntas, & damnanda pessima Iudæorum voluntas.

12 *Quoniam pones eos humerum, funes tuos firmabis contra faciem eorum.*

HVius dicti plures sunt interpretationes. Monsterus sic intelligit. *Pones eos seorsim ad partem*, scilicet vt tela Dei in ipsos dirigi possint. Alij, *pones eos dorsum*, id est, facies eos auersos, hoc est in fugam vertes, & terga dare coges. Alij *pones eos dorsum*, scilicet perpetuis verberibus expositum. Alij volunt comparationem esse: quorum sententiam & ego amplector. Comparat enim impiorum corpora humero, hoc est, aggeri, & facies eorum scopo aggeri infixo, in quem Dominus semper sua tela diriget. Hac hypothesi significatur aduersarius Christi & Ecclesiæ non posse se ita abscondere, quin perpetuo pœnis diuinitus inferendis expositi sint. Sunt enim tanquam in scopum erecti, in quem Deus non desinet suas sagittas dirigere. Hinc discamus nullis viribus impios sese posse defendere, oppugnante illos Christo. Huic ergo nos committamus.

QVARTA PARS PSALMI.

13 *Exaltare Iehoua in fortitudine tua: cantabimus, & psallemus potentiã tuam.*

DVo continet hic versus, videlicet petitionem, & promissionem gratitudinis; petitio est, *Exaltare Iehoua*, id est attollere fortitudine tua, hoc est ostende potentiam tuam ferendo auxilium regi tuo, non ergo quod Deus humilis sit (ait Theodoretus) extollitur, neque quod non habet recipit, sed quod habet ostendit: iure igitur inquit *exaltare domine in virtute tua*, demonstratur namque tua altitudo ob inexplicabilem potentiam. Promissio gratitudinis sequitur. *Cantabimus, & psallemus potentiam tuam.* Hic quæritur de cantu, an sit opus cultus nec ne? Respondeo, Cantus est ceremonia; igitur non est opus cultus per se, vt papistæ, & quidam semipapistæ existimant. Quare breuiter discernendum est inter genera cantus: Est cantus pius, est superstitiosus, est & pædagogicus. Cantus pius est cuius omnes causæ piæ sunt, vt efficiens gaudium spiritus materia, opera, & beneficia Dei erga Ecclesiam & erga nos singulos. Forma, fieri ex spiritu fidei in gloriam Dei. Fines confessio publica gratiarum actio, excitatio piarum cogitationum, inuitatio aliorum ad laudes Dei. Ob has causas Basilius Magnus Cesareæ, & Ambrosius Mediolani ψαλμῳδίαν instituerunt. Superstitiosus cantus, qualis est papistarum & monachorum & eorũ qui conducti mercede in templis canunt. Hæc superstitio nequaquã est cultus Dei, sed potius abominatio coram Deo, nam vt ex hypocrisi proficiscitur, ita non in gloriam Dei, sed potius in quæstum tendit. Atque ob hanc causam magis impius est, cum homines putant se hoc opere demereri Deum, & quasi ipsum sibi hoc opere obligare, vt & sibi & iis pro quibus se finguntcanere, sit debitor Deus. Hæc impietas procul facescat a piis mentibus. Pædagogicus cantus est discendi causa susceptus, cuius finis est, vt pueri psalmos per illud exercitium discant. Nos autem ex hoc versu discamus pie canere, & publice, & priuatim, iuxta exhortationem Pauli, quæ est ad *Ephes.* 5. Ne inebriemini inquit, vino in quo est lasciuia, sed potius impleamini Spiritu, vobis ipsis loquentes psalmis & hymnis, & odis spiritualibus, canẽtes & psal-

lentes

lentes in corde vestro, Domino gratias agentes semper de omnibus in nomine Domini nostri Iesu Christi.

Vsus Psalmi vigesimi primi.

VSVS huius Psalmi duplex est. Primus vt discamus bonum magistratum donum Dei esse, vt illi gratulemur fælices successus, vt pro illo Deũ precemur, vt ipsum conseruet ac tueatur. Secundus, vel ex vltimo huius psalmi versu intelligitur, videlicet vt cogitemus hostium Ecclesię rabiem, & agnoscamus præsentiam Dei in Ecclesia reprimẽtis hostes Ecclesiæ, vt firma fide in Christum victorem mortis, & datorem veræ beatitudinis in æternum duraturę, recumbamus, vt hunc inuocemus, vt huic gratias agamus non dubitantes quin breui subiecturus sit hostes suos, & Ecclesiæ sub pedibus suis. Huic regi nostro Iesu Christo sapientissimo, potentissimo, iustissimo, & clementissimo sit honor, laus, & gloria in omnem æternitatem. AMEN.

* * *

RERVM ET VERBORVM, quæ in his commentariis declarantur, Index locupletiſſimus.

Chri-

Conscien-

tem

Epicu-

FINIS.

B. DALL 1982.